Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXX
B
39
NAPOLI

Digitized by Google



Digitized by Google

NOVÆ SECTÆ SENNERTO-PARACELSICÆ

Recens in Philoſophiam & Medicinam introductæ, quâ antiquæ veritatis oracula,

Et

Ariſtotelicæ ac Galenicæ doctrinæ fundamenta convellere & ſtirpitus eruderare moliuntur

NOVATORES,

Detectio & ſolida reſutatio.

Auctore

IOHANNE FREITAGIO M.D.

& in Illuſtrium Groningæ & Omlandiæ Ordinum Academiâ celeberrimâ Profeſſore P.



AMSTELODAMI,

Apud IOANNEM IANSSONIVM,

Anno M. DC. XXXVII.

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO COMITI Et DOMINO Dn. VDALRICO

COMITI FRISIÆ ORIENTALIS DYNASTAE ESENAE STEDESDORFI & VVITMVNDAE,

Domino meo clementiſſimo,

DIfficile omnino & arduum opus, Illuſtriſſime Comes, Domine clementiſſime, aggreſſus ſum, cum adverſus novam ſub hac ſeneſcentis mundi canicie, in Medicinâ ſuſcitatam hæreſin, tot tantiſque opinionum monſtris beluatam, in ſacrarum literarum ſinceritatem cuniculos molientem, veteri Ariſtotelicæ philoſophiæ & Galenicæ Medicinæ arietes admoventem, & excidium exterminiumque minitantem, arma ſumſi.

Multos in admirationem rapuit quod adequitante & præcipitante ſenio, coopertus curis, & Profeſſionis publicæ laboribus, offi-

ciiſque praxios, paſſim locorum ſeſe diffundentis, circumretitus, belli calamitate confectus, & ſaltem non exectus, in ſummo periclitantis rei familiaris, ut præſens eſt tempeſtas, diſcrimine poſitus, contra vaſtam illam Novatorum Sycophantomachiam, in arenam prodire, manus conſerere, adeoque arduas pro veritate diſceptationes ſuſcipere, tantis viroſæ calumniæ & cavillatorum telis pectus objicere, à fide & amore meo, quem erga bonas literas & pietatis veritatiſq; ſtudia, proque horum incolumitate & ſinceritate gero, haut alienum eſſe arbitratus fuerim.

Verum non abſterruit me quicquid circumſonat præſentis temporis malorũ, quicquid turbarum & calamitatum in hoc confluxit & exundavit ævum, nec tranſportati ob armorum tempeſtatem domicilii ærumna, nec patriam incurſantes viciſſitudines & diſcrimina, nec fortunarum pericula. Nihil, inquam, horum animi conſtantiam labefactavit, aut ab adamantino propugnandæ & aſſerendæ veritatis decreto me revocare aut inclinare quivit. Etſi quoq; videam non trivialia ingenia his Novatorum paradoxis eſſe faſcinata, & occupata, & ex iſto equo Trojano, ubi hujus ſectæ architectus & patri-

patriarcha ad rerum faſtigia ſedet, & dictaturam ſibi vendicat ſummam, agminatim prodire, & paſſim gentium ſeſe diffundere plures, qui nova hæc magno animorum pruritu hauſta, haut perfunctoriè profiteantur, tamen fiducia bonæ cauſæ ſuſtentato, velut integrum non erat clypeum & haſtam projicere, ita adverſariorum, quamvis turmatim irruentium jacula & impetus facilè fuit depellere, uti invicta veritas, ita veritatis ſtudium & defenſio eſt inexpugnabilis. Quid quantumque profecerint, viderint ipſi qui veritati bardo brutoque auſu inſultarunt ejuſque ſectatores & ſtudioſos conviciis & criminationibus lapidarunt plus quàm enormibus, & deteſtandis.

Sub initium levis & momentanea multis hæc res viſa eſt, ſed ubi novitatum patroni ad diſceptandam cauſam laceſſiti, proh! Deum atque hominum fidem, quanta moto hujus camarinæ fundo, monſtroſarum, impiarum & deteſtabilium opinionū propullulavit ſeges? quantâ deſtomachati acerbitate, adeò ut omne in me ſcripturiendi virus conſumere voluiſſe, paſſim exiſtimatum ſit. Nec quiſquam cordatorum & bonorum, priuſquam ſemet ipſos toti ſeculo impræſentiarum prodere & proſtituere cæpiſſent, ſibi

perſuaderi paſſus fuiſſet, ſub tenui iſta primitus apparentium abſurditatum membranâ tantam impuritiarum, & in ſacram ſcripturam & indubitatam fidem & ſolidę philoſophiæ conſtanter tot ſeculis aſſertæ veritatem, contumelioſarum opinionum delituiſſe luem & colluviem. Particulares initio ſingulatim hinc indè diſſeminabantur diſputationes, novitate quapiam prægnantes; tentati animi, incautiores ineſcati, tracti, rapti, uti omne virus fæcundum, ita tractu temporis incendium illud longè lateq; evagatum, plurimorum animos opinione citius occupavit, & cumprimis tenerorum primitus diſciplinarum ſtudiis initiatorum, in literatorum Parnaſſos recens proficiſcentium, mentes, priuſquam ſincerioris & antiquæ philoſophiæ veritatem deguſtaſſent, illaqueavit, imbuit, adeoque pervaſit, ut eorum nonnulli volentius animam depoſituri ſint, quam à malè conceptis & præconceptis opinionibus, vel latum unguem, perverſo partium ſtudio perditè inflammati, ſeſe dimoveri patiantur. His initiis crevit, magniſque auctibus ſuccrevit & quoquò verſum graſſari cæpit, iſta malè natæ doctrinæ lues, cujus ſe monarcham profitetur & Stentoriè clamat Paracelſus, quam aſtu furtimque largâ manu

ubivis

ubivis terrarum ſerere Fratres Roſeæ Crucis, & Pſeudochymici ciniflones, Hermeticæ Philoſophiæ nomen prætexentes, immani in omnes orbis plagas Cataclyſmo diffundere connixi fuêre. Paracelſum hi omnes agnoſcunt parentem, ſed quod is propter magicarum artium, quibus lapſantem diabolorũ Rempublicam ſtatuminare moliretur, blaſphemias, malè audiret, alii alio nominis fuco coloratam & incruſtatam in proſcenium literarii theatri ſuam iſtam eduxêre Sectam. D. Sennertus, cum quo mihi pro tempore res & lis eſt, mediâ ſe progreſſurum viâ ſignificat, ita ut philoſophicâ libertate tantum delibet, ex utriuſque, ſcilicet, novæ, Paracelſicæ ſi diis placet, & veteris philoſophiæ & medicinæ placitis quantum ſibi ad guſtum fuerit, & his conferruminatis tertiam quandam cujus ipſe audiat fundator & architectus, coquat & cudat ſectam.

Sed quomodò mediam tenuerit viam, qui potiſſima veteris philoſophiæ principia oppugnatum iverit, eademque ſtirpitus eruderata voluerit, facilè ſubolebit illis, qui meas pro veteris veritatis defenſione diſceptationes apud animum expenderint, illius autẽ novationes & nuper proditam ſectam introducendi conatus callidos cognoverint.

Philoſophicam cum contribulibus ſuis nominat libertatem, recepta æternæ veritatis principia, impudenter cavillari, in venerandæ antiquitatis diſciplinas illibatas impunè graſſari, divina humanaque, quæ cuiquam bono in dubium vocare religio fuerit, protervè arrodere, nemini parcere, Hippocrati, Ariſtoteli, Galeno, & his qui prima nobis ſapientiæ fundamenta jecerunt, cyclopicè inſultare, ſuoque, ubi ad clavum ſedent, in regno, aquâ & igni penè interdicere. Ea demum philoſophica eſt libertas, & hoc eſt

Nullius jurare in verba magiſtri,

novam inſcitiæ & barbariei ſectam exſtruere, veteres omnes præ ſe unis contemnere, vetera omnia faſtidire, ſibi quidlibet quantumvis hibridum & horridũ, abſurdiſſimum & à veritate alieniſſimum, proferendi & defendendi jus ſumere, & ut compendio dicam, divina humanaque luxandi, evertendi & labefactandi licentiam arrogare, ac ſi nullum honeſtatis & pietatis in orbe literatorum amplius exſtet veſtigium, & cuilibet quod libet, dicere, facere, ejuſque defenſionem, aſtu, fraude, calumniis, criminationibus & ſarcaſmis obire permiſſum & ſumma ſit impunitas. Harum artium & partium anteſignani ſe à ſuis aſſentatoribus & Ganimedibus

dibus cognominis Magni præconio proclamari ſuſtinent, ac ſi qui cum illis paria facere queant , hac tempeſtate inveniantur nuſpiam. Illis aſſurgunt famelici Phormiones & Ganimedes promotionum ſpei inhiantes; præ his ſordet veneranda antiquitas, herbam porrigit moderna tempeſtas, & friget quidquid interceſſit eruditi ſeculi. His demum in hanc decrepiti orbis canitiem, reſervatum eſt ſincerioris omnis philoſophiæ decus, & horum ut, quicquid ſacrarum literarum ſilentio opertum & inexplicatum remanſit, & vir Dei Moſes ignoravit (cujus cenſus ſunt creatio *videl.* in rerum natura quintarum eſſentiarum corporearum , & animarum beſtialium ſuperelementaris origo & immortalitas, corporum ſublunarium ex atomis fabricatio, & quæ hujus farinæ & fæcis ſunt ſexcenta alia) detegatur operâ. quamobrem, pares non ferunt, ſuperiorem agnoſcunt neminem, alto ſupercilio promiſcuè omnem literatorum ordinem premunt. Quorum ſi quiſpiam, in paradoxorum novę ſectæ veritatem inquirere audaciam ſibi ſumat, ne is piaculare & vivicomburio vindicandum nefas commiſerit. Tanti periculi res eſt vel levi ſtylo tentare iſtos Væ-Ioves, & quæ nova Novatorum Apoſtoli ſibi exſtru-

xere & venerantur idola. Magnorum virorum famam repentè laceſſit, qui in hujus moroſophiæ myſteria inquirit & percunctatur momentoſiùs. Sed quorſum diffundor? receptui canendum. Et cum adverſarii cauſam ſuam apud magnates Stentoriis coloratæ falſimoniæ & caninæ facundiæ buccis, perorare, iiſdemque eandem, licet communi utilitati, & docentium diſcentiumque ſtudiis pernicialem, commendare non erubuerint, quanto æquius fuerit me ad aras principum meos pro veritate labores & ſtudia exantlata, quibus Reip. medicæ & philoſophicæ vulnera, à novæ barbariei profeſſoribus inflicta, ſanari poſſe non ambigem, ſubmiſſo venerationis cultu deponere, hac fiducia, quod veritati & pietati nunquam defuturum patrocinium ſciam, idque cumprimis apud te Illuſtriſſime Comes, nemini bonam cauſam ſuſtinenti denegatum iri, pro confeſſo & exploratum habeam. Vt autem ad te irem, Generoſiſſime domine, tuæque Celſitudini has ſenectutis meæ cogitationes contemplationeſque, & pro verâ ſacrarum literarum hactenus ab Eccleſiâ defensâ ſententiâ propugnandâ & cum maxime philoſophicæ doctrinæ, mille novatorum telis laceſſitæ ſalute & veritate tuendâ explicatam

aciem

aciem humillimo obſervantię cultu deferrē, cauſę ad manus fuere non unæ, neq; exſangues, ſed quam graviſſimę. In quarum cenſu, ut reliquis recenſendis ſuperſedeam, hęc nō poſtremum agmen ducit, quod de literarum bonarum incolumitate vindicanda, doctrinarum omnifariæ ſcientiæ ſtudiis tam conſervandis quam provehendis & promovendis, heroicam & illuſtri tuâ præeminentiâ dignam indueris ſollicitudinem. Innatum tuę Celſitudini, & inſitū penitis animi fibris hoc rei literariæ juvandæ ſtudium, ex magnę memoriæ parente, literarum & literatorum cultore & amatore maximo, omninò arbitrandum; à cujus piis manibus illuſtri tuæ Celſit. ſucceſſionis & virtutum ſuarum merito, relictus vir clariſſimus, ſcientiarum tam rei medicæ quàm cæterarum ex indeſide optimorum auctorum evolutione & rerum temporumque in quæ nobis veniſſe datum eſt, uſu, ſupra modum gnarus, relictus inquam præcellentiſſimus & celeberrimus Matthias Waltherus, Med. Doctor conſultiſſimus, Illuſtriſſ. tuo P. M. parenti, dum in vivis coleret, tenerè amatus, & ut genti Friſicæ, neminique veſtratium obſcurum, in deliciis habitus. Cæterorum qui Charonti æs ſolverunt, famam & honoratos virtutum

cineres

cineres non appellabo; quorum verò in vivis colentium conſiliis aula regioque tua te duce floret & viget benefacta, bene merita, nec inſtituti ratio, neque paginæ anguſtia, quamvis officii neceſſitas id efflagitet, commemorare admittit. Tacerem nè in his Cancell. Wiardam, ſenem venerandum, judicioſiſſimum, & prudentiæ, conſiliorum, actorumque Imperii & graviſſimarum cauſarum penu & copiæ cornu? Cujus ſi redimenda foret juventus, vix condignum erogari poſſe videatur pretium. Sed à meæ profeſſionis ſymmyſta digreſſus eram. Is eſt clariſſimus Waltherus, aulæ tuæ archiatros laudatiſſimus, cum quo mihi interceſſit amor, amor inquam, & culta fides jam inde à ſtudiorum in Academiâ Iuliâ, quę eſt Helmęſteti Brunſwigiorum celeberrimâ, fæliciter exorſorum primis cunabulis. Is à ſaturitate & maturitate ſuæ eruditionis & literaturæ, in aulam Friſicam, Illuſtriſſimo tuo parente rerum potiunte; bono cum fato vocatus, ſtationem aulicam ſummæ fidelitatis officiis, indeſide operâ, vigilantiâ admirabili, avo, filiis & nepotibus, (præfeſtinè dixerim) probatis in hanc ſuam ætatem, quę paucorum exemplorum res eſt, honorato ſenio vicinam, honorificè tenuit, & perpetuo hoc tem-

tempore Spartam ſuam condignè ornavit. Nihil mihi obtingere potius, nihil potuit accidere gratius quàm cum exſilii calamitate, armorum tempeſtate deſertis patriæ laribus miſeros profugoſque Penates & familiam transferre & transplantare adigerer, & interim divina repentè afflictis meis rebus proſpiciente providentiâ ab Illuſtribus Groningæ & Omlandiæ Ordinibus, Dominis meis clementiſſimis in celeberrimâ, quæ floret Groningæ, Academiæ Orcheſtrâ, ſtatio locuſq; digniſſimus, aſſignaretur, & in Profeſſorum clariſſimorum celeberrimorumque cenſum cooptarer, atque inde è tam præclaro artium virtutumque Phrontiſterio celeriter etiam inclutæ aulæ veſtræ pernoteſcerem, amicum ibi veterem annis ſtudiiſque parem

Cum quo olim multos memini conſumere
Soles,
Cum quo olim in ſtudiis longas comburere
noctes,

neſcio quo fato, divino certè beneficio, invenirem, cujus operâ Illuſtr. tuæ Celſ. commendatiſſimus & totius aulæ favori penitius inſinuatus ſum. Quem etiamſi meo non indigeat elogio, nihilominus amoris & honoris, & quod rei caput eſt, virtutis causâ apud

apud Illuſtriſſimam tuam Celſitudinem nominare debui.

Cæteris tuis,quibus meritò compulſus Illuſtriſſime Comes tuæ Celſitud. hoc opuſculum conſecrare debui, virtutibus deprædicanſandis, ſtyli & infantiæ meæ macies non ſufficit. Hoc opus majorum gentium Tullios flagitat. Nihilominus ingrato & impudenti propior videri jure poſſim,qui cum toties multoties, adverſæ valetudinis incidente aliquâ neceſſitate & periculo accerſitus, clementer habitus, liberaliter dimiſſus & ſublimi tuâ eminentiâ dignâ donatione coopertus ad meos redierim, ſi nullum animi humiliter grati teſtificationem in publicum ederem. Eam vero cum in manu mea non ſit, aliter, quam tenuis ingenii monumentum conſecrando, & in perennitatem ſeculi, poſteritatiſque memoriam tranſcribendo, ſiquidem ita comparatum ſit ut ævi rubiginem,quod offero,non extimeſcat,declarare, Illuſtriſſimo tuo nomini, hoc quod ab Academica incude proficiſcitur & ſub manu meâ ſatum natumq; eſt his menſibus lucubrationum, humillimæ obſervantiæ, & debitæ gratitudini probandæ inſcribere debui. Cujus rei perficiendæ audaciam cùm Illuſtri tuâ clementiâ & in literatos affectu confiſus,

confiſus, mihi ſumſerim,ſubmiſſo obſervantiæ cultu enixè precor, ut animi vultuſque pari, mentis & frontis æquali ſerenitate, id quod humiliter ad aras tuas deponitur, ſuſcipere & contra maleferiatorum calumnias & Spinturnicum obtrectationes perilluſtri tua auctoritate & gratiâ tueri nō dedigneris.

Divinæ protectioni Illuſtriſſimam tuam Celſitudinem,cum coſta lectiſſimâ,principe generoſiſſimâ,virtutum omnium ornamentis fulgentiſſimâ, & filiolis inclutis, in ſpem illuſtris tuæ familiæ pertexendæ & provinciæ ſalutem heroicè ſuccreſcentibus unicè & animitus commendo, & hujus futuræque vitæ ſalutaria cordicitus precor. Groningæ 26 Maij, anno 1636.

Illuſtriſſimam V. Celſit.

Subjectiſſimo obſervantiæ cultu humiliter devenerans

IOHANNES FREITAGIUS,
M.D. *Profeſſor.*

APO-

APOLOGIA

Auctoris

Ad orbis Chriſtiani Academias & ſigillatim Wittenbergicam, omneſque ibi & alibi veteris & indubitatæ Veritatis aſſertores & patronos.

VSque adeò inimicus otii & bonarum horarum prodigus fui, ut ad affanias & inanias Sennerto-Sperlingianas, paucis pro re natâ reſpondere nõ dubitaverim. Cum enim viderem ex hoc VVittenbergicò omnijugæ doctrinæ phrontiſterio celeberrimo, in quo bonæ literæ, quondam denſa barbarie rubiginantes, aut ſeculi injuriâ & incuria penè funeratæ, divino beneficio, ſpiritum ſuccumque reducentes Patrum memoriâ revixerint, & poſtliminiò reſuſcitatæ ſint, noſtrâ hac tempeſtate monſtroſas, Ethnicis damnatas, Chriſtianis horridas, in Deum & ſalutarem fidelium pietatem blaſphemas necquicquam piis, cordatis, clariſſimis & meliorum partium refragantibus ibidem profeſſoribus, ſtudio & operâ novatorum quorundam excitari opiniones arduoque & indeſide conatu doceri, & à D. Sennerto ceu fulminatore Væ-Iove ſuis adulatoribus & Ganymedibus affatim inſtillari, & ex hoc in Europam ablegari, & diffundi,

multos

multos verò in juventutis lubrico & veriori primum philoſophiâ imbuendos in hoc impuritiarum præcipitium abripi, novæ illius ſectæ hinc indè agglicentis Paradoxa, commenta, & abſurditates, exartuare, & divina Spiritus ſancti gratiâ fultus averruncare aggreſſus ſum. Novi equidem, paucos inveniri, quibus hæ novatorum ſordes ſint ad palatum. Quin imò, nemo niſi qui vel abſurdè barbarus, & barbarè abſurdus & parum Chriſtianus fuerit, eas amplectetur. Etſi enim ſubornatus paradoxorum Sennertianorum defenſor M. Sperlinger cornicetur me ſolum inventum fuiſſe, qui tantum cordis habuerim, ut adverſus dominum ſuum D. Sennertum inſurrexerim, tamen ſciat ille cauſam ſilentii multorum non eſſe hanc quod orbis totius eruditi, omneſque paſſim gentium Academiæ inſpectis lectiſque Sennertianis opinionum & novationum monſtris, tanquam Gorgone viſo, in ſaxa derepentè obriguerint, aut ea pro veris rectiſque admiſerint; Sed quod nemo eadem à tot retrò ſeculis antiquata, pariterque impia & blaſphema refutandi labore digna cenſuerit; Omniumque ſuffragantium & conteſſerantium votorum unanimis ſit ſententia, hæc ſpontè ſuâ peſſum itura & in Cauros abitura fuiſſe. Quæ enim eſt Germaniæ ſuperioris, aut inferioris ſeu Belgici celeberrimi, artis Martiſque ſtudiis florentiſſimi, vel Galliarum,

Italiæ, Hiſpaniæ, aut ulla Chriſtiani orbis Academia, quæ hanc fæcem recoquat, ruminet & ſibi obtrudi patiatur? Admittentne Theologi impiam illam de actu formarum entitativo, quo animis brutorum talis aſſignatur eſſentia & ſubſtantia, quâ extrà propriam quam informant materiam, alibi ſubſiſtere & exſiſtere poſſint, opinionem? quâ Metempſychoſis reducitur, Palingeneſia adſtruitur & pecudum animabus immortalitas comparatur. Ferentnę commentum de generatione formarum corruptibilium ex nihilo, è diametro ſacræ ſcripturæ adverſum & inimicum? quæ illas ex elementari materiâ à Creatore primitus eductas & divinâ benedictione ex eadem per naturalem generationis viam perpetim propagandas nobis fideliter inculcat? Agnoſcentnè in prima Creatione Atomos Epicuri & Democritianas Leucippeaſque à Deo factas ut harum conglomeratu vel coalitu potior noſtrorum corporum pars compingatur & generetur? Quæ ſanè opiniones omnes & ſingulæ ab Eccleſiâ & Theologis ad unum omnibus, hactenus damnatæ & pro hæreticis habitæ & exploſæ ſunt.

Non ignoro Reverendos & celeberrimos Theologiæ in Academiâ VVitebergica Profeſſores, cæteroſque Clariſſimos Profeſſores & Philoſophos, paucis de fæce Sennertiana, qui ab ipſius auſpiciis dependent, & ſputa Sennerti lingant, quod ejus

promo-

promotione gaudeant, exceptis, non tantum diſſentire, ſed & omni conatu id velle, ut errores hi in ipsâ herbâ ſupprimantur, verùm ita cohiberi quod adverſus iſtum Væjovem Sennertum magnatum quorundam favore fultum ſubnixumque vix mutire & hiſcere auſint: Et iſtorum locorum etiam typographos ita ineſcatos & inductos, ut nihil quod contra D. Senn. faciat, typis deſcribere ſuſtineant. Nullam veritatis premendæ, veræ philoſophiæ abolendæ, ejuſque loco impiæ & impuræ ſurrogandæ commodiorem invenire potuit viam, quam ut libertatem ſtyli collegis ſuis quodammodo infringeret, eoſque duntaxat promoveret, & in gratia magnatum poneret, qui impuritias & novæ ſectæ dogmata amplecterentur, ipſique adulentur, & pro novitio Æſculapio colant. Tolerabuntne philoſophi monſtroſam de formis ſubordinatis opinionem, qua vel formas animalculorum, vel ipſa cum formis corpora beſtiis grandioribus primum concreata eſſe, & cum iis propagari garriunt, adeo ut actu connaſcatur equo ſcarabæus, bovi apis, aſino crabro, & quicquid præterea informium vermium & beſtiolarum ex cadaveribus putreſcentibus oritur, id omne primitus animalibus concreatum, poſtea connaſcatur & unà propagetur? ferentnè novam iſtam & inauditam formarum in ſpecificas, ſubordinatas, partiales & accidentarias diſtinctionem; cauſa æqui-

vocè generantis è philoſophia rejectionem, efficientium è numero externarum expulſionem; entis in potentia hærentis deletionem? Hæc nova ſecta formas rerum facit per ſe diviſibiles, ſtatuit res omnes per diviſionem formarum generari, undè formæ illis propagantur non per eductionem, non inductionẽ, ſed traductionem omnia eſſe actu, & id quod generatur actu jam eſſe in generante, quia ab illo per diviſionem ceu ἀπόσπασμα, ut loquuntur, ſeparatur; unde nulla res ſit in potentia, & ens in potentia ſit non ens; falſamque eſſe illuſtrem illam regulam ex Ariſtot. 3. de gen. anim. Omne quod fit, fit ab illo quod actu eſt, ex eo quod eſt in potentia, cum nihil ſeipſum actuare poſſit; cadit: & illa regula, quod forma & formatum ſint tempore ſimul, quia forma poſſit eſſe videl. actu entitativo, ubi non informet, ut forma ſcarabæi poteſt eſſe in equo ut ſubordinata, & in ſterquilinio, in cadavere equi, in ſemine ſcarabæi (quia & ſcarabæus ſcarabæum generat) & ubi non? Actus formarum eſſe alios entitativos, alios formativos: horum eſſe alios formativos ſecundum quid, nec plenè adhuc informativos, alios ſimpliciter formativos, unde formarum per partes introductio aſſeritur. Potiſſimam hoc pacto ſalutarium præceptorum & principiorum veræ & orthodoxæ philoſophiæ partem è medio tollere & jugulare annituntur. Omnium mentionem hic facere non fert

charta-

chartaceæ hujus areæ anguſtia. In ipſo opere ſequente cætera magno numero benevolus lector notata deprehendet. An memorem immemores ſui Cadmæos fratres tot ponere contradictiones, & à ſe invicem diſſentientes ſententias? Sennertus apertus adhuc in tr. de Gal. cum Chym. conſ. & diſſ. inquit: abſurdum eſſe dogma de formarum generatione ex nihilo; Perſonatus vero larvâ Ganymedis ſui, in tr. de form. orig. aſſerit & defendit: formas ex nihilo fieri, & tamen paulò poſt ſui denuo immemor, ait, formas generari per diviſionem formæ efficientis ſeu per communicationem efficientis cum aliquid de ſua materia & forma largitur: quod ſi ita ſit, ex nihilo fieri, dici non poteſt; plurimas hujus farinæ invenies à me notatas. Et cui non ſit admirationi vel deridiculo mirabilis ille diſputandi modus Sennerto ejuſque ſubornato familiaris? Vnus idemque eſt author qui contra me ſcribit, dictus lib. de Galen. cum Chym. conſ. & diſſ. D. Sennertus; In tract. vero de Form. orig. Magiſter Sperlinger mutato nomine unus comœdus alternis aliter perſonatus eandem agit fabulam. Hic enim Sperlingerus ſive Sennertus nec valet nec poteſt quicquam: ab hoc, mutuatur animam & ſpiritum. Proinde ſubornatus cum D. Senn. veneratur, tollit & cæteros omnes ipſumq́ʒ Ariſtotelem & ejus ſectatores & peripateticæ philoſophiæ ab omni ævo myſtas cõtemnit, ſeipſum

perſonatus, ſchemate Sperlingiano commendat; Næ ille ſcitus & mehercule lepidiſſimus eſt & acutiſſimus & vir præcipua calliditate vafer. Et quod amplius eſt, cum ſubornatus Sennertum allegat; Sennertus ſeipſum allegat, venerandum ſe præceptorem nuncupat, ad ſeipſum provocat, ſuum pro ſe in propria cauſa actor & judex teſtimonium profert. Ideoque quicquid D. Sennertus dicit, verum eſt, quia ipſe dicit, & quia ſic dixit, & ſic anteà ſcripſit: hoc pacto ſcriptorum ſuorum veritatem per ſcriptorum ſuorum teſtimonia aſſerere magnæ ſublimiſq; ſcil. prudentiæ vel impudentiæ eſt. Et quid ſi concedamus M. Sperlingerum quicquid horum adverſus veritatem antiquitatis & mea pro D. Sennerto evomuit, compilaſſe & conſcripſiſſe, nihil tamen horum ex ſeſe habet, omnia refert ad præceptorem, ab eo ſic imbutus ſic inſuccatus eſt, ab eo illud virus tam malevolentiæ quam maledicentiæ combibit. Et cum eodem, ubi hæc à D. Senn. didicerit loco, eadem auſpiciis ejuſdem D. Sennerti profiteatur publicè, ſcriptis propalet & propugnet, & ſat calumnioſè & veteratoriè tueri inducat non niſi conſcio, quin imo non niſi directore & ſuggeſtore & cenſore & approbatore eodem, hæc abſurditatum plauſtra in campos inſcitiæ educit, & ex his eruditorum coronis objicit & in faciem projicit. Quicquid ſit, hæc ſcriptio Sperlingeri, Sennertiani Phormionis, opera & ſuggeſtu

Senner-

Sennerti adornata, tantum valuit, ut inde fæneraretur occaſionem D. Senn. ſuum aſſentatorem & creaturam, præceptoris cantilenam toti orbi occinentem, promovendi; qui conatus ipſis pro ſententia ceſſit, dum favore magnatum, qui has novas opiniones, utpote ad ſua minimè ſpectantes, gravioribus alioquin negotiis circumretiti, ad animum non revocant, neque à Sennerto ſe decipi, aut illum malè ſentire poſſe authoritate, quā ſibi excitavit apud candidam credulitatem perſuaſi ſunt, nitātur. Quocirca poſtquā primum de morbis ſubſtantiæ adverſum me conſarcinata ſcruta & ſcripta periclitatus eſſet, & maledicentiæ, calumniæ & fraudum, quas ipſi eruditionem nominant, documenta dediſſet, fatali quadam neceſſitate dignus habitus fuit D. Sennerto, ut pro profeſſore commendaretur iis, penes quos id muneris erogandi & conferendi ſtat ratio. Ex quo ille qui primùm ſtudiis Theologicis animum adjecerat, & aliquot annorum in iis excolendis operam poſuiſſet, cum per nocturnas hinc inde temulentias, graſſationes, vociferationes excitatâ contentione, in conflictu manum, quæ ipſi à vili quodam famulo amputata eſt, amiſiſſet, quamobrem poſtea indignus haberetur, qui functioni eccleſiaſticæ præficeretur, nec ſine pii cœtus offendiculo miniſterii ſacri functionem recipere poſſet, vela vertens ex Theologicis ſtudiis transfuga, & divini

vini ſtudii apoſtata, philoſophiam Medicinamque involavit, & ad Sennertianæ ſectæ dogmata converſus, protinus digniſſimus habitus fuit D. Sennerto, qui ad philoſophorum cathedram eveheretur. Vnde auſpiciis, aſtu & opera D. Senn. nequicquam reclamantibus Reverendorum & clariſſimorum profeſſorum compluribus, voto ſuo potitus, non tam in cathedram provectus, quam protruſus, vulgo, ut audio, dicitur. Quiq; miniſterio Eccleſiaſtico indignus fuerat, profeſſorio munere digniſſimus eſt habitus, dummodo præceptoris unius ſputa lingens, Sennertianæ ſectæ defenſorem & propugnatorem ſeſe probaret acerrimum. Similem plures fortunam ambire, queis vix reſtat in menſa ſalinum aut vixdum fundo reſpiret nummus in imo, accipio. cum enim ad Sennertianæ ſectæ vertuntur dogmata, aut iis, qui ſecius de his ſentiunt, dicam ſcribere non verentur, ſtylumque ſive benè ſive malè, dummodo ſtrenuè calumnientur, mentiantur, inſtar Sperlingeri, ſtringant, promotionem ubivis quæſitam nuſquam deſperare neceſſe habeant. Facilè promotorem habet Sennertum, qui ejus ſectæ ſe offert ſectatorem, qui venerandæ antiquitatis veritatem maſculè criminetur; Ariſtotelem è literarum phrontiſteriis ejiciendum clamet, & totius antiquitatis conſenſui explodendo Sennertiana dogmata antehabeat. Ita quidam, ut audio quidam

dam VVinclerus à Sennertianæ authoritatis commendatione unicè dependens & ſalutem ſuam emetiens, adverſus meum de opio libellum, quia in hoc commentum de gallinâ auro nutritâ & exinde intus deauratâ & in aurum converſa, refutavi, publico ſcripto arrodere inductus eſt. Ille idem VVincklerus nomen ſuum uti à fide dignis accepi, libro præfixit & D. Sennerto commodavit, Sennerti ſunt contenta & viſcera iſtius putidi ſcripti, in quo ſaltem obiter inſpecto, affirmare poſſim, plura reperiri ferè mendacia & falſimonias quam extare periodos. Sequentur fortaſſe plures graculi & ſpinturnices in hanc ſcenam, qui ſeculo ludibrium & eruditis riſum debent; qui vel præ rei familiaris & literaturæ anguſtia, dum nullam aliam expediendæ fortunæ & ſalutis rationem inveniant, aſſentandi bonoſque cavillandi, protervè mentiendi partes arripiant ut Sennertianæ auræ favorem aucupari, eoque inflati ad conditionis alicujus portum applicare poſſint. Fertur, D. Sennertum paſſim gentium egiſſe, & ad ſuperiores Saxoniæ & vicinarũ regionum Medicos ſcripſiſſe, & ut aliquid contrà me pro novæ ſuæ ſectæ defenſione molirentur, inſtigare voluiſſe, ſed ubique repulſam paſſum, & apud neminem voti compotem factum, excepto hoc, quod apud has duas ſuas creaturas, de quibus quid illi placet, facere & ſtatuere licet, impetrabilis fuerit.

Verum quid eſt, quod D.Senn. adeo tectè callideque per alium reſpondeat? an ipſe non fidit cauſæ? an ſi cauſa publicè cadat malit ignominiam à ſe in miſeros ſuos propugnatores derivari? num vero quod pro ſuo Væjovis, quam ſibi temere arrogat tanquam ſectæ novæ conditor & monarcha, faſtu & arrogantia, dedignetur ipſemet ſtylum ſuæ defenſionis arripere? Si hoc exiſtimet, ſciat ſe nec ipſa veritate & luce, quam fugit digniorem eſſe, & majori ſane cum honeſtate pro ſuis ipſemet dogmatis, ſi vera eſſent, ſi defendendi fiduciam haberet, ſcripſiſſet, quam quod per doctrinæ novitios impudenteſque carnifices, & ſubornatos cavillatores, nulli calumniæ ſarcaſmo & mendacio parcentes rem gerat, eoſque adverſus ſenem emeritum tam de pluribus Academiis, in quarum ſtetit cathedris priuſquam iſti tenebriones lucem viderint, ſtudiiſq; juventutis bene meritũ, quam illuſtrium aularum officiis & magnorum principum curationibus honorificè perfunctum, ad amentiam inflammaverit. Sed quid ſi idem mihi in mentem veniret, non minus facilè foret ſimiles in eum & pro uno decem concitare poſſe, qui pari immodeſtia eum pro merito tractare, pariq; convitiorum cano collutulare, & cavillationum, quoad meretur, ſarcaſmis proſcindere non ſubterfugerent; Sed quam tueor veritas & cauſæ meæ bonitas, & antiquæ, receptæ & tot ſeculis aſſertæ philo-

philoſophiæ immobilis & immutabilis caſtimonia, uniformitas & conſtantia non his præſidiis non defenſoribus iſtis, opus habent. Surgent undiquaq; philoſophiæ peripateticæ defenſores acerrimi & aſſertores judicioſiſſimi, qui hanc monſtroſarum opinionum colluviem acri abſtergent ſtrigili. Venerandi Theologi cumprimis ſuo officio defuturi non ſunt in jugulandis hæreſibus hactenus damnatis, & per hos novitios veteratores poſtliminio ex orco reſuſcitatis, de Atomorum ad corporum generationem & compoſitionem conglomerantium confluentia, deque item animarum beſtialium actu entitativo, extra propriam materiam emigratione, remigratione, exiſtentia; unde & damnatiſſima metempſychoſis Pythagoreorum, & gentilium palingeneſia repullulaſcit, & in hiantia diſcentium ora infunditur, & ingeniis novarum vel monſtroſarum opinionum prurigine calentibus inſtillatur. Nihil dicam, quamvis id ſummo jure mihi faciendum foret, hoc loco, de barbaro diſputandi ſeu potius vitilitigandi ab ipſo cæpto more, quo nec ipſa impudentia impudentius, aut inſcitia illiteratius & turpius quippiam ex ignorantiæ cæno convaſatum in ora eruditorum exſpuere potuiſſet; Et ne quid vobis, viri clariſſimi & literaturæ politioris arbitri à vero abhorrens aut tali virgula dignum, commemorare videar, unum vel alterum hujus farinæ,

quâ

quâ omnia, quæ adverſum me à Sennertiano Ganymede pro D. Sennerto edita ſcripta intimitus imbuta & delibuta ſunt, è meditullio eorum excerptum, huc arceſſam. Cum in diſp. mea de form. orig. theſ.21 omnia ex iis generari in quæ per corruptionem ſolvuntur, dixiſſem, & hoc Ariſtotelico invictæ veritatis principio demonſtrarem omnia ſublunaria corpora ex elementis conſtare materialiter, adeoq́; ex iis generari: contra quæ (miſſis & non recitatis cæteris blateramentis) ſic inſurgit in tract. de form. orig. fol.216. In quodcunque quid reſolvitur, ex eo etiam generatur; Caſeus in vermes reſolvitur: Ergo etiam caſeus è vermibus generatur. Seu, equus & taurus in vermes reſolvuntur. Ergo Equus & Taurus è vermibus generantur. Minorem mei argumenti, quâ aſſumo omnia reſolvi demum in elementa, falſam eſſe ait, quia rerum naturalium ſpecies in atomos impatibiles & intranſmutabiles ſolvantur in tract. de formar. orig. cum tamen ipſe ejus, quam defendit præceptor D. Sennert. per atomos intelligat ipſa elementa in minimas partes redacta in tract. de Gal. cum Chym. conſ. & diſſ. c.12. fol.359. Ejuſdem ſortis & coloris ſunt, quæ adverſus invictum illud antiquitatis principium à me allegatum, Forma & formatum ſunt tempore ſimul, & poſitâ formâ ponitur formatum, effutit. Sic enim contra hoc inſurgit in tract. de form. orig. fol.120. Poſitâ

formâ

formâ ponitur formatum, poſt mortem Petri ponitur forma Petri, ergo poſt mortem Petri ponitur Petrus. Vel, poſitâ formâ ponitur formatum. In manu ponitur forma hominis. Ergo manus eſt homo. Item, in ſurculo ponitur forma quercus, ergo ſurculus eſt quercus, & eodem tract. fol. 139, *probare vult quod forma & anima ſcarabæi ſit actu in cadavere equi, & actu in ſterquilinio, quod ſecundum Ariſtot. animarum ſint omnia plena; quo argumento & aſini animam in tali argumentatore eſſe, concludere fas ſit. Sic rerum formæ & animæ extra materiam propriam, ubi non informant, illis eſſe poſſunt, veluti in vaſe, vel alicubi, ut cornicatur eodẽ de form. orig. tr. fol.* 121. *Cum allegarem in diſp. mea de form. orig. theſ.* 5. *Peripateticorũ invictiſſimæ veritatis regulam: Omne quod fit, fit ex eo quod eſt in potentia, ab illo quod eſt actu, reſpondere non veretur in tract. de form. orig. fol.* 94 *hunc eſſe canonem ſcholaſticorum, tot ambiguitatibus involutum, ut ipſi vix ſcholaſtici eum explicare ſufficiant. Videte politioris literaturæ triumviri, quam ſplendide ipſum Sennerti Ganymedem & propugnatorem cavillari & mentiri non pudeat. Canon enim ille, ut eruditis notum, exſtat apud Ariſt. l.* 2. *de gener. anim. c.* 1. *Si ex ignorantiâ ſic loquatur Ganymedes Sennertianus Sperlingerus, dignus non eſt officio, quo fungitur; ſi ex malitia & calumniandi libidine,*

ab

ab eruditis ſcuticam meretur. Et quid eſt, quod regulam hanc ſcholaſticorum eſſe canonem lectori perſuadere velit; an hoc ipſo eandem falſitatis ſuſpectam reddere volet, quia à ſcholaſticis edita aut prolata? cum tamen ipſe D.Senn. lib. de Gal.cum Chym. conſ.ſuper regulâ,malâ fide parique veritate, qua hic Canon à Ganymede & diſcipulo allegatur ex ſcholaſticorum eminentiſſimo D.Alberto arceſſitâ fundamentum totius doctrinæ de formarum origine, & per ſui multiplicationem propagatione ſtruat ponatque. Cum enim Zabarell. lib. de ſenſ. agent. c.5. ageret de propagatione formarum accidentalium & cum primis quomodò ſenſiles qualitates ſpeciem ſpiritalem in organo ſenſus producerent, concluderetque,formam accidentalem eſſe ſui multiplicativam, D. Senn. hoc arrepto, & quidem malâ fide tranſlato & recitato docet, de omni forma ſubſtantiali illud intelligendum eſſe, cum tamen conceptis verbis Zabarell. ex Alberto ibi contrarium ſtatuat, vide hac de re diſput.2. theſ.1.2.3 & 4. Eccum, Lector,ubi præceptorem non puduit in principiis falſo allegatis, & contra authorum mentem tortis & coloratis, ponere fundamenta totius diſputationis de formarum generatione, ita præceptoris veſtigia ponè ſecutus diſcipulus & Ganymedes ejus audacter mentiri, calumniari, & novam ſectam mendaciis,cavillationibus,ſarcaſmis & calumniis

tueri

tueri ſuſtinuit. Nunquid eſt impudentiſſima calumnia, ex allegata à me in diſp. de morb. ſubſt. th.40 peripateticorum tritiſſimâ regulâ, qua dicunt, quod cauſa inducens ultimam diſpoſitionem, ſit cauſa introductionis formæ: ipſum in tract. de form. orig. fol. 306 exprimere & excutere velle, Freitagium ſtatuere animam rationalem educi è potentia materiæ. Vide hac de re diſp. meam 1. de form. orig. theſ.14. Huc pertinet, quod cum dicam in diſp. de morb. ſubſt. th. 16 formam ſeu ſeparabilem ſeu inſeparabilem, nullam generare qualitatem niſi ex ſubjectæ materiæ potentia, veterator ille exſculpere connititur, & in vulgus doctorum proclamat & ſcribit D. Freitagium ſtatuere & dicere animam rationalem ſuas qualitates ſeu potentias ſeu eſſentiam ipſam ex potentia materiæ educere. Cum in diſp. de morb. ſubſt. th.23 dixiſſem calorem nativum eſſe quaſi entelechiam viventium, idque ſtylo & more claſſicorum philoſophorum & medicorum, verbiſq; ipſius Cratonis ex epiſtolâ in Scholtzianis 116, rabidus ille veterator q.6. in tr. de morb. ſubſt. ex verbis iſtis torquere nititur, me dicere & ſtatuere calidum innatum eſſe formam, quod in tract. de morb. ſubſt. non unis in locis, & quæſt. 6. except. 7. R. 4. crepat, dixi calidum eſſe quaſi entelechiam, non ipſam entelechiam. Et ſi dixiſſem, cum Cratone loco citato locutus fuiſſem, qui calidum innatum partium omnium

nium ἐντελέχειαν *vocat, non ignarus apud eruditos* ἐντελέχειαν *non ſemper denotare formam, uti & ipſe D. Senn. in phyſic. fatetur. Hic fraudulenter & veteratoriè omiſit vocabulũ,* quaſi, *ut occaſionem calumniandi fæneraretur, & lectori imponeret virulentus ille & mendaciſſimus calumniator. Calidum vero illud innatum dicit ratione ſui omnis caliditatis eſſe expers, & ſi quis ex calore velit metiri eſſentiam caloris innati, vel ex hoc fundamento identitatem colligere, ei jubet, ut videat, ne ipſam animam rationalem faciat elementarem. Ex quo perſpicuum fit ipſum ſtatuere calidum innatum æquè ſuperelementaris eſſe conditionis, quam ſit ipſa noſtra anima. In quo turpiter oggannit ſuo præceptori, qui ex calore ut accidens eſt, & ſubjecto, quod ſpiritum vult eſſe, concretum ait eſſe & conſtare, id quod propriè calidum innatum nominamus lib.* 1. *Inſt. c.* 5. *Caliditatem vero Ganymedes non in calido innato, quod ille ſpiritum vocat, tanquam in ſubjecto eſſe, & cum eo calidi nativi rationem perficere, ſed eſſe & manere in ſuo igne, ſeu minutiſſimis particulis igneis, quas atomos igneas vocat, per totam calidi innati ſubſtantiam diſperſis, impudenter ſcribit. Vide monſtroſam novatorum & Ganymedis Sennertiani opinionem: Homo non amplius calet ex calido innato, ſed ex atomis igneis diſperſis in corpore & per corpus. Sunt vero atomi igneæ, dicẽte D. Senn.*

minimæ

minimæ ignis particulæ, quæ ſi diſperſæ ſunt per ſubſtantiam calidi innati, non ex iis ut parte miſti conſtamus, ſed quatenus actu actualiter ineſt ignis, iiſque ut igne immiſſo fornax, concaleſcimus; & ne putes, me ſecus, quã ſcripſerit Ganymedes referre, vide tract. ejus de morb. ſubſt. quæſt. 7. except. 4. R℞.1. Huc refer quod in tract. de cal. innat. fol. 60. & 61 comminiſcitur, in violentâ morte manere calidum innatum, in naturali extingui, item cadaver fieri privatione vitæ ſive adſit, ſive abſit calidũ innatum, cum tamen mors hactenus definita ſit per extinctionem caloris nativi. Adeo monſtroſa paradoxa ex ſcholâ Sennerti diſſeminantur, & pro conferruminanda nova ſecta cuduntur, & tamen graviſſimè peccat ſi quis D. Sennertum nominet paradoxologum. Cæterum ipſe D. Senn. cum propugnatore Sperlingero in ſuis ubivis paginarum ſcriptis ferè crepant, quod cum nemo inventus ſit qui tanto novæ ſectæ Monarchæ & Væjovi (ſuorum videl. aſſentatorum & creaturarum judicio) quem illi Magnum vocant, contradicere auſus fuerit, unum ſurrexiſſe Freitagium qui invidia percitus & livore perculſus nõ dubitaverit adverſus tantum iſtum Alciden aut Goliathum arma ſumere, & in arenam prodire; id quia calumnioſè &

non ſine crimine falſi mihi impingatur, in ipſorum calumniantium buccam buccinamq́ remitto; ſiquidem neminem adverſus paradoxa Sennertiana inſurrexiſſe notoriæ falſitatis eſt effatum. Quid enim fecit Georgius Martini, quid alii, quos recenſere ſuperſedeo? quid, quandoquidem à nullis Academiis hæc novæ doctrinæ fex recepta ſit, ſed promiſcuè ferè omnibus inviſa & execrabilis eſſe judicetur, futurum, facturiq́ ſint veteris veritatis & philoſophiæ Ariſtotelicæ antiſtites & athletæ, in procinctu eſt, ut experiatur, & brevi intelligat. De invidia & livore, quo me ad acuendum ſtylum protractum eſſe occinit, potius mirari, quam diſceptatione prolixâ refellere ſubit; nihil, ſi ſcriptorũ D. Senn. ambages curſim perambules, aut etiam anatomen inſtituas, reperire eſt, quod cuiquam mediocriter literato, & in ſtudiis Medicis artiſq́ apicibus verſato invidiæ bilem concitare poſſit. Quid enim ipſe in ſuis prodit & tradit ſcriptis, quod non fruſtillatim ex aliis hinc inde emendicarit vel transſcripſerit, & in vaſtæ Iliadis operiſque tumorem conſarcinatum, conglobatumque amplis voluminibus foras protruſerit? Nihil hic novi, ſive paradoxa priſcorum, à ſeculis antiquata, ſive neotericorum monſtroſa & execrabilia Paracelſi-

corum

corum (quos Chymicorum honeſtiore titulo nuncupat) dogmata, ab ipſo in proſcenium denuò protracta, ſive Ariſtotelicæ & Galenicæ Medicinæ, veros, quos iis inſpergit, miſcet & confermentat, canones ſpectes. Ex his omnibus in unum chaos, congeriem & miſcellam protruſis confuſiſq́; tertiam quandam ſectam ſemiveram & ſemifalſam, quæ ſit tam ficti pravique tenax quàm nuncia veri, cujus ipſe feratur monarcha, conferruminare induxit. Potiora vero novæ ſectæ principia, quibus veterem Ariſtotelicam philoſophiam arietare, quæque eâdem prorſus exartuatâ & ſtirpitus eruderatâ, ſurrogare nititur, ex Paracelſo & ejus potiore interprete Severino aliisq́; de fece & farinâ iſtius popelli ſequaculis, legit. Mihi ſane ſi hæc commentatiuncula prolixitatē aliquam toleraret, haud difficile eſſet demonſtratum ire, quomodò nova illa Sennertianæ ſectæ dogmata, ex Paracelſi & Severini blaſphemiis delibata ſint, & ut nihil dicam de tribus à Paracelſo reductis Chymicorum, uti Sennertus nuncupat, principiis, pervideamus doctrinam de rerum generatione à Paracelſo traditam, à Severino repetitam, & à Sennerto in ſua nova ſecta recuſam, eiq́; pro fundamento inſertam. Formas, quas Paracelſus ſemina & ſpiritus nuncupat, & ex Orco vel

Iliade in mundanam ſcenam vult prodire, ſcientia ait & vitali poteſtate præditas, & ex elementis & corporum principiis fabricare ſibi corpora ſuæ ſpeciei conformia, quæ dehinc generẽt filios, nepoteſq́ʒ, & qui depoſitâ perſonâ corporeâ revertantur ad Orcum & Iliadum, ad avos & proavos, redituri, certo & prædeſtinato tempore, fabricantes denuò ex elementis & principiis corpus, ut eandem fabulam agant. Sunt itaque ipſis formæ & ſpiritus immortales, & generatio nihil aliud, quam ſpirituum ex Iliado fluxus & refluxus. Ipſis generatio non eſt proceſſus à non eſſe ad eſſe, ſed ab eſſe ad eſſe, nec corruptio ab eſſe ad non eſſe. Videte nunc originẽ & fundamentum principiorum novæ ſectæ Sennertianæ. Omnia ipſe per Sperlingerum ſtatuit eſſe actu, non dari ens in potentia. Nihil igitur à non eſſe ad eſſe progreditur. Sic forma generati erat prius actu in generante & forma generati eſt pars formæ generantis, juxta Scaligerum, quem ſequuntur. Quod formæ vel animæ vel ſpiritus ſibi fabricent corpus, quid hoc eſt aliud, quam quod dicit Paracelſus cum Severino, ſpiritus illos certa ſcientia inſtructos ex elementis & principiis ſibi coagmentare corpus eoque procedere in ſcenam mundanam, qua depoſita eant, redeant, unde rerum ortus & interi-

interitus. Hinc ille actus formarum & animarum entitativus, quo & anima ſcarabæi ſeorſim exiſtere, ex equi cadavere in ſterquilinium migrare, ipſi inſidere, aut cum eo volvi & circumequitare, & ex ipſo domicilium ſeu proximum corpus condere poſſit. Hinc animæ reduces ad ſuum domiciliū, deſertumq́ ac demortuum lar remeantes id revivificant, undè palingeneſia. Vide in tract. de form orig. Sperling. fol. 113. 114 *&* 139. *Ex hac blaſphemia Chriſtianis probare & confirmare nituntur reſurrectionem mortuorum, qua de re in ipſis meis diſputationibus prolixius actum eſt. Ex hoc fabulamento fabula de eſſentia ſpirituali roſæ in cinere aut ſale deliteſcente & admoto calore ex ea ſpiritualiter exſiliente nata eſt; in hoc fundatur. Hinc metempſychoſes Pythagoricæ deducuntur. Hinc illud quod D. Senn. in tract. de Gal. cum Chym. conſ. & diſſ. c.*12. *f.*336. *abſurdè aſtruit, unam formam ſeu animam, diverſa aſſumendo & fabricando corporum ſchemata, diverſas rerum ſtatuere ſpecies, & ſic ex ovo erucam, ex erucâ fieri papilionem, ex papilione necydalum, &c. In hoc autem monſtroſo paradoxo diſcipulus ſeu Ganymedes & ipſe D. Senn. non conveniunt, ſiquidem has formas quas ille ſubordinatas nuncupat præceptor ſolum connaſci & cum*

ſpeciebus rerum propagari ; diſcipulus vero formas unà cum ſuis corpuſculis, vel corpuſcula ſuis formis conſtantia & connaſci & cum ſpeciebus rerum propagari ſtatuit in tract. de form. orig. adverſus me edito fol. 27. Quod igitur ex cadavere bovis & leonis apis, aſini crabrones, equi ſcarabæi generantur, quod ex hominum aliorumq́ animantium cadaveribus, innumera vermium & beſtiolarum genera, & item bufones, ſerpentes lacerti, aliaq́s prognaſcantur animalcula, idcirco ſit, quia in primo rerum ortu ſub mundi infantia, primulum iis concreata, & continua ex hoc generationis ſerie, cum iiſdem tanquam ſpeciebus & earum formis ſubordinata, vel ut naſutiori & acutiori ſcil. diſcipulo Sperling. placet, corpuſcula ſubordinata propagantur. Sed quo fine hæc ſint concreata & poſteà ſingulis connata majorum rerum ſpeciebus, non immerito quærit ipſe idem Ganymedes dicto de form. orig. tract. fol. 31. Ipſe quærit & tale conceptis his verbis dat reſponſum: Si quærimus de fine formarum latentium , & in corporibus adhuc ſalvis & integris degentium, dicimus facere illas, cum ſuis materiis ad conſtitutionem corporis. Tali equit corpore equus, tali leo, tali canis, tali quercus, tali ſalix. Vide Lector & mirare calloſam, depudicatā & perfrictam

frontem

frontem impudentis iſtius defenſoris Sennertiani, & tergum ſcutica dignum. An ex innumeris vermibus ſerpentibus, bufonibus, ranis, & ſimul ex pulvere humanum corpus primo fecit Deus & his omnibus taliter vel horum formis conſtans propagari voluit? Hæc ſi pro ſe Senn. ſcribi & effutiri patitur, ſi talia ſiccis oculis intuetur, vel ipſe docuit, aut uti pro ſe ſic ſcribat, Ganymedi ſuo inſtillavit, meritò ſapientes & pii literarum cultores in hanc ſuſpicionem veniunt, D. Senn. citius quævis opinionum monſtra, vel ex ipſo orco accerſita, velle amplecti, & pro ſuæ ſemel malè conceptæ ſententiæ defenſione produci, quam à pertinaci falſitatis, ſacris & profanis literis exitium interminantis, tuendæ ſtudio remittere, imò malle omnia ſurſum deorſum ruere, cælo maria omnia miſceri, Academiarum & Eccleſiarum tranquillitatem in procellas agi, quam veritati, licet ſatis ſuperque convictus ſit, cedere; deploratæ ſanè hoc malitiæ, inſaturabilis odii, faſtuoſi ſupercilii & ambitus evidentiſſimum argumentum eſt. Nihil tam fædè, abſurdè, monſtroſè, veteratoriè, ſycophanticè & fraudulenter dictum, factum, geſtum, quod dum pro ſtatuminandâ monarchiâ novæ ſectæ Sennertianæ facit, ad palatum D. Sennert. non ſit. Quicquid ſycophanta & Ganymedes D.

Sennerti facit, dummodò pro D. Sennerto facit, Sennerto placet. Cum rationibus & argumentis ex ſacris & philoſophiæ verioris, immobilis, invictæ & ſeculorum omnium conſenſu firmatæ & indubitatæ adytis arceſſitis ſatisfacere, eaq; vel refellere vel evertere, nec in eorum, nec in cujuſquam aſſentatoris Sennertiani ſeu alterius heterocliti ſpinturnicis ſit poteſtate, ad calumnias, cavillationes, ſarcaſmos & mendacia & neſcio quas non malas artes & fraudes devolvuntur: adeoque novæ ſectæ regnum his præſidiis & defenſoribus armandum, circumvallandum & muniendum erat. Strictim id intelliges, amice Lector ex iis, quæ ex immenſo illo pelago in hoc præloquium vel apologiam produxi, plura ubi in ipſum velifices mare, & opinione tua longè monſtroſiora ubivis locorum invenies, meque tibi haut falſa recitaſſe, comperies. Vt vero ſic exiſtimes ex immenſo iſto vado paucula quædam excerpta, miſſis & præteritis innumeris aliis, ut brevitati conſulam, huc transferam, vel jam memorata paucis retexam & ob oculos ponam: in his ſunt futiles & inutiles & barbaræ diſtinctiones, impudentes contradictiones, mendacia & calumniæ turpiſſimæ, negationes principiorum antiquitatis effrontes.

Diſtin-

Diſtinctiones futiles hæ ſunt.

ACtus alios eſſe Entitativos, alios formativos. Actu Entitativo formas rerum corruptibilium poſſe eſſe in materia ubi non informent. Quia actus entitativus ſit formæ entitas ſeu eſſentia & ſubſtantia. *Sperling. in tr. de form. orig. fol.* 113.

Hujus formæ beneficio, aves, inſecta, aliaq; animalcula, hyeme intermortua, ſub vernum (eccum palingeneſiam aut metempſychoſin) tempus reviviſcunt, & anima ſcarabæi actu eſt in cadavere equi & in ſterquilinio, &c. & hoc modo poſſunt animarum eſſe omnia plena. Vide ibid. fol. 138, *ſic forma poteſt eſſe in vaſe, vel in indiſpoſito & inelaborato ſubjecto fol.* 121. *Actum formalem vel formativum, alium eſſe ſimpliciter talem, alium ſecundum quid: ibidem fol.* 119, 251, 265.

Formarum corporum corruptibilium alias eſſe ſpecificas, alias ſubordinatas, alias accidentarias, alias partiales, *tract. citato de formar. orig. fol.* 3.

Nota: has omnes non negat eſſe ſubſtantiales, tria vero poſtrema formarum genera, non eſſe de cenſu ſpecificarum docet.

Subordinatæ ſub ſpecificarum dominio latitant, eoq; ceſſante proprium ſibi corpus exſtruunt. Ita ſcarabæi forma eſt

ſubordinata ſpecificę formę equi, & moriente equo, liberatur jugo ſpecificæ formæ, & ex cadavere equi exſtruit ſibi propriũ domicilium, vel ex ſterquilinio. *Hoc pacto ex equorum cadaveribus naſcuntur ſcarabæi, ex leonum apes, &c. Et ibidem fol. 27. ſubornatas has formas in & cum ſpeciebus mundi fuiſſe creatas. Imo* Deum cũ equum vel grande animal formarit, non ſolum animam equi, vel illius animalis formaſſe, ſed magna iſta corpora infinitis ferme corpuſculis, ſuis itidem formis conſtantibus, gaudentia creaviſſe.

Hoc certè ignoravit Moſes.

Accidentariæ formæ illis ſunt, quæ per accidens corporibus ad tempus inſunt. Ita murium formæ in naves onerarias importantur, *dum mures in mercibus latitantes eo deferuntur: Et grylli cum veſtibus in hypocauſta pura deferuntur. Ibidem fol. 4. & 32.*

Partiales formæ ſunt, quæ (licet ſpecificæ non ſunt) certam animalibus partem integrantem conſtituunt. Hæc omnia formarum genera non per inductionem, ſed per traductionem propagari. Omnis generatio fit D. Sennerto per propagationem efficientis: ea propagatur illi ingeneratum per diviſionem, unde inquit Sperling. in tract. de formar. orig.

fol.

fol.21. generans communicare genito ſuam eſſentiam, quia communicat formam.

Id effatum cum videret abſurdum, quod videlicet anima canis filii ſit pars animæ canis patris, juxta Scaligerum & D.Sennertum, Vanam, futilem & inutilem adfert diſtinctionem Sperling. l. c. fol. 76. dictitans, diviſionem hanc eſſe non numericam ſed ſpecificam: quod repetit fol. 313. ubi dicit generationem fieri per propagationem identicarum formarum, duplicem habere ſenſum. Primus eſt de identitate numerica, & ſic non fieri generationem per propagationem formarum. Secundus, de ſpecifica identitate, & ſic fieri propagationem identicarum formarum. Verum lector vide trifatidam veteratoris diſtinctionem. Ipſemet lib. cit. fol. 80. fateri cogitur ſingularium proprie eſſe gignere & gigni. Generationem fieri per propagationem, quia ſe multiplicent individua, fierique propagationem ſpecierum, quia ſe multiplicent individua, quorum proprium eſt gignere & gigni. Si itaque individuum eſt quod propriè gignit, & generatio fit per diviſionem formæ generantis, neceſſario forma identica individui gignentis dividitur, quia per hanc propagatur forma ſpeciei, non vero propagatur forma individui per formam ſpeciei., ſine individui

forma

forma generante & ſe dividente. Unde Scaliger, ex quo hanc opinionem D. Sennertus tranſtulit, dicebat, formam canis filii eſſe partem formæ canis patris, & ſpecies non dividi quia equus non dividatur in plures equos. Id luculentius patet ex D. Sennerto lib. de form. orig. c. 9. fol. 203. ubi ait, formas animatorum dividi ad diviſionem materiæ unde aliquid animæ cum corporis parte avulſum, ſibi ſimile fabricat corpus. Talis deciſio formæ & materiæ, à generante fit in animantibus per ſemen, quod animæ & corporis apoſpaſma nominat ibidem. Et in arboribus per ramos avulſos, in aliis plantis per radices, &c. An non ibi individuum eſt quod communicat & materiam & formæ partem. Hic vide, amice lector, rabioſam mentiendi & cavillandi fraudulentam libidinem in ſubornato Sperlingero. de his plura in ſequentibus. Hinc patet vana & inanis diſtinctio Sperl. l. c. fol. 368, inter ſemina ſpecierum & ſemina individuorum. Quis unquam ſpeciebus affinxit ſemina alia quam quæ ſunt individuorum per quas propagentur ſpecies, an alia & diverſa ſpecierum, alia individuorum ejuſdem ſpeciei ſemina. vide brutas diſtinctiones, & cavillatoris, quicquid in buccam venit, mentiri non erubeſcentis effrontē impudentiam, ut lectori fucum faciat.

Scalig. ex VI. IV

Mor-

Mortem Naturalem diſtinguit à Violenta, quod in hac ſalvum & illæſum maneat calidum innatum, in illa pereat. Vide Sperling. in tract. de morb. ſubſtant. Quæſt. 6. except. 1. Rƚ. 11. Et idem in tract. de calid. innato fol. 61. ait calidum innatum exſtingui in morte naturali, in violenta manere reſiduum : unde cadaver fiat privatione vitæ, ſive abſit calidum innatum ſive adſit : Sed mi lector, ante hos moroſophos, mors in vera & ſana philoſophia univerſim definita eſt, per exſtinctionem caloris nativi. E plurimis inutilibus diſtinctiunculis, decerpſimus aliquas, de cæteris agitur in ipſo ſequenti opere, ſequuntur novæ ſectæ excerptæ è multis nonnullæ

Contradictiones.

D*Sennertus lib. de Gal. cum Chym. conſenſ. & diſſ. c. 9. fol. 9. inquit, abſurdum & à veritate maxime alienum eſſe, fieri formam ex nihilo. Ejus defenſor & Ganimedes Sperling. contrà aſſerit in tract. de form. orig. fol. 61 & fol. 119 formas fieri ex nihilo.*

D. Sennertus lib. de Gal. cum Chym. conſ. & diſſ. c. 9. fol. 217 animam in ſemine à generante tanquam avulſam partem ſeu ἀπόσπασμα, *ex ſemine partim & attracto ſanguine formare partes ſingulas; idem affirmat Ganimedes Sperling. in tract. de form. orig. fol. 295.*

Verum

Verum in eodem tract. fol. 165. idem inquit, carnem, oſſa, venas aliaſq́ partes in ſemine, quod apoſpaſma corporis ſit, protenus habuiſſe ſuas formas, quæ poſtmodum certum ſibi ædificent domicilium. Et ibidem fol. 34. In ſemine quicquid formarum eſſentialiter eſt in toto animalis corpore, id actu infuiſſe in ſemine. Ex quibus evidens & impudens prima, deinde & ſecunda notanda, præcedente ibidem fol. 164 tradita contradictio, cum ait, ſpecies mundi habere vim ſeſe multiplicandi, non ſpecierum partes, & jam dicat, quod hæ partiũ formæ in ſemine & cum ſemine transferuntur, habeantq́ vim ſeſe multiplicandi, quia ſunt apoſpaſmata formarum totius partium fabricantia ſibi proprium domicilium. Partium vero formas actu eſſe in ſemine ſat clare dixit.

Altera ibidem contradictio eſt, quod dubitet an partes corporis formis ſubſtantialibus à ſe invicem differant. Certè ſi habent eas, per eas differunt. Habere autem eas D. Sennertus lib. V. Inſtit. p. 1. c. 2. affirmat, nec id diffitetur Ganimedes l. c. fol. 6.

Ganimedes, Sperling. in tract. de formar. orig. fol. 3. diſtinguit formas in ſpecificas, ſubordinatas, accidentarias & partiales. fol. ib. 31. accidentarias quo ad originem cum ſpecificis

ficis

ficis vel ſubordinatis convenire ait; quare itaq; contradiſtinguuntur ſpecificis, ac ſi non ſint de numero ſpeſificarum?

Sed & ſui immemor Sperling. ſibi non conſtat, quando inquit formas ſubordinatas ineſſe certis ſpeciebus corporum naturalium, & ſub formarum ſpecificarum dominio latitare, donec pereunte ſpecificâ, dominium tenente, ejuſq; excuſſo jugo ad officium formale ſe accingunt, & idoneum domicilium ſibi exſtruunt. Sic forma ſcarabæi, equi formæ ſpecificæ ſubdita, defuncto equo, ex cadavere ejus format ſibi corpus.

Et deinde fol. 27. ſcribit, egregia illa magnorum animalium corpora, variis & infinitis ferè corpuſculis ſuis formis conſtantibus, gaudentia, eſſe à Deo creata, quæ anomaliâ introductâ hoc eſt pereunte animali, ſeu ejus ſpecificâ formâ, ſeſe oſtentent, ſuumque alacri ſtudio creatorem celebrent.

Harum formarum (ſubordinatarum) in corporibus adhuc ſalvis & integris degentium finem, eſſe ait, quod (illæ formæ, ſcilicet ſcarabæorum, apum, crabronum, bufonum & innumerorum vermium) cum ſuis materiis faciant ad conſtitutionem corporis, quia eguit (inquit) tali corpore equus, tali canis, tali leo, quercus, ſalix.

Si

Si itaque formæ inſunt cum ſuis corpuſculis & materiis, non faciunt vel exſtruunt ſibi corpora tunc demum, quando pereunte formâ animalis ſpecifica, ſub cujus dominio erant, ſui juris fiunt. Sed cum ſplendidum ſit mendacium & moroſophorum commentum, tum ſolas formas animalculorum minimorum grandioribus, quam cum ſuis corporibus concreatas & connatas ineſſe, non eſt quod id penſiculatius excutiamus, quia hujus impudentis & turpis commenti recitatio, ejuſdem eſt ſufficiens rejectio.

Sed & in his pudendis commentis novi moroſophi ſibi non conſtant. Sennertus enim lib. de Gal. cum Chym. conſ. & diſſ. c. 12. fol. 336 formas ſubordinatas vocat illas, quæ principi formæ ſubjiciantur, ita ut illa princeps, alterius poſſit eſſe ſubordinata, & quæ fuerat ſubordinata, fiat princeps eique ſerviat, rem in lolio & tritico declarat: Id fieri ait, cum in uno ſemine ſunt plures formæ, quæ alternis principatum gerant ſibiq; mutuò ſuccedant, undè ex ovo fiat verruca, deinde bombix, hinc nycedalus.

Vel ne paucis erroribus ſanam philoſophiam contaminent, generationũ ex unâ re ſucceſſionem ait ibid. fieri D. Sennertus cum una forma, ſub diverſo ſchemate corpo-

corporis in naturæ theatrum progreditur, vel cum una anima (*ut loquitur ibidem*) diverſa corpora induit. Sic cum anima erucæ induit corpus bombycis, fit bombix; cum eadem induit corpus nycedali, fit nycedalus. Vide lector, hic res non amplius per formam eſt, quod eſt, ſed per materiam, *& ſubjectum. Hæc ut concilientur & ſpecie veri obducantur, innumeris opus erit Sennertianorũ Phormionum mendaciis, calumniis, ſarcaſmis, quibus proſcindant veteris philoſophiæ veritatem defendentes.*

Miſſis his progredimur ad antilogias, quas de calido nativo ebuccinant.

D. Sennertus lib. I. *Inſtit. c.* 4. *docet, in calida & humida temperie, quatenus ſiccitatem & frigiditatem moderatè ſuperat, conſiſtere ſanitatem & vitam, & ab illa omnes naturæ humanæ actiones perfici. Id juxta D. Senn. negat Ganymedes Sperling in tract. de morbis ſubſt. quæſt.* VI. ℞. I. *Quia nullum agens agat ſupra vires proprias. Quocirca iſte calor, ſcilicet elementaris, licet ab anima directus, nec coquit, nec vivificat, neque opera naturæ facit; ſed tantum, uti volunt, calefacit.*

Calorem innatum ex duabus rebus conſtare ait D. Sennertus lib. I. *Inſtitut. c.* 5. *videl. qualitate (quæ neceſſariò eſt elementaris) caloris, & ſubjecto; ſeu eſſe concretum quid ex qualitate & ſub-*

jecto. Subjectum illi eſt ſpiritus inſitus cum humido primigenio, vel ſolus ſpiritus.

Ganymedes Sennert. Sperling. in tract. de morb. ſubſt. quæſt. VII. *Except.* 4. *ait caliditatem non eſſe in illo ſubjecto ſeu ſpiritu inſito, cum quo concreta conſtituere dicitur D. Sennerto calidi innati naturam, ſed eſſe in ſuo igne & minutiſſimis particulis igneis, per totam calidi innati ſubſtantiam diſperſis. Spiritum iſtum inſitum æquè parum calidum eſſe, quàm ſit anima rationalis, niſi quis & hanc velit eſſe elementarem. Calor itaque qui ad tactum calefacit, eſt elementaris, & in hoc non conſiſtit novatoribus vita, ſed in ſpiritu ſuperelementari.*

Verum D. Sennertus lib. I. *Inſtit. c.* 4. *fol. mihi* 21. *vitam conſiſtere in calore, qui ad tactum calefacit, & quo abolito refrigeretur corpus, aperte docet.*

Idem D. Sennertus eodem cap. 28 *ait, per calidum innatum intelligi non nudam qualitatem, ſed comprehendi calori ſubjectam aëream & oleoſam ſubſtantiam, quæ humidum radicale primigenium vocatur: Sequenti vero quinto cap. calidum illud innatum non eſſe elementaris naturæ & originis, quoad ſubſtantiam ſuam materialem, multis argumentis contendit. Verum in hoc pedem figere ſubveritus, ait ib. fol.* 38, *vel fatendum hunc ſpiritum non eſſe ex elementis, vel ſi conce-*

datur

datur eſſe elementaris, ſtatuendũ eſt, habere ſuam eſſentiam à peculiari formâ, à quâ nobiliores ejus actiones. (hic primò nota amice lector, quod juxta hoc effatum nobilior forma ſpiritum & inſtrumentum elementare poſſit dirigere, ad operationes ſua natura altiores perficiendum, quod omnibus modis negat. Sennertus & ejus Ganymedes in tract. de morbis ſubſtant. & calido innato.)

Hic igitur ſtatuit calidum innatum conſtare formâ & materiâ elementari. Verùm lib. 5. Inſtit. p. c. 2. formam illam non habere pro ſubjecto materiam elementarem, neque ſubjectum illud, quod ait eſſe ſpiritum & humidum radicale, & calidum innatum, & balſamum naturale appellatur, eſſe elementaris conditionis, docet, & hanc formam (quia nulla forma ipſi eſt ex potentia materiæ) cum ſua materiâ ſuperelementari, conſtituere quintam eſſentiam, quando ab elementarium corporum vinculis, & fæce liberatur, ferè incorruptibilem. Ex hoc fundamento proſiliunt quintæ eſſentiæ roſarum, ſeu roſa ſpiritualis Quercetani, ex cinere levi admoto calore ſurgens, homines humullive Paracelſici, aſtrales & incorruptibiles, & æterna immortaliſq; juventus, rejectis & delibratis elementorum vinculis repuellaſcunt vetulæ, menſtrua recuperant, novâ fæcunditate perfunduntur; Huc ſpectant ſpiritus Paracelſi, ex elementis corpora fabricantes, aſſumentes, fabulam

ſuam in hac mundi ſcena agentes, & depoſito elementari corpore in Iliadum ſuum remeantes. Sed miſſis nugarum centonibus & cæteris contradictionibus multifariis progrediamur ad aliquam enumerationem principiorum antiquitatis fundamentalium : de omnibus quæ negant non dicemus.

Principiorum ſolidorum antiquæ veritatis, quæ negant & cavillantur novitii Veteratores, commemoratio.

*CAlorem ab animâ directum nihil amplius poſſe, quam calefacere, nec ab ulla forma poſſe ad alias ſuperioreſq; dirigi & intendi vires, vel ut ultra ſuæ ſpeciei vires agat, ait D. Sennertus lib.*1. *de Gal. cum Chym. conſ. & diſſ. c.*8. *fol.*175. *& in Inſtitut. & Sperling. in tract. de morbis ſubſtantiæ & de calido innato : non enim, inquit idem, anima vel forma ulla poteſt facere, ut calor frigefaciat.*

Hoc poſito cadit vetus & æternùm vera regula, quod calor dum ſervit & eſt inſtrumentum animæ, facit opera animæ, videlicet, vivificet, chylificet, chymificet, nutriat, dum ſequatur formam ignis, calfaciat, urat, &c. Et quod omne inſtrumentum agat virtute principalis.

Deinde negant poſitâ formâ poni formatum, & quod forma & formatum ſint tempore ſimul. Ganymedes Sperling. in tract. de formar. orig.

negant

negant & cavillantur principium Ariſtotelicum immobile, ex quibus quid componitur in ea demum reſolvitur, ogganniendo, Caſeus reſolvitur in vermes, ergo ex vermibus cõpoſitus eſt: Equus & taurus reſolvuntur in vermes, ergo ex vermibus generantur. Hæc ſunt verba impudentiſſimi cavillatoris Sperlingeri in tract. de formar. orig. fol. 216.

Negant res omnes ſublunares materialiter ex elementis conſtare, quia maximam partem ex atomis intransmutabilibus, & impaſſibilibus, ſpecie ab elementis diverſis factæ ſunt, garriente Ganymede Sperling. in tract. de formar. origine fol. 216 & 218, & 410.

Contrarium verò docet D. Sennertus lib. de Gal. cum Chym. conſ. & diſſ. c. 12. *fol.* 360 & 357. *ubi ait ſe intelligere per atomos elementa vel elementaria corpora in minimas partes redacta, ut mutuo ſe invicem contingere, & per miſtionem uniri poſſunt, quod ex Ariſt. Galen. Avicen. Scaligero affirmat, eamq́ʒ mentem fuiſſe Democrati arbitratur, licet contrarium ſcribat ejus diſcipulus & Ganymedes Sperling. deſperatâ causâ ad atomos confugiens.*

Immobile veritatis principium ab Ariſtot. lib. 2. *de Generat. animal. cap.* 2. *poſitum: Quod omne quod fit, fit ab illo quod actu eſt, ex illo quod potentia eſt: cavillatur & mentitur Ganymedes*

Sperling. in tract. de formar. orig. fol. 94 eſſe canonem ſcholaſticorum, tot ambiguitatibus involutum, ut vix ex illis explicari poſſit. ideoque pro dubio canone habet, eumq́; miſerè exartuat, eviſcerat, excarnificat, torquet, &c. Hinc negat uſitatiſſimum, & maximè irrefragabile veris omnibus philoſophis principium, quo dividitur ens, in hoc quod ſit vel actu vel potentia.

Tandem omnem potentialitatem è natura tollunt, omniaque actu eſſe quæ ſunt docent, id quod ex eorum generationis modo neceſſario ſequitur.

Generat enim omnis cauſa efficiens per communicationem ſuæ formæ, ex ſuâ eſſentiâ diviſæ, & illa forma jam actu eſt in efficiente, & actu eſt in effecto. Et ſic ſtatuminatur Paracelſi & Severini principium, quo affirmant, generationem eſſe progreſſum ab eſſe ad eſſe, & cadit antiquæ veritatis axioma, quò definitur, quod ſit mutatio à non eſſe ad eſſe.

Et cadit diſtinctio cauſarum in internas & externas, fitque efficiens, cauſa interna & formalis, & ingreditur effectum ejuſque eſſentiam conſtituit.

Hinc negant formas rerum corruptibilium (de anima rationali hic non agitur) ex potentiâ materiæ oriri, contra Ariſtotelem & totam peripateticæ philoſophiæ antiquitatem & indiremptum conſenſum. De his paulò ante parcius actum

actum in ipſo opere ſequenti uberius agetur. Demum ad mendacia & calumnias devolvuntur novatores.

Vltima novæ ſectæ columna & firmamentum, calumniæ & mendacia, partim paulo ante commemorata.

EX calumniarum numero non minima hæc eſt, quod cum citet & uſurpet Doctor Freitagius veriſſimam peripateticæ philoſophiæ regulã, quâ dicitur quod cauſa inducens ultimam diſpoſitionem, ſit quaſi introductio formæ. Ex eo juratus ille calumniator brutâ audaciâ, contrà omnem rationem, deducere & torquere velit Freitagium ſtatuere animam rationalem, contra omnem rationem ex elementorum craſi derivari, & è potentiâ materiæ educi: aitque jam ſeſe prodere, humile & craſſum Freitagii de anima rationali judicium: ſed eodem ſenſu, eadem intentione, eandem regulam uſurpat Toletus lib. 3. de animâ c. 5. textu 20. Quæſt. 17. neque tamen ullus bonorum ob hoc ipſi tale quippiam imputavit, vel affingere jure potuit. Idem mihi bonâ mente & manu mutilatus & truncatus Ganymedes viroſè & veteratoriè aſſuere conatur, in tract. de morb. ſubſtant. quæſt. 4. R. 11. Cum enim originem & cauſas qualitatum corporũ inquirens dixiſſem formam ſeparabilem ſeu inſeparabilem nullam generare qualitatem in re, niſi ex ſubjectæ materiæ poten-

tiâ (hæc ſunt formalia mea in theſi 16 diſput. de morbis ſubſtantiæ) iſte veterator ait me dicere, animam rationalem etiam ſuas qualitates, educere è potentia materiæ. Per animæ vero qualitates ille intelligit, ejus facultates & potentias, quas de eſſentia animæ eſſe non negamus. Vide impuriſſimi & male ſignati cavillatoris mendacium & calumniam atrociſſimam, ſcuticâ dignam. Ad eam verò, ſufficienter, in ipſo opere ſequente, reſponſum.

Huc pertinet, quod cum dixiſſem cum Cratone cæteriſque Medicis & philoſophis ſummis calidum innatum eſſe quaſi entelechiam viventium, idem veterator in tract. de morb. ſubſt. non veretur turpiſſimè mentiri & infami mendacio traducere, me dixiſſe calidum innatum eſſe formam, idque ex hoc quod dixeram eſſe quaſi entelechiam, quæ diſerta verba mea exſtant in diſp. de morb. ſubſt. th. 23.

Sed non eſt mirum talia patrare Ganymedem Sennerti, cum ipſum D. Senn. non pudeat in ſimili mendacio & falſatione textus, ut paulo ante notatum eſt, de propagatione formarum ſubſtantialium, per ſui multiplicationem, ſuæ aſſertionis & ſententiæ fundamentum ponere, quando lib. de Gal. cum Chym. conſ. & diſſ. fol. 196 ex Alberto & Zabarell. lib. de ſenſ. ag. c. 5. deducere conatur formas ſubſtantiales (de iis enim agit D. Senn. & inqui-

inquirit loco cit.) eſſe ſui multiplicativas, cum uterque id ibi de formarum accidentalium ſpiritali vel reali multiplicatione agat, non de ſubſtantiarum propagatione, cui textus ille, ſi integrum caput legatur, contrarius eſt. Inſpice ipſemet locum allegatum amice Lector.

Ad hæc mendacia, quibus miram & deliram ſuam novam ſectam ſtatuminare moliuntur novatores, pertinet Fabula de eſſentia roſæ ſpirituali in vitro è cinere pullulante. Et de Gallina auro nutrita & exinde intus deaurata, peneq́ in aurũ converſa. Prioris fabulæ aſſenſum apud cordatos & eruditos nullos impetrat D. Senn. etſi ſcribat Quercetanum vidiſſe tales eſſentias, verum digne ab eruditis hæc fabula ſalſo ſale fricata & exploſa eſt. Quod vero provocat D. Senn. ad hiſtoriam Cornarii de planta ex ſedimento in fundo vaſis aquæ deſtillatæ nata, id ipſum nihil juvare poteſt, ſiquidem illa roſæ eſſentia fuit ſpiritualis admoto calore è cinere exſurgens, eoq́ retracto relabens, hæc planta corporea ſubſtantia, ſtabilis ex elementorum novo in aqua deſtillata coalitu verè prognata non fabuloſè apparens. Valeant itaq́ nugæ & manes, lemures & fabulamenta & quidquid uſpiam Paracelſicarũ eſt præſtigiarum. Poſterioris fabulæ commentum rationibus à nullo novatorum ſolutis aut ſolvendis ex agro philoſophico-medico depuli. Omne nutriẽs debet id eſſe

potentia, quod nutritum eſt actu, ut tale fiat requiritur ut intercedat ſubſtantialis mutatio, quia nutritio eſt nutrimenti in ſubſtantiam nutriti converſio. Quocirca aurum ſi nutrit, non manet aurum, neq́ ex nutritione auri deauratur intus gallina, ſed & à natura noſtra ſubigi, & ſi ſubigeretur in alimentum verti poſſe metallum omnino vanum eſt. Reſpondeant ad hæc fanatici novatores. Reſpondent D. Senn. non aſſertivè ſed recenſivè hæc ſcripſiſſe in præfat. lib. de Gal. cum Chym. conſ. & diſſ. At D. Senn. illud commentum tradidit pro ſtabiliendis novæ ſectæ opinionibus & flagellanda antiquitate, quod quia hæc & ſimilia ignoraverit miſeri ſint, qui majores noſtros nihil ignoraſſe putent. inſpice præfat. D. Sennerti, quod tamen poſtea experientiâ propriâ comperit verè commentitium, falſum & vanum eſſe, ipſumq́ VVendlerum iteratis ſcriptionibus cõpulſum cæpiſſe vacillare teſtatur. Quam igitur fidẽ debeamus iſtis fabulis earumq́, etiamſi auctores ſenſuum teſtimonia prætendant, commentatoribus, ex hoc facile cuivis non planè bliteo patet & liquet. Quot ſeculis creditum fuit ſtrutionem digerere ferrum, donec Aldrovandus experientiæ evidentia teſtatum feciſſet, id pariter, uti gallinam auro nutriri, & manes vel ſpiritalem roſam ex cinere roſarum ſeſe conſpiciendam præbere, fabuloſum eſſe: ſed miſſas faciamus

novæ

novæ ſectæ nænias, nugas, præſtigias, ex quibus novæ ſectæ principia exſtruere moliuntur. Pauca ſaltem ex immenſo illo abſurditatũ & paradoxorum cavillationumq; pelago huc transferre volui, ut ex his quid in toto perq; omnes ejus angulos contineatur, facilè quivis putare queat. Hæc ſunt & hujus generis ſunt illa myſteria, quæ ignoravit antiquitas, & non capit ætas moderna, cujus ignorantiam miſero Freitagio toties exprobrant novæ ſectæ archimagiri, cum tamen nihil in tota ſecta novatorum novi ſit, aut ab iis recens inventum, uti demonſtratum eſt. Talibus vanitatibus & inaniis ſunt referti, iis nituntur fundamentis libri, quos adverſus me pro tuenda ſua ſecta ſine omni pudore in lucem publicam edunt. Talibus calumniis & ſarcaſmis, vanis moroſophorum principiis, quævis pagina, quælibet periodus, quilibet angulus delibutus eſt. Hæc inſaniæ & moroſophiæ myſteria docent è cathedra, diſceptant, propugnant, rudibus & incautis, pro ſingularibus naturæ arcanis, quæ trivialia ingenia non capiant, & cum Ariſtot. Hippoc. Galen. & tota antiquitate & Zabarella cæteriſq; moderni ſeculi literarũ cultoribus miſer Freitagius parum intelligat. Vnde cum antea ſcripſit ex libris non eſſe hauriendam rerum (verè paracelſicum & fratrum roſeæ crucis principium) ſcientiam, ſubdit & crepat tract. fol. 143. Freitagium nõ debere diſpu-

diſputare & probationes ſuas arceſſere ex Ariſtot. Zabarell. aut ullo alio auctore, ſed λόγῳ κ̔ πείρᾳ rem probare. Eſtne hoc à veriſſimorum philoſophorum præceptis & principiis, ab Ariſtotelica, Hippocratica & Galenica diſciplina diſcentium ingenia ad vaniſſima novatorum & moroſophorum commenta & impoſturas, quarum partem recitavi, ad venandum in aëre & ad regionem idearum relegare, & è ſtudioſorum manibus & ſcholis publicis profligare omnem veterem Medicinam & philoſophiam. An non λόγῳ κ̔ πείρᾳ veteres veram invenere & acquiſivere doctrinarum cognitionem? an non iiſdem principiis comprobata & conſervata in hæc ſecula? an λόγῳ deſtituti & irrationales brutiq́ fuerunt præ his novis novorum deliriorũ & ſycophantiæ inventoribus veteres artium magiſtri? Vide, ride & mirare ſtolidam novatorum arrogantiam, & veteres diſciplinas corrumpendi & ſtirpitus eruderandi delendiq́ libidinem, inſaniam & audaciam. Sed illi λόγον κ̔ πεῖραν ſuam identidem crepant. Novas rationes, quibus novatores veterũ immobilia in rationibus firmiſſimis radicata artium fundamenta turpiter & ſycophanticè & incaſſum allatrare bruto auſu conati ſunt, vidimus: Experimenta eorum, quæ nihil aliud, quam manes & fabulæ & ægrorum moroſophorum ſomnia, qualia ſunt, præſtigioſæ roſarum & rerum

quintæ

quintæ eſſentiæ, gallinæ (Luciani) intus aureæ, & ſimilia mendaciorum plauſtra examinavimus. Ea ſcil. ſunt novæ ſectæ principia, hæc fundamenta, non ex libris, non ex Ariſtot. Galen. Hipp. Avicen. Zabarell. (uti ipſi jactant) ſed ex ciniflonum, carbonariorum & ab his miſerè circumventorum novatorum & nova parturiendi dogmata pruritu & ſcabie laborantium vertigine addiſcenda. Qualem itaq́; κτ̀ λόγον ϗ πεῖραν novatores conceperint & abortiverint ſectam pauxillum initio delibavimus, uberius in ipſo ſequenti opere id ipſum cum Deo bene dante, demonſtraturi.

Si omnes novæ monarchiæ angulos perreptare, & percurrere hac vice mihi integrum foret, perfunctoriâ & tralatitiâ operâ demonſtrare poſſem, novam iſtam ſectam magnam partem ex Paracelſicis deliramentis, pauxillum mutatis & alio ſchemate perſonatis, originem duxiſſe. Cæteroquin D. Sennert. omnes in univerſum contra receptam Ariſtotelicæ Philoſophiæ veritatem & Galenicæ Medicinæ principia, ab omni ſeculorum memoria hucuſq́; propalatas opiniones ſequiores ſeu priſcorum ſeu recentium de quavis materia ſigillatim conquiſivit, & in unum centonem conjecit, retentis mixtiſq́; nonnullis antiquæ veritatis regulis. Ex his in unum conflatis unum informe chaos compegit, videl. tertiam illã

ſectam,

ſectam, quæ nec purè Paracelſica, vel Leucippæa vel Democritiana, nec purè Ariſtotelica & Galenica, ſed ex iſtis ſimul omnibus omniũ ſeculorum abſurditatibus conſtans farrago eſt. Nihil itaq; invidendi habent agones & ſudores iſti Sennertiani, in tot volumina longe latéq; diffuſi, quibus nihil continetur proprii, alienæ ſunt omnia plumæ, ſive paradoxa, ſeu veritatis antiquæ ſint apud illum ſuperſtites nonnulli canones; Nihil, inquam, invidendi continent Sennertianæ paginæ, niſi quis illud ipſi invidere velit, quod tria à Paracelſo reducta principia, 4 elementis eliminandis ſurrogarit, Leucippi & Democriti atomos reducere, pythagoricam metempſychoſin, & à ſeculis damnatam palingeneſiam, è thalamis Proſerpinæ revocare & ſexcenta alia priſcis antiquata, ab Eccleſia & ſcholis in exilium acta paradoxorum plauſtra, revehere conetur; Quæ omnia prurientibus juvenum ingeniis, aut diſtortis, quas ut mancipia ſua agitat infernalis ille Dædalus, naturis, ex tripode profecta videntur, proq; ſummis rerum naturæ arcanis, quaſi nova nec paſſim trita & uſitata & à veritatis antiquæ & vulgò in doctrinarum phrontiſteriis ſanctè conſervatæ & cultæ principiis abhorrentia, & hibrida avidè arripiuntur, in admirationem ducuntur, & inſano perdendis melioribus diſciplinis ſtudio rabioſè defenduntur. Malim ſi vel ambitio vel famæ

famæ prenſandæ me inceſſiſſet aviditas curto ſinceræ veritatis ſcripto nomen commendare ſeculo, quam conflatis paradoxorum & monſtroſarum opinionum iliadibus eruditæ poſteritatis ludibrio ventoſos transſcribere titulos. ſed ſuum cuique pulchrum: aliis fætent, aliis redolent catuli. Infrunitæ ſanè eſt impudentia id interpretari invidiam & rabiem, cum ſcientiarum bonarum & vetuſtæ veritatis aſſertores paradoxa bonis literis interitum minitantia ad lydium lapidem examinant, erroribus agminatim obrepentibus obviam eunt, & ut in prima herba ſupprimantur, operam impendunt & repudium iis mittunt. Nec enim quemvis unctum lapidem adoramus, tantum abeſt, quod errores jam dudum antiquatos, & Eccleſiæ decretis jugulatas hæreſes poſtliminiò ab ambitioſis ingeniis reductas, & in unam novæ ſectæ colluviem conglomeratas diſciplinarum phrontiſteriis noviter obtruſas gratulabundi accipiamus. Non obtuſa adeo geſtamus pectora: ad glandes non revertemur qui meliore Apolline nati & ſati frugem muſarum ſinceriſſimo Hippocranes Hippocraticæ rore delibutam, & Stagiritæ nectare conditam, Saturno errorum tenebroſa in tartara miſſo, *delibavimus. Non revertemur, inquam, ad glandes. Quod Ariſtotelem explodere, Galeni decreta ſuperciliosè luxare conetur D. Sennert.*

quod

quod ab arte claris & extra famæ aleam poſitis inſultet, Libavium vellicet, Scheckium caſtiget, nullis rectè ſentientium & antiquitatis ſinceræ colentium parcat, omnes à ſe alienos fulminet, miſerum Freitagium, à quo ante hæc, nec ruſticatim nec urbanatim tactus eſt, prætoria cenſura lib.de Gal. cum Chym.conſ.& diſſen. cap. x. *perſtringat, id ſuo quodam jure ſibi tanquam novo novæ ſectæ monarchæ, qualis à ſuis colitur Gnathonibus, competens vendicare videtur. Id Gnathones, Ganymedes, Phormiones, aſſentatorum turba & clientes ad unum omnes, quotquot ad ejus aulam confluunt, plenis depræconiantur buccis. At ſi quis ſe ſuaq́ contra iniquas criminationes tueri, antiquitatis veritatem ſinceram propugnare, D. Sennert. errores notare inducat, næ is vivicomburio expiandùm crimen admiſerit. Imperium in literas ipſi Gnathonum ſuorum æſtimio & arbitratu defertur.* Ille gregi imperitat toti, hunc armenta ſequuntur. *Præ illo uno cæteri hodie eruditi manes, fabulæ, fumus, ſomnium, umbræ imago, vanitas. In præfatione lib. de Gal. cum Chym. conſ. & diſſ. ait, idque ex Scaligero identidē inculcat,* nihil infelicius eſſe iis ingeniis, qui majores noſtros nihil ignoraſſe mordicus ſentiunt. *Superba hæc jactatio fundamentum eſt novarum, quas invehunt, opinionum novatores; Defectus venerandæ anti-*

antiquitatis à D. Sennerto ſupplendus, inſcitia caſtiganda, errores abſtergendi, nova ſecta cujus principia & fundamenta miſeri ignorarint majores exſtruenda, quæ neſcio quo fato certè patribus noſtris infæliciſſimè occultata & ad hanc lapſantis carioſam mundi ſenectam & caniciem reſervata eſt, ut auſpiciis Novatorum, quibus Apolline dextro detecta eſt, in lucem producatur. In quibus autē hallucinata ſit, & defecerit antiquitas, quarum rerum inſcitia laborarit, quos errores poſteritati tranſcripſerit, id ex novatorum dogmatis, quibus iſtis priſci ſeculi malis aut mederi, aut ut immedicabilia ſubvertere, novamq́ʒ ſuam ſectam ſubſtituere annitantur in proclivi eſt cognoſcere. Horum dogmatum potiſſimam partem neceſſario pro vindiciis antiquitatis in diſceptationem vocavimus, examinavimus, quâ fortunâ judicet æquus lector. Nolo tandem ulterius huc arceſſere & prolixius ſermonem cedere de reliquis paradoxis, impiiſq́ʒ & abſurdis novatorum erroribus ex quorum coalitu & augmentatione novam ſectam exſtruere, abominabiles in S.S. Theologiam cuniculos moliri, veteris & invictæ Philoſophiæ principia amoliri, ſua verò barbara & monſtroſa ſubſtituere & ſtatuminare ſatagunt novatores: Æquanimis & candidus lector ſiniſtra ritè cui mamilla ſubſilit, *& quicunq́ʒ boni, ſepoſitis, ſi quæ ſectati ſunt, partium ſtudiis, & ſuſpenſis pau-*

liſper præjudiciis, rem totam mecum paulo momentoſius expendant, exiguo labore pernicioſas & abominabilium opinionum, quas ambitioſis & arrogantibus conatibus proterva novatorum enixa ſunt ingenia, quarum porrò inaudito livore defenſionem ſubeunt, nidorem percipient. Neque eſt quod ad eruditos vel clariſſimos Academiarum orbis Chriſtiani antiſtites & proceres de his vel levi curtaq; oratiuncula dehiſcam, quod eruditiſſimis paſſim gentium philoſophis & medicis prima fronte rei indignitas ſtomachum motura, novorum paradoxorum falſitas liquido in conſpectum venturam, vanitatis & arrogantiæ temeritas penitas animi fibras intimitus transverberatura ſit. Nemini è cenſu Clariſſ. morum aut literaturæ ſeu myſticæ ſeu ſecularis triumvirum, cum quibus mihi ſententias de his novæ ſectæ ſtaminibus & filamentis conferre integrum fuit, ad guſtum eſſe deprehendi qui ad unum omnes malè ſatas, malè natas barbariei fruges ex agro ſementis liberatoriæ, ſtirpitus averruncandas eſſe judicioſiſſimè cenſent. Neque defuturos confido qui pro veritate clypeum & haſtam ſumpturi & has ſtribiligines accuratius, me in ſeniū devergente, caſtigaturi, & veluti lethalia Circes pocula & Theſſala mella, philoſophiæ veteri & ſolidis Theologiæ fundamentis interitum minitantia ex agro philoſophico ejecturi & prorſus

aver-

averruncaturi ſint , ne

——Lolium tribulique fatigent
Triticeas meſſes & inexpugnabile
gramen.

Majoribus & altiori ſpiritu calentibus ingeniis Spartam cedo (ne latum interim unguem ubi adverſum me viderim novatorum futiles & umbraticas denuo educi acies, gradu & ſtatione ceſſurus) & quibus genua virent,

& Ver purpureum juvenili in pectore
vernat
Priſcaque conſedit cerebri ſapientia
ſano
Lecta Stagyritæ & libata illimibus
undis.

Nunquid adeò veritatis & pietatis pænitebit tædebitque ullam orbis Chriſtiani Academiam, ut tabificæ huic Neotericorum ſectæ vel extremo reſeret limina aut valvas pandat? neminem, qui vel primoribus labris antiquæ philoſophiæ principia delibavit, aut veritatem ſacrarum literarum deguſtavit arbitror adeo bonæ mentis deliquium perpeſſurum, ut his paradoxis ſit ſuffragaturus aut calculum daturus, ſed potius omnes quos politioris literaturæ cultura ab arte & pietate celebres ſupra vulgus poſuit re cognitâ & penſiculatius excuſſa confido tenebricoſas has novatorum nænias &

philoſophiæ ac pariter Theologiæ nova carcinomata recens aggliſcentia primo intuitu, ad ſuam, unde immiſſa, Proſerpinam, relegaturos, & in proprio regno aqua ignique interdicturos prudenter me hercule hac in re pluribus Germaniæ & aliorum regnorum celeberrimis proſpectum eſt Academiis, ubi lege cautum, ne quis ab Ariſtotelis diſciplinis abhorrentia & adverſum Galenica & Hippocraticæ Medicinæ principia militantia mordicus defendat, doceat, promulget. Notum eſt in celeberrimis quibuſdam Germaniæ Academiis neminem ad Doctorei honoris in Medica facultate inſignia capeſcendum admitti, niſi jure jurando obſtrinxerit, Paracelſica principia, methodum curandi, ejuſque blaſphemias ſe nec amplexurum nec ſecuturum. In noſtra ab Illuſtribus Groningæ & Omlandiæ aperta & æterna cum laude nec minori boni communis emolumento condita, quæ Groningæ floret Academia, *ſapienter ſancitum eſt, ne quis ab Ariſtotelicæ Philoſophiæ & vetuſtatis regulis in paradoxorum abſonarumque opinionum præcipitium calentia juventutis ingenia avocet aut pelliceat. Academiæ noſtræ Groninganæ quadrageſima lex ſic habet :* Philoſophi ab Ariſtotelis Philoſophia non recedunto, propugnatores abſurdorum paradoxorum & inventores novorum dogmatum,

tum, ab Ariſtotelicâ doctrina diſcrepantium non feruntor. *D. Sennert. quidem videri vult ſe execrari Paracelſicas blaſphemias, verum quomodo ſe ab iſtis alienum eſſe, demonſtrare aut perſuadere poſſit, cum ſuæ ſectæ præcipua fundamenta principiis Paracelſicis fulta ex iis texta aut deducta, ſed novis coloribus fucata, diverſoque ſchemate perſonata eruditis obtrudantur & juventuti propinentur. Id obſcurum nemini eſſe poteſt, qui vel præcedentia obiter inſpexerit, & in ſequentibus ea quæ examino Sennerto-Sperlingiana vel à limine ſaltem intuitus fuerit. Duo in libro de Galen. cum Chym. conſ. & diſſ. Doct. Sennert. ſtatuit principia, quibus compulſus ab Ariſtotel. & Galeno in potioribus doctrinis recedere non dubitat. Primum eſt*, quod in multis errarit vetuſtas, ſecundum quod juxtà Scaligerum nihil ſit infelicius iſtis ingeniis, quæ mordicus ſentiunt majores noſtros nihil ignoraſſe & quod dies diem doceat, multaque indies in lucem protrahantur, quæ antiquis parum cognita fuerint. *Primum quod attinet, quis ignorat, quam abſurda à veteribus nonnullis fuerint tradita in Philoſophia & culta dogmata, priuſquam ab Ariſtotele examinata, percenſa, deleta, ipſiusque veritatis Phoſphorus phaniſque accenſus & fundamentis*

 ſtabi-

ſtabilitus fuerit , qualiſque poſt Hippocratem ſectarum orta lues, quæ divino beneficio à magno diſciplinarum Philoſophicarum & Medicarum repurgatore & Magiſtro Galeno ſuppreſſa & reſtincta , ſincero oraculorum Hippocraticorum ſexcentis annis ignoratorum & penè funeratorum intellectu orbi poſtliminio aperto, veris artis regulis reductis, firmatis, explicatis. Antiquitas initio tam vera, quam falſa tenuit, nec defuerunt monſtroſa ingenia, monſtroſarum opinionum fæcunda, divina tamen excitavit clementia etiam inter Ethnicos præclara in linguis & artium ſtudiis lumina & heroes, qui à veritate abhorrentia dogmata jugularent, falſa eliderent , optimarum diſciplinarum ſyſtemata infallibilibus æternumque veris regulis fundata & munita conſtruerent, qualia ab Ariſtotele & Galeno in hanc uſque ætatem irrupto ſæculorum conſenſu ſervata, in noſtras manus tradita ſunt. Ea ſunt quæ antiquæ veritatis colimus principia , diſciplinæ & artes. Novatores ab hiſce veritatis antiquæ invictis principiis & ſeculorum conſenſu firmatis , quæ nulla hactenus diverſum ſentientium & rabidorum ingeniorum rabies evertit, ſophiſtica quævis fruſtra allatravit bardo auſu, ſuperciilioſa temeritate, arroganti inanis novæ ſectæ inventione & perſuaſione deflexerunt , & veteris veritatis recta deſe-

deſerentes veſtigia, quibus omnium ſæculorum irruptas ordo inſtitit, ad Democriti & Epicuri atomos, Pythagoræ metempſychoſin, profanorum & infidelium palingeneſiam, Ovidii metamorphoſin, qualis eſt transplantatio Paracelſica & Sennertiana, Ammonii tria principia vel elementa, quæ hermeticorum nobilitarunt nomine, & Paracelſi dæmonomaniam, quam verbis deteſtantur & re ipſa arripiunt non obſcure revertantur. Eſtne hoc vera ſcientiarum fundamenta labefactare & evertere, bonas diſciplinas luxare & è republ. literaria in exilium agere velle? ſi in uno vel altero particulari errarint hic vel ille veterum, an ideo metaphyſices præcipuè regulæ ſine quibus ipſa fruſtrà ſit corrumpendæ, Phyſica doctrina penitus explodenda, taliſque reducenda errorum barbaries, quæ ſine literarum ſacrarum corruptione & fidei veræ inclinatione ab iis defendi nequeat? Eſto, ceſpitarint in re aliqua veteres, an ideo periculum incurrent primariæ ſcientiæ? damnandi, contemnendi & relegandi doctrinarum architecti & heroës; Scaliger ſi qua in re adverſus ſummum Stagiritam Galenumve ſenſit, tamen illibata relinquit artium ab illo fundata ſyſtemata, imo defendit, propugnat & ipſum naturæ genium, cui divinæ ſapientiæ radios affulſiſſe auguratur, deprædicat, aitque non reprehen-

prehendendos ſed maximè juvãdos eſſe, qui nobis prima ſapientiæ fundamenta jecerunt. Ex adverſo legite viri clariſſimi qualem ſe in hoc rerum genere præſtet geratve, pro Sennert. bellum inanegerens Ganymedes, qui Galeno & Ariſtotele exploſis ſuum ſi poſſet idolum Sennertianum ſubſtituere non erubeſceret. Alterum Sennertiani conſilii, quo ſubnixus ab Ariſtotele & Galeno recedit, fundamentum eſt, quod juxta Scaliger. putat nihil eſſe infelicius iis ingeniis, quæ cenſeant majores noſtros nihil ignoraſſe; ſed quo illud ſuum effatum colore defendit aut pingit? Antiquitas pleraque falſa à recentioribus excogitata, aut poſtliminio reducta è tenebris, quæ ibi recenſet paradoxa ignoravit. Exemplo rem firmat: Veteres ignorarunt Gallinam foliis argenti vel auri paſtam, intus deaurari & in aurum verti, auro argentove ventriculi virtute in quintam ſuam eſſentiam immutato. Non abſimili modo ignoravit, & cum illis miſer D. Freitagius non credit, roſam ſpiritualem leni calore admoto è cinere roſarum exſurgere, qualem eam deſcribit Quercetanus, & pro novis aſſerendis ſuis dogmatis defendit Doct. Sennert. lib. de Gal. cum Chymic. conſ. & diſſ. cap. 10. Ita etiam ignoravit antiquitas cadaver fieri exſtinctione vitæ ſive abſit, ſive adſit calidum innatum, hominem non ex terra & elementis con-

ſtare

ſtare & nutriri ſed ex quintis eſſentiis incorruptibilibus. Formas & animas pecudum extra propriam materiam ſuam tueri eſſentiam, & actum habere entitativum quo poſito neceſſariò ſunt incorruptibiles & immortales. His ſimilibus rationum momentis compulſi novatores neceſſum habuere Ariſtotelem & Galenum deſerere, artium & diſciplinarum ab iis condita ſyſtemata evertere, ſua nova ſurrogare. Hi manes, fabulamenta & febriculoſa deliria, ſunt arietes novatorum, quibus ſcientiarum Ariſtotelicarum & Galenicarum muros eruditi ſæculi cum riſu adoriri non erubeſcunt. Videtis omnes omnium ordinum viri clariſſimi & ſcientiarum Triumviri per Europam celeberrimi, quid impurus ille Genius, veritatis oſor & perſecutor ab initio per nova hæc dogmata viroſè ſparſa, mordicus ab ambitioſis & petulantibus ingeniis arrepta & lividè propugnata, ſub hac decrepita ſeneſcentis mundi canicie & ſeculorum ſenecta moliatur. Quis ſub Sennerti ſcriptis ubi ea primum quis percurrerit vel percenſuerit, conjicere potuiſſet tanta novæ & impiæ ſectæ delituiſſe monſtra? quis inſtitutum novatorum nondum ſatis cognitum tale eſſe, auſus fuiſſet propalare, niſi ſcriptorum meorum ad antiquæ veritatis & ſacrarum literarum amuſſim & normam conformatorum cenſurâ provocati, in rabiem acti, ea quæ à pietate

alieniſſima & veritate abhorrentia meritò omnibus bonis exſecrabilia, ſuorum inſcriptorum cano profunde latitantia temulenta ſtomachi convulſione in ora doctorum & literarum evomere fatali divinæ providentiæ neceſſitate, ſuſtinuiſſent. At nunc ſuo cum pudore, ſeculi riſu, cordatorum & doctorum omnium ludibrio, piorum deteſtatione, propriaque infamia, vertiginoſo acti ſpiritu ſeſe & ſua calumnioſa dogmata propalarunt, & ſemetipſos ſpinturnicum & ſoricum inſtar prodidere, eoque audaciæ conſcendere, ut non tantum monſtroſa ſua paradoxa palam profiteri, in vulgus edere, ſed & eorum defenſionem acerbiſſimam ſuſcipere, quin imo iis obtruſis antiquitatis veritatem & veteris Ariſtotelicæ & Galenicæ Philoſophiæ ſolida fundamenta evertere, in exſilium agere, novam blaſphemiarum & monſtrorum monarchiam condere velle non ſubterfugerit. Non ſuccenſebitis magni ſcientiarum quocunq; locorum præſides, Profeſſores & antiſtites, quod rotundè odioſam veritatē dicam, ſcapham ſcapham nomino; ligonem, ligonem, nullo motus livore, nulla perculſus indignatione, rancore aut odio ullius mortalium; quibus vel indignantibus vel plaudentibus unus idemque ſim: ſolo veritatis tuendæ ſtudio calamum clavumq; arripui, teneo, ſtringam, & mecum omnes cordati, pii & invictæ antiquitatis & antiquæ veritatis

ritatis

ritatis cuſtodes & patroni. Compulit & excitavit me veritatis tuendæ ſtudium non livor, non invidia ut cornicatur & mentitur ſubornatus Sennerti defenſor, ſiquidem in D. Senn. ſcriptis invidendi nihil reperitur illis, qui eos, qui illum editis ſcriptis anteceſſerunt, imò illi qui ipſos ſcientiarum fontes fideliter delibaverunt: & quomodo rancore vel invidia perculſus aget, qui ex lege Academiæ, in qua docet anteà allegatâ, cui obſtrictus eſt, ordine & fideliter agit, qui quam profitetur diſciplinam à deformium paradoxorum, ruinam bonis artibus & melioribus ingeniis perniciem minitantibus ſordibus & inquinamentis repurgare ſumma fide & induſtria allaborat. Hac bonæ conſcientiæ fiduciâ, qui calamum ſtringunt, ac pro virtutis & veritatis defenſione bella gerunt, calumnioſas maleferiatorum declamationes; & ſpinturnicum graculorumque & aſchlaphorum querqueras ſtribiligines titicilicii faciunt. Deo & veritati placere ſalarium eſt bonorum: qui quod rectum, quod verum eſt, aſſerit, propugnat, quod eſt viri boni officium facit; qui convitiatori reſpondet, convitium non facit. Terentius in Eunucho

Si quis eſt, qui dictum in ſe inclementius
Exiſtimat eſſe, ſic exiſtimet: ſciat
Reſponſum non dictum eſſe, quia læſit prius.

Mode-

Modeſtius egiſſent, modeſtius audiſſent: quam voluptatem male dicendo cæpere, male audiendo deponant, & veritati obſequendo reſipiſcant, & meliori menti ſe parent. Vis, amice Lector, convitia, quibus me haut perfunctoriè lapidant, in unum centonem conglobata compendio videre? lege ſaltem, hoc quod in me falſiverbium calumnioſè detorquet Ganym. Sperling. in calce tractat. de format. origine fol. 424. Freitagium in diſputationibus anti-Sennertianis protuliſſe loquentiæ multum, eloquentiæ parum, ſapientiæ nihil. Tu candide Lector, quiſquis es, ſepoſitis tantiſper partium ſtudiis, judica quid & quæ dixerim & tribus iſtis diſputationibus complexus fuerim, in quæ debacchatus eſt Doct. Sennert. cum Ganymede ſuo, *quæ propoſuerim, cenſe: Nihil penè meum, omnia quæ dixi, ſcripſi, poſui, oppoſui, Ariſtotelis & antiquæ veritatis ſunt principia inevertibilia; in his inſipido & barbaro iſti magiſtello eſt ſapientiæ parum, quæ decrepitum nunc tota Ariſtotelem & repueraſcentem Galenum omneſque à ſeculo & præſentium Academiarum Profeſſores deſeruit, & novis & longè aliis diſciplinarum principiorumque ex antro Trophonii mutuatis comata plumis involavit in cerebrum novatorum. Immenſa convitiorum plauſtra, ſi ipſos tractatus adverſus me editos perceptes, reperies: plura de*

his

his in ipſo opere, neque ad ſingula convitia reſpondere, & quid communis ille omnium veritatem antiquitatis amplectentium Ariſtarchus, ſive ejus ſubornatus Ganymedes in me culpet, notetve, diluere, prudentis aut otium bonasve horas bene collocantis fuerit; id pro colophone ſaltem tangam, quod pro apertis ſuæ falſitatis defendendis erroribus ſpiritum divinæ gratiæ impientiſſimus impoſtor & ſophiſta perditiſſimus implorare non vereatur, eoque prodat ſe adeo profligatæ & ejuratæ eſſe pietatis & deploratæ malitiæ, ut nec Deum καρδιογνώςην vereatur, nec ſummi numinis offenſam metuat, nec homines quibus alioquin imponere & illudere confidit, timeat, quodque in rabioſo hoc propoſito ſe perrecturum vanus iſte ſycophanta gloriatur & in dedicatione tractat. de cal. inn. & ſe pro Sennerto ſtaturum ventoſe minatur dum ſpiritus regat artus, vel Spiritus impurus truncatos dum regit artus. *Sed heus gracule & impudens ſycophanta, en tibi materiam oblatam, quam rumines & coquas; ringere, inſulta, omnes tuarum fraudum acies, technas & colores explica; adverſus Solem, uti hactenus, mejas. Et ſi te dignum non amplius mea reſponſione cenſerem, maſculè, tamen illud facerent & vicem meam ſupplerent auditores mei & veritatis antiquæ, defenſores cæ-*

teri,

teri, ubivis gentium quorum in te provocaſti non manipulos, ſed confertas acies. Neque fortè ex honore meo fuerit cum iſtiusmodi magiſtello & ſubornato phormione me volutare. Ipſe Sennert. ſenex ſenem adoriatur, pedem conferat, congrediatur, ſi atomum candoris habet, candide calamum ſtringat, aciem explicet, ſigna committat, nec per ejuſmodi ſubornatos impudentiæ magiſtros ac tenebriones tectè & callide magis, quam candide rem gerat. Senex ſeni, emeritus emerito, rude donandus, rude donato quo me ſermonis genere, quo candore & veritatis ſinceræ, rectè defendendæ ſtudio exceperit, eodem reſpondebo. Tandem juniores & ſtudioſos, Philoſophiæ & Medicinæ ſacris initiatos hortor & fideliter moneo, ut has novatorum ſyrtes & paradoxa & monſtroſas ab Hipp. Ariſtot. Galeno & antiquitatis & antiquæ veritatis principiis & fundamentis abhorrentes opiniones; tanquam doctrinarum & diſciplinarum & doctrinarum peſtem, bonorum ingeniorum & ſtudiorum carcinomata fugiant, niſi velint aut in labyrinthos irremeabiles ex quibus nunquam evadere poſſint, illabi, aut errorum inexplicabilium ſentes, è quibus ſe nunquam extricare poſſint, incurrere: attendant legi Academiæ noſtræ, quam paulo ſuperius recitavi; audiant ſerio monentem Heurnium ſenem veneran-

nerandum, eruditione & ſcientia rei Medicæ, quantum ejus humanitus adipiſci fas ſit, abſolutè inſtructum, ſuo ſeculo nemini ſecundum, in hæc verba ſcribentem *ſtudioſis*, libello de ratione inſtituendi ſtudium Medicum cap. ſexta. Moneo ut ab eorum ſcriptis abſtineatis, qui ab antiquorum ſententia temerè abeunt. Plato in Epinomide plebejos quoſdam Deos cum referret, ἀνοργιάστους hos appellabat: neſcio in eo nomine quid aptius adaptari his innovatoribus poſſit. Vtinam ea mente omnes ſcriberemus jam, qua olim Hippocr. & poſt eum Galenus! ſtudio nimirum juvandi. Nunc neque hoc facimus plerique : bene à veteribus etiam excogitata & ſcripta demoliri & rebus claris tenebras affundere conamur; receptiſſimorumque auctorum auctoritatem elevamus, ut reponamus noſtram, dubiam & titubantem o exiſtimatiſſima. Si quis reclamet, ilinos inter nos (qui conſpirare contra ternos debebamus) domeſticum bellum depugnamus, ac χαλεποὶ πολεμοὶ ἀδελφῶν. Id. ipſum Doct. Sennert. ſui tamen præcepti ipſemet immemor & violator maximus, inculcare videtur. *lib. primo inſtut.* Medic. cap. quarto, cum inquit, licere

licere Medico interdum loquendo ſeſe ad forum ſuum accommodare : tamen idcirco abſurdas opiniones inducere & cum principiis Philoſophiæ pugnantia proferre non licere, *quod ſua principia à Phyſica mutuatur, neque alia habet principia, quam quæ Phyſicus ſuggerit, & propterea ſi Phyſicis principiis contraria profert, vera non profert. Hactenus Doct. Sennert. ſequantur & illius libri argumentum & hujus præcepti tenorem ſtudioſi veritatis, & ſcientiarum avidi: habeant præ oculis illud Gulielmi Copi ad magnum regni Galliæ Cancellarium: Nullius auctoris deſiderio teneri illum debere arbitror, qui accuratè Hippocrat. Galenique libros evolverit, ſine quorum diligenti lectione impoſtura eſſe videtur omnis Medicinæ profeſſio. Pro certo quiſque ſtatuat in tanto verſari quemque errore, quantum ab Hippocratis Galeni & Ariſtotelis diſciplinis & inſtitutis deflexerit & deviarit, tantumque in ſe cumulaſſe falſimoniæ & criminis, magiæ non abſimilis & impietatis quantum Paracelſicis & novatorum impoſturis inhæſerit. Cornel. Martini ſuo ſeculo Ariſtotelicor. Philoſophorum Coriphæus, etſi Ariſtot. quædam ignoraſſe ingenuè fateatur, & etiam pauculos habuiſſe errores (ſunt autem ii potiſſimum*

mum de rebus quas ferè ſine revelatæ doctrinæ cognitione rectè cognoſcere nequeas) non ſubterfugerit concedere, tamen ea de quibus ſcripſit, ita abſolviſſe verè prædicat, ut fruſtra in eum omnes ſuas copias eduxerit inſcitia, & cum totis viribus pugnarit, pro ſpoliis retulerit riſum omnium bonorum. Eamobrem abominatur eos qui à veteribus firmiſſimè conſtituta temere labefactare, & ſtultiſſimâ petulantiâ, ſeſe ipſi universæ doctrinæ antiquitatis præferre auſint, eoſque carcinomata & peſtes bonorum ingeniorum nominat. Quæ autem putat à veteribus conſtituta firmiter? Nunquid ea quæ ſcripſit Ariſtoteles? At quænam ſcripſit? ea nempe quæ D. Sennert. ejuſque contribules impugnant, Phyſicæ ſcilicet & Metaphyſicæ potiora fundamenta & principia. Nunquam vero calculum dedit vel daturus eſſet Cornelius Sennerto immota illa Phyſicæ & Metaphyſicæ principia vellicanti; unde ibidem, inquit, De Philoſophia, Qui poſt Deum Optim. Maxim. ſummo viro Ariſtoteli gratias non agat, eum ego non hominem ſed pecudem eſſe ſcio. Sed ex iiſdem poſt præterea annotatis liquet, non omnia ciſſe Ariſtotelem, neque enim omniſcius eſſe potuit, ſiquidem homo fuit, ea tamen quæ ſcripſit in philoſophicis, paucis exemtis erroreis, eſſe æternùm vera, & his contineri

immobilia totius philoſophiæ Peripateticæ principia, quæ tamen petulanter arrodunt, futiliter contemnunt Novatores, & plane deleta volunt, fideliter adſtruit. Neque circumveniri juniorum quiſquam ſe patiatur eo ipſo, quod novatorum primi ex parte rejiciant, imo deteſtentur Paracelſi doctrinam, & illam cum primis, in qua de blaſphemiis magicis agit, execrentur, quod ipſos ſi vel ſint vel haberi velint Chriſtianæ fidei aſſertores omninò facere æquum eſt, quandoquidem in cæteris, ſcænâ nonnihil & parum ſaltem mutatâ, Paracelſicis per omnia ferè inſiſtant veſtigiis, & ea quæ pro novis à ſe infeliciter inventis jactitant, & ambitiosè venditant, ex Paracelſo pleraque ferè & magnam partem deprompſerunt, uti ſupra demonſtratum eſt; diſſimulato Paracelſi nomine fraudem alio colore palliant. A Paracelſo reducta, ficta aut proſata fundamenta Chymicorum dogmata nuncupant, alii honeſtiore vocabulo inſigniunt, & philoſophiam medicinamque Hermeticam vocant. Supervenere ex eodem ſpecu trophonio, qui nomine Fratrum roſeæ crucis ſectam & confeciales ſuos traducunt; & hi omnes non obſcurè fatentur, ea quæ dicunt, ſcribunt, profitentur & operantur, ſe ex Paracelſo ſuorum myſteriorum parente habere, in quo verè, ut omnis blaſphemiæ vaſe in Deum & ſalvificam fidem contu-

contumelioſo, quicquid impuritiæ magicæ à Zoroaſtre in hæc uſque ſæcula humanæ ſalutis primus everſor & hoſtis, in genus humanum decrepuit, exſpuit, & in mundum diſſeminavit, confluxit, & quicquid monſtroſarum opinionum jam à ſeculis damnatarum ab Ariſtotele & Philoſophiæ conditoribus & eorum ſectatoribus jugulatarum & exploſarum uſquam extitit, fædâ colluvione conſaburratum eſt: E lepido illo monarcha & fæcundiſſimo hæreſium deteſtabilium in Eccleſia, & impuritiarum errorumque in philoſophia execrabilium, pelago, tot taleſque ſuppullularunt Hermeticorum, Ciniflonum, Fratrum Roſeæ crucis, & Sennertianorum, ſectæ: & quis augurari aut conjicere queat, quot ex illa abominationum Abyſſo deinceps humani generis juratus oſor eructaturus ſit ſectarios. Quocircà meo loco fideliter monitos velim omnes quotquot veræ pietati & ſapientiæ ſtudiis litant, ne ſe, vel novæ doctrinæ monſtroſis aut circumpurpuratis titulis decipi, & oculos perſtringi patiantur, ſed primò in excolendis veterum doctrinis, & Hippocraticis, Ariſtotelicis Galeniciſque præceptis diſcendis & cognoſcendis ante omnia præmiſſis pietatis ſtudiis, ſtrenuam operam ponant, quibus perceptis facilius poterunt intelligere,

 Quid

Quid ſolidum crepet & fictæ tentoria linguæ
Inque luto fixum melius tranſcendere nummum,
Et quid diſtent æra lupinis

diſcernere. Nunquam ad veram ſolidamque & rebus humanis utilem perveniet ſcientiam, qui neglectis veterum diſciplinis, his novatorum apinis, tricis & labyrinthis irremeabilibus priuſquam veræ philoſophiæ præceptis examuſſim & penitus inſtitutus ſit, ſe implicari ſuſtinebit. miſerrima ſunt ingenia nunquam ad frugem bonam perventura quæ ab ineunte ætate ſtatim ſeducuntur, & fatali quadam calamitate tales ſub initium ſuorum ſtudiorum veteratores, pro præceptoribus indipiſcuntur. Hic finio & hac vice ſtylum ponens ſcriptionis deſino, ſanctè aſſeverans me hanc ſcribendi operam nullo alio fine ſuſcepiſſe, quam ut ſacrarum literarum ſinceritas (quam pariter in his controverſiis temerare novatores non erubuerunt) & ſolidæ veræque Philoſophiæ & Medicinæ veritas, nullâ non novatorum colluvie peſſimè collutulata, ſarta, tecta, conſervetur & conſtet, docentium & diſcentium ſtudia, ſophiſtarum & veteratorum ſtrophis fatigata reſpirent & floreſcant, unde Dei gloria

propa-

propagetur, Eccleſiæ emolumentum ſuccreſcat, atque

Ipſa ferat res priva, ſuos res publica fructus

In his autem omnibus quæ hac intentione ſcripſi, reverenter me orthodoxæ Eccleſiæ cenſuræ & incorruptæ Ariſtotelicæ Philoſophiæ ac Hippocraticæ Galenicæque Medicinæ profeſſorum judicio ſubmitto, quos nihil quod à vera pietate & fide Chriſtiana alienum ſit, aut à veteris veritatis philoſophicæ principiis abhorreat, inventuros confido; ſi tamen ullibi ceſpitarim aut humanitus lapſus ſim, ejus ut me moneant, bonos quoſcunque & pios & eos quibus

De meliore luto fecit præcordia Titan

obſecro, obteſtor. Iidem ubi adverſariorum technas & ſtrophas, quibus veritati inſidiantur non ſatis à canitie mea diſcuſſas intelligunt, ſubſidio ſuo juvent, accurrant, ſublevent, & ſenilium annorum defectum, florido & alacri vegetæ ætatis & vernantis juventutis ſpiritu & calore ſuppleant, cum ſublimiora ingenia ad veritatis tuendæ ſtudium majore animi contentione exantlandum his meis excitare propoſuerim. Cæterum claudo verbis Divi Auguſtini, in præfatione lib. tertii, de Trinitat. Quiſquis mea hæc legit,

ubi pariter certus eſt, pergat mecum: ubi hæſitat, quærat mecum; ubi errorem ſuum cognoſcit, redeat ad me; ubi meum, moneat me.

Sacro-ſanctæ & inenarrabili Trinunitati gloria, honor & benedictio in omnia ſeculorum ſecula.

De

De paradoxis & erroribus novæ Sectæ Sennerto-Paracelſicæ

DISPVTATIO PRIMA

Continens & defendens contra Novatores, venerandæ antiquitatis & Peripateticæ Philoſophiæ ſententiam

DE FORMARVM ORIGINE:

Ad cujus poſitiones ſub præſidio

IOANNIS FREITAGII M. D.

Reſpondit

Henricus VVelman

Groningenſ. Med. candid.

THESIS I.

PVlcherrimam & veriſſimam venerandæ antiquitatis de rerum generatione ſententiam, neotericorum quorundam perculſus ratiociniis, evertere & exilio damnare conatur Clariſſ. D. Sennertus, aſſerendo, ex potentia materiæ formas materiatorum non educi, ſed mediante ſemine, cui in prima creatione inditæ, per traducem propagari inſtar luminis à lumine accenſi vel animæ canis diviſæ & propagatę per ſemen; Duplici illas poteſtate inſignitas eſſe: quarum prima eſt, quod ſui ſint omnes multiplicativæ, ſecunda, quod ſibimet ipſis fabricent domicilium, & mate-

riam ad incolatum & informationem recipiendam præparent & diſponant. Animam ſeu formam transferri cum ſemine, quod materiarum formæ cum ipſa materia ſint diviſibiles, ad modum quo plantæ particula avulſa terræq; indita ſecum transportat animam, qua ſimilem producit. Animalia tantum per ſemina deportantia formam animalis generatricem, aut ex eo quod ſemini reſpondeat, generari; plantas non tantum per ſemina, ſed & per ramos avulſos, per radices, aliosque propagationis modos naſci & propagari. Animam ſui domicilii formatricem neceſſario eſſe in ſemine ex actionibus & facultatibus illi ſoli competentibus, quæ à calore nativo nec proficiſci, nec ineſſe eidem poſſint, demonſtrat, quod nihil ſupra ſuam agit virtutem, nullumque accidens agat niſi per vim ſubſtantiæ. Vide Sennert. de Galen. cum Chym. conſenſu & diſſ. c. 9. & 12. mixti ſimplicis eundem, qui ſit animalis generandi, modum tradit, libro citato, diverſam tamen formarum propagandarum rationem admittere etiam videtur, in epitome natural. ſcient. lib. 1. c. 1. videlicet illam qua alia aliam expellendo, ſe ipſam promoveat.

II. Hanc ſententiam oculatius paulo inſpicere operæ pretium fuerit, veritatem enim principiorum impugnare, barbariem aut ruinam bonis artibus minatur.

III. Hactenus indubitatæ veritatis regula fuit, cauſarum alias eſſe internas alias externas, quarum hæ ſint materia & forma eſſentiam rei conſtituentes, illæ efficiens & finis, quatenus tales, eandem non ingredientes. Efficientium cauſarum ſive univoca

ſive

ſive æquivoca fuerit, nulla unquam ingreditur eſſentiam effecti. Animalia enim univoce generantia, nec ex ſua propria materia, neq; ex ſua forma producunt ſemen, unde animal proſatum, ſed ex cibo chylum, ex chylo ſanguinem, ex ſanguine ſemen, in quo potentia proxima ad animal. Illud à ſubſtantia efficientis, nec quoad materiam, neque quoad formam abſcinditur vel dividitur, ſed generatur ab efficiente, ex ſanguine & ſpirituum mixtura in teſtibus à natura deſtinatis ut generandi materiam conficiant. *Si vero hoc ipſo formæ efficientis particula, ex ejus corpore in corpus ſeminis tranſeat, neceſſum foret, formam per ſe primo eſſe diviſibilem, quod nec pars nec materia corporis fuerit ſemen.* Recte proinde Titelman. lib.8. natural. philoſoph. c.10. inquit: Effectus operationis virtutis generativæ eſt extra ſubjectum ipſius potentiæ. Potentia nutritiva & augmentativa, ipſa ſuum individuum in quo eſt, nutrit & augmentat. Nulla autem res per potentiam generativam ſe ipſam generat, ſed aliud diſtinctũ individuum ſimile tamen ſecundum ſpeciem. Hæc ſpeciem propagat, illæ conſervant & ad generationem tanquam ad finem ordinantur. Homo propagat ſpeciem ſeu hominem, non individuum, alioquin ſe ipſummet propagaret. Petrus non generat nec producit eundem Petrum ſeu ſe ipſum, ſed ſui ſpeciem, hoc eſt hominem in individuo exiſtentem alio. *Quocirca non ſuæ propriæ eſſentiæ ſeu formæ participatione generat, ſed per ſuam formam tanquam cauſam efficientem.*

4. Forma ſi ab efficiente immediatè generetur & tranſeat cum ſemine, ut ex eo ſibi domicilium exſtruat, principia generarentur; atqui de natura prin-

cipiorum eſt, non generari vel corrumpi, ſed principati. & Ariſt. lib. 1. Phyſ. auſcul. c. 1. ait, omne quod generatur eſt compoſitum. Zabarell. lib. de generat. & interit. c. 5. inquit propriè dici totum compoſitum generari & interire, non formam vel materiam, ſi non nimis largè loqui velimus. Et Bodin. lib. 3. Theat. natur. Quæſt. 70. nec materiam nec formam generari, ſed totum ex utroque miſtum. Sed concedamus propius & premamus arctius.

V. Omne quod fit, fit ex aliquo quod eſt in potentia. Nihil vero reducitur ex actu ad potentiam, niſi ab ente exſiſtente in actu: ſi enim ſit aliquod ens exſiſtens in potentia, id ab alio exiſtente in actu reduci debet, cum nulla potentia ſe ipſam actuare poſſit; & quod fit, id actu nondum eſt ſed ad actum aſpirat; quod vero facit, id omnino actu neceſſarium eſt eſſe. Niſi enim una & eadem res dicenda ſit actu eſſe & non eſſe, fatendum eſt quidquid fit, ab alio fieri. Hactenus illud primæ divinæque ſcientiæ immotum exſtitit oraculum & principium, cui & nos inniti æquum eſt.

VI. Forma cum ſpeciem propagat, ſuique ſimilem producit (ita cum illis loqui fas ſit) induit rationem cauſæ efficientis: generat itaque ſibi ſimile ex alio quod potentia tale erat. Nulla enim forma rerum ſpeciem profert, quatenus ſe ipſam ex hoc ſubjecto transferendo migrat in aliam materiam aut ſubjectum, ſic enim ſtatuere eſt metempſychoſin Pithagoream reducere; nec quatenus ſui particulam, in aliam, extra ſuum ſubjectum, transfundit materiam, ſic enim ipſa primo foret diviſibilis & quanta; ſemen enim non eſt pars animata animæ ſeminantis

unâ

unâ & eadem à quo avellatur tanquam ſurculus ab arbore, ſiquidem non magis animatum ſemen eſt quam ſanguis, nec pars corporis propriè dicta: Neceſſum itaque eſt, ut ſe propaget ſimilem ſui producendo, tanquam cauſa efficiens: atqui hæc non ingreditur effectum, ut cauſa interna & conſtitutiva pars eſſentiæ. Ex forma enim & materia parentum non naſcitur proles, ſed generatur, tanquam ab efficiente ſibi ſimilem procreante, ex principiis non ex propria ſua eſſentia delibatis aut diviſis, tanquam particulis. Generatio itaque fit cum parentes pro- " ducunt ſemen prolificum, habens potentiam for- " mæ ad ſpeciem ſui ſimilem. Illa forma nondum actu generata eſt, ſed hæret in potentia ſeminis (excipe animam rationalem) uti in ovo actu non eſt forma pulli, ſed proxima potentia ad eundem. Sufficit ſemen à generante talem accipere potentiam ut externo quovis adminiculo convenienti, poſſit in actum perduci. Ovum leni caloris fotu actuatur, & generatio perficitur, ubi ſemen æquali poteſtate præditum, eſt genitum, quo producto, & in ſuo loco (videlicet matrice commoda) aſſervato, atque ſuperſtite, ipſe generans interire poteſt. Quod ſi à calore & virtute uteri in actum ducatur, non dicendum formam eſſe generatam à calore, vel ab accidente ſubſtantiam produci. Erat enim in potentia proxima, quæ eſt ratio diſpoſitæ materiæ propinquiſſimæ, talem importans neceſſitatem, ut accedente caloris opera, atque convenienter adjuvantium actione forma ei propria & debita, non alia qualiſcunque, emergat & exſurgat. Quod in ſemine potentia eſt ad animam id ab anima habet, videlicet illam conſtitutionem

nem, ut potentia in eo ſit proxima ad animalis formam, quam ut adipiſcatur, non eſt amplius iſtius animæ præſentia opus, à cujus virtute eam habet; ſed ſufficit in commodo loco vim plaſticam ab anima inditam ſuſcitari, foveri, ipſamque potentiam in actum deduci, quod ſemini animantium accidit in utero, & ſtirpium in terra.

VII. Actu formas à generante propagari qui ſtatuunt, dicant an à formis efficientium ſint ſeparatæ tanquam portiones, vel in ſubjecto aliquo (puta ſemine) genitæ, aut erunt ex nihilo. Primum non procedit ex allegatis cauſis; ſecundum ſi admittis, forma in ſemine erit actu exſiſtentiali, re non exſiſtente. In ovo erit forma ovi per quam exſiſtit, ultimata & forma pulli exiſtentialis atque ultimata pullo non exiſtente, eritque & ſubſtabit res una & eadem duobus actibus ſpecificis & ultimatis. Relinquitur proinde ex nihilo (quod abſurdum) vel ex potentia materiæ formas proferri. Verum duas formas ſpecificas non poſſe eſſe in eadem materia, immobile eſt veritatis ab omni antiquitate principium. Nulla ſiquidem forma materiatorum ultimata, in re aliqua eſſe poteſt, ubi non informet, & uti extra eandem non exiſtit, ſic ubicunque in eadem eſt, informat. quod forma & formatum ſint tempore ſimul, juxta verioris philoſophiæ antiquiſſima decreta, & principia irrefragabilia, & quod ſit actus rei quæ facit ut res ſit in actu; ſi enim præſente exiſtentiali & ultimata forma, res ſit adhuc informis, res eadem ſimul non erit & actu erit. Vbi itaque forma tanquam in ſubjecto eſt, ibi informat: Extra ſe generat ut efficiens, non ex ſe, neque in ſe. Ex formæ per ſui multiplicationem pro-

pagatione

pagatione ſequetur hoc, quod ex ovo non fiet pullus ſed ovum, quemadmodum ex cane canis, & ex cibo non fiet chylus ſed alius, ex chylo non chymus vel ſanguis, ſed chylus.

VIII. Statuere omnium rerum generationem fieri per ſemina tanquam formarum traduces, eſt æquivoce agentes cauſas à generatione, & omnia miſta inanimata à generatorum cenſu excludere, mutuamque elementorum tranſmutationem negare. Nullum ſiquidem exanime producit ſemen, niſi quis lapides & ſaxa vivere, juxta Paracelſicam abſurditatem defendere & amplecti ſuſtineat. Ab æquivoce agentibus cauſis generata, primo nonnihil diſpiciemus, de cæteris in progreſſu latius agetur.

IX. Si in ſterquilinio vi cæleſtis operationis generatione æquivoca producitur forma, ea vel à cœlo infundetur, vel ejus virtute ex potentia materiæ generabitur: à Cœlo ſi dimittatur, erit ibidem formarum congeries ad inferiores ablegandarum, quæ per ſe neceſſario ſint incorruptibiles adinſtar animæ rationalis, ſine materiæ conſortio exſiſtere potentes, quæque materiâ recedente cum eadem non intercidant, quod ante ejus congreſſum exſtiterint nec quicquam adverſi habeant à quo corrumpantur, cum formis nihil ſit contrarium. Omne enim quod intercidit à contrario vel potentiore perit.

Quinimo ſi perirent, in nihilum redigerentur, ſiquidem non redeant in potentiam materiæ Elementaris, cum ex ea non exſurrexerint. Atqui uti nulla res ex nihilo generatur, ita quoque nulla in nihilum redigitur. Aut forma Cœlo oriunda erit, & ſic forma erit diviſibilis, & cælum erit forma inferiorum,

quod

quod philoſophia ſana non admittit : relinquitur proinde materia in qua vel antea actu erant formæ, vel ex cujus potentia educebantur. Actu formam ſcarabæi in ſterquilinio eſſe abſurdum eſt, ſequitur enim equum generare formas ſcarabæi , & conſequenter ſcarabæum, uti canis canem juxta Scalig. & Themiſtium, neque eſt quod dicas in generatione murium ex quiſquiliis, ranarum ex limo, & ſcarabæorum ex ſterquilinio primo aliquid generari quod ſemini ſimile ſit; quæretur enim à qua forma inferiorum id fiat, an non à cœlo quæ hoc pacto & materiam præparat & formam educit? Ex quo pariter liquet, formarum propagationem per ſemina, à principio continua ſerie generantia, intercidere.

X. Supereſt igitur ut admittatur formas ex potentia materiæ produci , vel explicetur commode unde oriantur. Neque enim ex nihilo fiunt aut in nihilum rediguntur, neque ex Cœlo ſunt, neque ex aliarum diviſione aut particulatione. Agedum nega ex potentia materiæ eas exſurgere & ſemper ab exſiſtente priore alia dividi : quæ itaque forma ignis hoc elemento prior eam ex materia prima produxit. Neque enim hanc ex ſupra allegatis negare, neque ſubjectum mutationis inficiari poſſumus. Dic ab initio à creatore ex eadem formatã, cur non ex ejus potentia elementorum formæ primitus vi creatoris productæ uti animantium animæ ex Elementis? Negare vero non potes mutuam eorum tranſmutationem; an itaque ex äëre generatur ignis, quia antea in aëre erat forma ignis, uti forma canis in ſemine canis ſibi materiam præparans ? Hic nova generationis ratio comminiſcenda , videlicet formarum

mutua

mutua expulſio aut propagatio, de qua poſtea.

XI. Metalla gemmaſque hinc inde recens generari ubi nulla præfuerint, & herbas hinc inde naſci, quarum ſpecies ibidem ſeminantes ante non exſtiterint, nec ipſe autor negat, allegato, de Gal. cum Chym. conſen.& diſſenſ. libro, & experientia atque obſervatio oculo tenus teſtatur. Si itaque virtus cœleſtis eſt cauſa mixtionum & generationis æquivocæ, tam earum rerum quæ ſine ſemine generantur (uti ipſe Sennertus teſtatur in Phyſica ſua, ubi aſſerit, generationis miſti cauſam generalem eſſe cœlum, proximam vero actionem duarum qualitatum) quam quæ ſemen producunt, eoque mediante ſpeciem propagant, ſi materiam ſterquilinii, limi & quiſquiliarum animare & informare valeat, quidni poſſet & mixta inanimata & lapides & metalla formare. Si lapis generatur in veſica, vermis in inteſtinis & qualibet corporis parte & in ulceribus, cur non metalla de novo vi cæleſtium alibi exſurgant? quis cœlum, quod Scaliger dicit eſſe omnia poteſtate efficiendi, " hac privabit virtute? quis materiam potentia reci- " piendi hanc formam. "

XII. Clariſſ. Sennertus lib. de Gal. cum Chym. conſen. & diſſ. fol. 352. inquit. In rerum propagatione, ſpecifica requiritur forma, quam elementorum concurſus & miſtio temeraria præſtare non poteſt. Forma ergo & anima cujuſcunque rei architecta, & primus motor in miſtione eſt anima & forma cujuſque rei. Hactenus ille.

XIII. Formam autem hanc efficientis formæ portionem eſſe, ab eaque diviſam, & per traducem ſemineum, vel quod huic reſpondet, propagatam; ut

anima

neceſſarias, eadem generabit. Omnes porro ex hoc formas, quæ ex cibo conſequenter prodeunt in eo præfuiſſe oportebit ſtatuere. Non enim de novo generantur per generationem novi miſti, ſiquidem non generatur chylus, quia generatur chylus, ſed chylus generatur ex cibo, quia in cibo erat forma chyli, uti forma ſeu anima canis in ſemine canis, & ex chylo ſanguis, quia in chylo forma ſanguinis, atque ſic deinceps. Aut ſi vis ab anima calore viſcerum hæc generari, dic unde forma chyli, chymi, ſanguinis, ſeminis. Si ex tua opinione per propagationem formarum præexiſtentium, quænam anima vel forma ex ſui diviſione eam informabit? ex potentia itaque materiæ educi neceſſum erit, alioquin ſequetur in materia actu exſiſtere omnes iſtas formas, quæ ex eadem prodire aut exſurgere poſſint. Sub forma cibi non peribit forma chyli, nec ſub hujus forma chymi, quia ad hujus generationem ſuperſtitem illam eſſe oportebat. In tritico erit forma tritici & chyli & vermis, & tandem, quod verè Paracelſicum eſt, erunt omnia in omnibus, aut formæ & ſemina vel eſſentiæ ex Iliado & abyſſo vel Orco Bombaſtii in hanc mundi ſcenam venient, perſonaſque aſſument, & corpora ſibi fabricabunt. Sed quid hoc aliud eſt, quam damnatam Paracelſi hæreſin, novis palliatam rationibus reducere, & antiquatos errores in fraudem ſcientiarum, & perniciem ſtudioſæ juventutis, recentibus incruſtare abſurditatibus?

XV. Generatio autem omnis eſt à cauſis æquivocis vel univocis. Has propagatione formarum per ſemina, aut per id quod ſemini reſpondet, generari aſſerit D. Sennertus, quo pacto quercus quercum &

canis canem producit. Æquivoca generatio fit, cum agens non producit ſibi ſpecie ſimile, & ſic cœlum eſt omnia poteſtate agendi, dictante Scaligero. Nulla autem perficitur univoca, niſi accedat æquivoca: à cœli directione eſt omnium rerum generatio & corruptio; illud tanquam agens univerſale omnia inferiora generat, mutat, producit, & ſine illo nihil fit in inferioribus. Quo pacto ad generationem cum rerum miſtarum tum animatarum vel mediatè vel immediatè agat aut concurrat calor cœleſtis, elementarem, vel noſtrum innatum dirigens, miſtiones ac generationes operans & promovens, Zabarella luculenter docet lib. de calore cæleſti & paſſim in libris de rebus naturalibus. Is immediatè calorem elementi, directum tamen à ſuperiore omnes rerum inferarum mutationes gubernante, ait, producere formam miſti inanimati, ut verò animal generetur accedere oportere externum principium, nempe cœleſtem atque divinum: Formæ inquit lib. de mente hum. c. 9. inanimatorum de materia educuntur ab agente elementari: nam calor elementaris in generatione miſti locum habet agentis in educenda forma miſti de poteſtate materiæ, ſed anima non poteſt à facultate elementari produci; quare principium habet activum externum, nempe cœleſte atque divinum: cauſam agentem in productione omnium partium animæ, refert Ariſt. in facultatem cœleſtem, hoc eſt aſtrorum vires, quas etiam inquit inter ſe diſſidere, majore & minore nobilitate, prout etiam animæ nobilitate diſcrepent; in hanc igitur cauſam agentem idem refert productionem animarum Ariſt. Nam animalia quæ ex putri materia generantur, ibidem aſſerit à

tali

tali cœleſti principio generari; illa verò quæ per propagationem & ex ſemine gignuntur, inquit, habere in ſeminibus facultatem generatricem à cœleſtibus corporib. inditam, quam dicit eſſe calorem, non quidem elementarem & igneum, ſiquidem calor igneus non eſt productivus viventis, ſed calorem cœleſtem & à cœlo impreſſum, proinde referentem naturam quinti Elementi, cum ab eo proveniat, & tanquam illius inſtrumentum eſt productivus animalis: agit enim ſemen tum virtute propria tanquam agens proximum, tum etiam virtute cœleſti tanquam inſtrumentum cæleſtis agentis, & hac ratione dicitur in ſemine ineſſe principium activum, ab ipſo ſeparatum, hoc eſt rectum & gubernatum ab agente ſeparato. unde dici ſolet: Sol & homo generant hominem; propria enim ipſius ſeminis virtus, non poteſt alia eſſe quam elementaris, quum ſemen ex elementis conſtet, nam hæc quoque virtus ſuam actionem contribuit, ſed ad animalis generationem nullius eſſet momenti ſine altera quam ſemen à cœlo accipit, qua ratione partes animæ, præter rationalem, ita producuntur à cœleſti illo principio, ut de poteſtate materiæ ab eo educantur.

XVI. Idem lib. de calore cœleſti c. ultimo ex Ariſt. docet, calorem ſeminibus inſitum, habere vim generandi animal, proinde non elementarem eſſe, ſed cœleſtem ac divinum, ſiquidem calor igneus nullum animal generet: unde quidam collegerunt (inquit) ſpecie diſtinctos eſſe calorem igneum & calorem vitalem, ſed decepti ſunt, quia diverſa quidem ſunt principia agentia, quæ calore utuntur, ſed ipſa caloris natura eſt ejuſdem ſpeciei: ignis enim non

poteſt animal generare, neque animam de materia educere per calorem, quia non poteſt agere ſupra proprias vires;at cœlum & virtus vitalis cœlo proportione reſpondens, poteſt per calorem generare animal. Calor elementaris in miſtione agit in ſiccum & humidum, ea regit & unit, & miſtionem abſolvit, & formam miſti educit: at non educit animam, hæc enim eget agente ſupereminente naturam elementarem, quale eſt cœlum & anima ſeu virtus vitalis cœlo proportione reſpondens.

XVII. In ipſa elementari materiâ, ex qua hæc corpora generantur inſitum eſt activum principium, nempe calor elementaris, à quo abſolvitur miſtio & educitur forma miſti, quemadmodum etiam à virtute elementari educitur de materia forma elementi, quando ab aliquo elemento convertitur in naturam ſuam aliud corpus: & quamvis ad has quoque mutationes concurrat cœlum, & agens univerſale, non tamen ut agens proximum & immediatum, nam proximum agens eſt vis Elementaris. hactenus Zabarella. Ex quibus omnibus liquet, cœlum æquivocè generare omnia miſta inanimata, ſeorſim exſiſtentia, & miſta animata calore cœleſti ex ſemine, & demum immediatè non ex ſemine, ſed elementis, uti ex limo ranas, & quiſquiliis mures.

XVIII. Vnde ſcite Scaliger Exc. 6. no. 5. Pendere hæc noſtratia ex ſuperioribus, propter æquivocam connexionem, non propter univocam effectionum communionem. Sunt enim ſuperiora quaſi formæ conſervatrices inferiorum; quia hæc ipſa cauſa cauſarum tuetur ea quæ fecit, per ea quæ fecit. Iccirco nos moveri quia moventur illa, & vivere nos quia vivunt

vunt illa, & eſſe quia ſunt: Et hac ratione ab Ariſtotele dictum eſſe, quod ſol & homo generent hominem. Cœlum itaque ad omnium rerum generationem, ut agens univerſale & æquivocum concurrit, idque mediatè, ut in iis quæ ex ſemine generantur, vel immediatè ut in opificio animalium ex limo quiſquiliiſvè productorum, ut frivolè aſſignetur omnis generationis poteſtas & ordo, tam ſimpliciter miſtorum quam animatorum, animæ vel formæ præexiſtenti in materia rei generandæ. Scitè proinde Scaliger Exerc. c. l. no. 18. ait falſum eſſe, omne quod generetur ab anima generari: neque ſolam animam miſcere, quod & calor ſolis miſceat, & calor ignis miſceat. Quocirca etiam quærere, quid rerum ortus & obitus in his inferioribus moderetur, quid tantillo terræ tantũ aquæ miſceat, numquid eſt naturam naturantem, ſeu cæli univerſalẽ potentiam & cœlorum aſtrorumq; ingentia & potentiſſima corpora virtute agendi in hæc inferiora ſpoliare? Quid eſt in univerſo quod rerũ miſtiones & generationes dirigit ac regit? an natura particularis & bruta, num vero illa intelligens & omnia dirigens? bos in Venerem fertur non ſua intentione, neque ut ſpecies propagetur & conſervetur, ſed fine & cõſilio univerſi dirigentis naturam bovis, per ſuas qualitates, quas ut peculiares ad hoc indidit ita certis tẽporibus eas excitat. Opus naturę eſt opus Intelligentiæ, & natura particularis non agit fine ſuo, ſed fine univerſi, & cauſarum particularium infimarumq; poteſtas, à prioribus, ſuperioribus & univerſalioribus dependèt, cauſa enim poſterior agit virtute prioris, & ſubalternatim aſcendendo, donec ad primam omnium deveniamus, quą pul-

 cherrima

cherrima connexione, ab una & ad unam omnia; dependent omnia; ſeu tota rerum omnium ſeries. Inferiora autem potiſſimum per rerum generationem conſervantur. Formis verò particularibus proclivitatem ſeſe propagandi, rerum generationem & interitum moderandi & conſervandi, univerſumque, & ne quid in ſpecie deficiat, moderandi & adminiſtrandi virtutem aſſuere, eſt pulcherrimum hunc à Deo ordinem inſtitutum turbare aut convellere, philoſophicas diſciplinas & veritatis regulas peſſundare, artium ſtudia corrumpere, ad Paracelſicam barbariem inclinare juventutem, & ſenſim ad ea quę Paracelſi myſtæ & fratres roſei pone ſequuntur, videlicet atheiſmum, aliaque errorum plauſtra, viam munire.

XIX. Materia prima uti formarum ita & qualitatum eſt expers, & ad omnium illarum receptionem æqualem habet reſpectum. Qualitates quo ad ſui originem per formam generantur in materia, quoad ſubjectum & inhærentiam, non ſunt propriè in materiâ, nec in formâ, ſed in toto, ex materia & forma conſtante. Proinde in materiâ primâ non poteſt ex qualitatibus generari forma, uti inferebat D. Sennertus in lib. de Gal. cum Chym. conſenſu & diſſenſu, quia oportuit præfuiſſe formam cujus vi genitæ & productæ ſint qualitates. Omnis ſubſtantia prior eſt ſuis accidentibus, ut cauſa ſuo effecto. Inanis itaque & frivolus eſt diſcurſus de generatione ex qualitatibus quod formas ſequantur, uti quantitas materiam. Proinde potentia in materia prima non eſt qualitas vel diſpoſitio qualitativa, quæ ſit accidens, ſed in ipſius entitate conſiſtit, & cum quæritur à quo

actue-

actuetur, vel in actum deducatur, animus ad primam & ſecundam eſt inflectendus. Ex potentia primæ formas elementorum eductas eſſe, & hæc elementa materiam eſſe ſecundam, ex qua res omnes generentur, vetus eſt & orthodoxa ſententia. Materia prima recipit formas elementorum, ex quorum mixtione corpora cætera, videlicet miſta inanimata & animata, vegetabilia, animaliaque omnia generantur. Hæc autem elementaria corpora miſcentur, vi & actione mutua qualitatum primarum, quibus excellenter inſignitæ ſunt, in quo opere calor primas tenet, humidumque cum ſicco unit, determinat maſſamque penetrando ad coalitum, per minimarum ſenſuique imperviarum partium juxta poſitionem, elementa componit, ut unum aliquod fiat conſequens, & indipiſcens potentiam ad formam iſtam propter quam fiebat miſtio. Neque tamen dicendum ſolas ibi agere qualitates & mixtionem formæque eductionem perficere: ſiquidem non ipſæ ſolæ agunt, ſed directæ à formis à quibus dependent, potiſſimum vero gubernatæ virtute ſuperiorum, ad actũ hæc inferiora ducente, miſtiones generationeſque moderante, & ut tantum terræ tanto aquæ miſceatur procurante, & ut ex miſtorum coagmentatione forma corpus definiens, eique ſuum eſſe proprium largiens, & in certa rerum claſſe, quâ ab aliis ſpecificè differat, ſtatuens, exoriatur, perficiente.

XX. Ex elementis hac ratione omnia ſublunaria quo ad materiam & formam (animam humanam excipe) generari ex eo patet, quod omnia viciſſim in Elementa reſolvantur, ex quo pariter conſpicuè allucet, elementorum formas in miſtis non perire, ſed

in his materiæ quandam vicem ſuſtinere. Cum autem in re miſta & ex elementis genitâ, plus ſit quam elementa, alia enim ineſt natura in miſtis & miſtorum corporibus ex elementis ortis, qua & ab elementis miſtiſque elementatis, ex quibus nata ſunt, cæteriſque reb. invicem differunt, quæ ipſis eſſentiam definit & conſtituit, actumque cùm eſſentiæ tum exiſtentiæ largitur, qua ratione gemma differt à metallo, & lapis ab herba. Eſt enim materia ens in potentia contrahibilitatis per formam, ſequitur per miſturam aliquid genitum, quod altioris ſit naturæ quam Elementaris, quod eſt miſti, rerumque ex elementorum miſtione miſtorumque remiſtione reſultans forma. Rem autem tot ſubire miſtiones, ut nobiliores acquirantur formæ, ex naturæ ordinata ſtataque agendi lege patet. Natura non ſtatim ex materia prima, neque primò & immediatè, ex elementis generat animal, ſed multis intercedentibus miſtionibus, quarum priores fiunt propter poſteriores, ut nobiliores producantur rerum eſſentiæ; per varias ſiquidem miſtiones, variaque rerum contemperatione materia ſic diſponitur, ut nobiliſſimæ formæ fiat capax ſubjectum.

Tot enim formas miſtorum remiſtioneſque miſtorum ſubit, ut tandem nobiliſſimam quam natura intendit, adipiſcatur. Vnde formæ animalis, & demum humanæ nobiliſſimum eſſe ſubjectum, & hoc ſupremum miſtionis gradum eſſe indeptum, philoſophi perhibent. Ex elementis enim naſcuntur miſta, ex miſtis vegetabilia, ex vegetabilibus cibaria, ex his chylus, ex chylo ſanguis, ex ſanguine ſemen, ex ſemine & ſanguine partes corporis organici, formam

mam cum animantium tum humanam recipientis.

XXI. Fiunt itaq; iſtæ miſtiones & miſtorum remiſtiones non fruſtra, atque uti primorum corporum elementarium formæ & qualitates nō abolentur, ſed in miſto ſub aliena forma materiæ quandam vicem ſubeuntes permanent, ita & diſpoſitiones & miſtorum priores qualitates ſub ultimatis poſtremo miſtorum formis nobilioribus, non ita plane exſpirant, & uti propter rerum nobiliorum generationem variæ fiebant miſtiones, ita qualitates novæ per novas formas acquiſitæ non omnino pereunt. Nobiliores autem ſunt formæ miſtorum, quam elementares, & formas digniores ſequuntur qualitates præſtantiores, aliam & diverſam, atque excellentiorem quam elementares virtutem habentes.

Inflectuntur enim elementares in rerum variis ad optima tendentibus generationibus. Calor elementi hac ratione temperatur ut fiat animalis, neque urat ſed vivificet, præcipuè cum præſtantioris formæ evadit inſtrumentum. Cæteræ à formis miſtorum generatę qualitates, partim ſub ultimata manent (miſta miſceri in mula, ſeminaque ad generationem miſceri videmus) recedentibuſque iiſdem, in ſubjecto perdurant, veluti calor piperis in ſanguine, quo pacto in ſanguineis & carnulentis partibus, ſanguinis; & in ſpermaticis, ſeminis qualitates obſervare eſt. Ex variarum rerum miſtione, quarum formarum qualitates non exſpirant ſub ultimata, occultarū qualitatum rationē exſtruendā jam dudum arbitratus ſum, quarum actiones ſunt mirabiles propter indicibi-

lem variarum qualitatum idioſyncraſiam, præcipuè ſi à forma dirigatur.

XXII. Ex hac miſtione & varia remiſtione ad formam ultimatam tendente, generationem perficiente, pulcerrima reſultat de rerum generibus & ſpeciebus ſpeculatio. Adſumit enim natura primò formas univerſales & eſſentiales genericas, dein particulares & exſiſtentiales. In & ſub illis rerum genera & eſſentiæ perpetuant. Et ne his pereuntibus deficerent, in illis conſervantur ad æternitatem quandam. Vti itaque ex communibus elementorum & miſtorum corporibus, animalium corpora tam brutorum quam hominum producuntur, ita commune habent genus. Redolet enim genus materiam. Et ut per certas formas viciſſim eſt diſtinctio generis in ſpecies, ita formæ ſpecierum in rationalibus & brutis contrahunt illud & determinant & definiunt, ut ex eſſentia generali in certum ens ſpecificum contrahatur, fiatque rationale & irrationale exſiſtens in ſingularitate. Proinde actus qui largitur eſſentiam non dat protinus exſiſtentiam; ſed qui exſiſtentiam adfert, quia generaliorem determinat, & quaſi aliquid potentiæ habentem definit, potiorem naturam & eſſentiam impertiri dicitur, cujus merito ſpecificam habet ab aliis differentiam, & operationes omnes ſimulque nobiliores ſpeciei peculiariter convenientes perficit, Roſa tempore hyemali hæret in principiis eſſentialibus, quibus per formam ultimatam actuatis conſequitur eſſentiam & omnia quæ ſpeciem roſæ propriè comitantur. In ſemine animantum principia ejus deliteſcunt, materiæ vicem ſuſtinentia, ex

cujus

cujus potentia exortâ formâ, quæ actu non inerat, prognaſcitur animal.

XXIII. Semen non eſt pars corporis, nec ab eo deciſum, ſed utile excrementum tertiæ concoctionis in teſtibus genitum, uti lac in mammis: non enim mutilatur corpus cum profunditur ſemen, nec decedit ut pars integralis vel membrum. Eſt autem corpus ſimilare, cujus partes omnes ſint homogeneæ eandemque definitionem & eſſentiam habent cum toto; eſtque per ſuam formam id quod eſt: ita tamen conſtitutum, ut extra ſuum locum ubi gignitur, videlicet teſtes, aut ubi ad generandum recipitur, ſtatim pereat. Seipſum extra eundem nec conſervare, nec ad actiones ſuas, niſi in matrice, eaque legitimè diſpoſita & temperata ac ſanâ in actum excitari poteſt. Eſt itaque corpus miſtum inanimatum, perque propriam formam, quæ ſub ſua materia diviſibilis eſt, eſt id quod eſt. Vnde Zabarella c.7.l.1.de mater. prim. inquit. Hac ratione contrarietatem præ ſe ferunt, forma hominis & forma ſeminis, quanquam verè contrariæ non ſint, quod, nempe, quatenus ſimul in eadem materia exſiſtere nequeunt, & una habet conjunctam privationem alterius; & quando deſinit, incipit altera. Non eadem autem ratione eſt forma amica & inimica alteri formæ, ſed inimica eſt ſecundum ſe, quia cum ſit forma, non poteſt ſimul cum altera forma exſiſtere in materia; amica vero non ſecundum ſe, ſed ratione qualitatum, quas habet conjunctas: hæ namque materiam illam præ- „ parant ad formam hominis recipiendam, retinet „ enim ſemen qualitates quaſdam illius animalis à „ à quo defluxit, quæ faciunt ut materia non poſſit „ aliam

„ aliam recipere formam, quam illius animalis. Actu proinde ſemen in teſtibus, uti & cætera excrementa utilia, & ſanguis in venis, non vivit, potentia tamen proxima, virtute uteri in actum deducenda, vitam adipiſcitur, quemadmodum ovum non vivens convenienti caloris adminiculo & fotu, & vivificatur & in actum excitatur.

XXIV. Verum enim verò animatum eſſe & vivere ſemen, cũ & ex Scaligero & Themiſtio definit Clar: Sennertus, animamque in eo ex eodem ſibi fabricare corpus: qua ratione anima canis cum ſemine ejuſdem propagata ſui corporis domicilium conſtruit. Vita autem non potiri ſemen ex eo liquidò patet, quod ſit actus corporis organici, hoc autem ſit ſimilare. Contra Mercatus excipit: ſemen conſtare ex ſpiritu & humore quæ ſint partes ejus. Cui reſponſum velim, hæc eſſe materiam non partes organicas: neque enim extra, neque in corpore ſpiritus & humores, conſtituunt partes organicas. Et ſi vitale eſt ſemen, vivit vel ad ſui conſervationem, quæ fit nutritione, vel ut augeatur & creſcat, vel ut generet ſui ſimile. Atqui horum nullum intendit. Siquidem eſt in potentia ad aliud, & propter aliud, videlicet ut ex eo generetur animal. Non intendit ſui conſervationem; quia ut fiat animal, ſemen perire neceſſe eſt, neque accretionem, quod ut ſemen illa non indigeat, neque generationem ſui ſimilis, quam tamen omne vivens meditatur.

XXV. Sed an anima fabricatrix eſt in ſemine uti volunt? ſemen eſt corpus ſimilare, cujus quælibet particula eſſentiam totius tuetur, & forma cum parte eſt diviſibilis: Quocirca in ſemine canis quod

eſt

eſt actu canis, neceſſe eſt tot eſſe canes actu, quot guttulas vel portiones, quæ ſeminis eſſentiam tuentur, continet; eſt enim anima tota in qualibet ſui corporis parte, licet ab altera dividatur. Neque enim reponi poteſt, animam ex ſeminis gutta vel tenui portione non poſſe integrum corpus fabricare, quod Clariſſ. Sennertus ipſemet aſſerat in lib. de Gal. cum Chym. conſ. & diſſ. eam eſſe formarum dignitatem, ut in minimo corpore æque ſuam eſſentiam & potentias integras retinere poſſint, ac in maximo: non enim inſunt locativè, ſed totæ toti omnibuſque rei particulis. Et ſi forma quercus in exiguo germine, quod è planta pullulat, æquè integra eſt, ut in annoſa poſtea & procera, cur non eadem quoque in glande? neque prohibet molis ſemineæ portio exigua, quo minus fiat generatio, quia forma ſeminis corpus fabricans, æque eſt in parte minore quam magna, uti videre eſt in grano tritici, alia centum viciſſim ex ſe promente. Et cum formæ uti volunt ſunt multiplicativæ ſui, quid vetat tot exſurgere ex animalis ſemine, quot actu inſunt vel ineſſe poſſint? Verum hanc rationem mittimus, neque enim in illa aſſertionis noſtræ fundamentum eſt collocatum. Anima quæ eſt in ſemine, & ſibi fabricat corpus ejuſque eſt forma, ſiquidem illa quæ nunc eſt forma ſeminis, poſtea futura eſt animalis, ut ait Scal. exer. 6. no. 7. eſtque pars genitoris, triplicis materiæ erit informativa: (cujus rei ineptiam ſuprà vidimus) fuit enim primo forma generantis, ſecundò eſt forma ſeminis, tertiò eſt forma animalis ex ſemine nati: quod ſi verum eſt, rerum individua ſunt perpetua, & res non per ſpecies, ſed per exſiſtentias

ſuam

ſuam habent perpetuitatem (omne enim quod exſiſtit, eo ipſo quo exſiſtit, ſingulare eſt) ſiquidem per actum exſiſtentialem, & formam ultimatam propagantur, quæ cum corruptibilis ſit, neceſſum eſt rerum ſpecies, vel jam dudum defeciſſe, vel naturaliter deficere poſſe, quam abſurditatem ſana philoſophia non tolerat.

XXVI. Deinde forma exſiſtentialis, una eademque non poteſt eſſe diverſæ materiæ, certum enim quælibet forma requirit apparatum in materia, alioquin quæcunque quamcunque informare, & ſic ex quolibet fieri quidlibet, & juxta Pithagoram anima de corpore in corpus migrare valeat. Præterea non perit forma, niſi ex materiæ deficiente apparatu, cum quo conſiſtit, ſervatur & perit. Corporis proinde organici forma variâ ſpecialique propter partium diverſitatem, & non ſimplici neque unica temperie diſpoſitum poſtulat ſubjectum. Anima eſt actus corporis organici, & vita eſt actus animæ, ſemen nec organicum corpus nec vitale eſt.

XXVII. Sed ſi in ſemine anima, quomodo ſodes propagatur? Tres cum magno Scal. modos proponit Clariſſ. Sennert. Primus eſt cum ſe promovet anima tali ratione, quali in accretione ſeſe induit in novam materiam, vel quo pacto ſurculi aut rami ab arbore avulſi, terræque inſiti, novam ejuſdem à quo detracti ſunt ſpeciei arborem producunt, vel qualiter à lampadis flamma flammam excipimus, illa nihilo ſecius integra manente.

XXVIII. Verum ad primum & ſecundum modum propagatio formarum per ſemina procedere non poteſt, ſiquidem in illis anima ſeſe extra ſuum corpus

pus ejuſque partes non protendit nec fertur. Cum ramo avulſo forma tranſit quia fuit pars arboris, in carnem promovetur anima, quia caro fit pars corporis. Atqui ſemen animalis nec eſt, nec fuit, nec erit pars corporis à quo gignitur, ſed utile excrementum; Lac, ſemen, ſanguis, nec animata nec corporis ſunt partes.

XXIX. Tertius modus ſimiliter non procedit. Flamma in aliud corpus ſe non dividit, nec ſemper ab alia flamma generatur, ſed ex ſubjecto habili, diſpoſito, & proximam potentiam habente, ut celeriter in flammam aut ignem vertatur. Nec enim flamma accedente, in ſulphur eadem propagatur, ſed ſulphur in ignem vertitur, veluti & pulvis pyrius, ob materiam igni proximam facilime igneſcit. Vnde igitur, inquiunt, admirabiles illæ in ſemine potentiæ? A forma, inquam, admirandis virtutibus & vi plaſtica inſtruente, quemadmodum calor nativus vi vitali ab anima imbuitur, & ab uteri fomento, ſuperiorum cœleſtiumque concurſu, ſiquidem ſol & homo hominem generant.

Semen primo fit unum cum matrice, & conſequenter cum corpore matris, ipſi ut pars inſtar brachii pedisvè adhærens, ejuſque vivifico, ab arteriarum & venarum influxu calore fovetur, vis plaſtica à generante indita excitatur. Calore animantis in corpore animato inutilis materia in Vermem, quanto magis in utero loco generationi deſtinato à calore proprio, eoque qui proportione elemento ſtellarum reſpondet, affluente matris vivifico, fovente, dirigente, actuatur ſemen, atque ejus ex potentia educitur forma.

XXX. Si

XXX. Si vero anima animantis, vel anima fabricans corpus actu exſiſtat in ſemine, ſequetur rem unam habere duos actus exſiſtentiales, vel duas formas ultimatas, vel per unum actum ultimatum exſiſtere res duas ſpecie diverſas. Foret enim ſemen per propriam ſuam formam, & ſimul animal ex ſemine propagandum. Semen enim canis eſſe canem imperfectum, quo ad membra vel corpus organicum, concedit Scaliger propter actu præſentem formam.

XXXI. Generatio propriè non eſt principiorum, ſed totius compoſiti. Perficitur cum à generante generatur ſemen, vel cum anima fabricat corpus: non cum fabricat corpus, quia generatio fit inſtanti ſeu puncto, quod forma per ſe primo ſit indiviſibilis; ſed neque cum generatur ſemen. Etiamſi enim dicatur continere formam, tamen iſtius formæ propria materia non eſt, quæ cum illa conſtituit ſubſtantiam generandam, (neque enim etiam, quod bene notandum partes ſeminales tantum conſtituunt ſubjectum & corpus animalis ſed & ſanguineæ. Quomodo forma cum altera materiæ parte propagabitur aut ei inerit?) Caret itaque altera parte videlicet corpore organico, quod ex ſemine porro exſtrui debet. Res autem tota generari dicitur, non altera ejus pars, & anima eſt actus corporis organici.

XXXII. Nulla forma extra propriam exſiſtit materiam, Animæ ſubjectum ſeu materia, quam proprie informat, non eſt ſemen ſed corpus organicum: Si autem forma ſubſiſtere queat, extra peculiarẽ ſuã materiam, poſſet eſſe in materia qualibet, & ſic res quælibet fieri quidlibet. verum pro diſpoſitione peculiaris

culiaris & propriæ materiæ recipitur, ſervatur & intercidit forma.

XXXIV. Forma non diſponit ſibi materiam, ut eam ingrediatur & habitet, ſed materia diſponitur ut formam recipere poſſit. Quocirca tot tantæque fiunt mutationes & mixtorum generationes, ut tandem ad nobiliſſimæ, qualis humana eſt, acquiſitionem perveniatur. Ex Elementis generantur alimenta, ex alimentis chylus, chymus, ſanguis, ſemen; & uti in ſanguine non eſt forma ſeminis, ſed proxima ad id potentia, ita in ſemine non eſt actu forma rei ex eodem naſcituræ.

Vti in ovo non eſt actu forma pulli, alioquin ovum eſſet pullus, ſed proxima ad pullum potentia, ita neque in ſemine eſt actu forma animalis, ſed potentia ad eandem.

XXXV. Si generatio fiat cum forma ex ſemine ſibi fabricat corpus, res quælibet ſeipſam generat. Atqui reſpondent: rem generari cum generatur ſemen, verum ſi res exſiſtentialis generata foret, neque tamen exſiſteret, actu eſſet & ſimul non eſſet. Procreato in teſtibus ſemine, foret animal, eoque perdito moreretur, cũ nemo ſanus humano vel canino ſemine perdito animal mori, ſed principium ejus, in quo potentia proxima erat, interiiſſe profiteatur.

XXXVI. Si canis anima eſt in ſemine actu, canis ſemen eſſet canis. Ad hoc reſpondet Scaliger, ſe aſſentiri, videlicet ſemen eſſe canem imperfectum carentem articulationibus.

Sed cum canis ſit ſubſtantia, non recipiens magis & minus in ſuo genere, impropriè dicetur imperfectus. Vti enim homo corpore mutilo vel claudo non

diſpoſitionem: nec enim ex imperfecta & indiſpoſita materia exſurgit, nec cum eadem perſiſtit. Forma ſeminis non erit in materia ſanguinis, neque hujus in alimento, neque animalis in ſemine. Forma non inducitur niſi in materiam planè diſpoſitam, & ultimata diſpoſitio eſt velut formæ introductio: ajunt enim philoſophi, quod cauſa inducens ultimam diſpoſitionem ſit etiam cauſa introductionis formæ, quod & de anima rationali intellectum volunt.

XXXVIII. Quocirca cum ſine diſpoſitione convenienti forma eſſe nequeat, ejuſque apparatu pereunte ipſa intercidat, neceſſario ſequitur illam non niſi in propriam & ſibi peculiariter præparatam induci vel educi. Talis enim ſubſtantiarum pars altera eſt materia, ut ad rei conſtitutionem tam ſui quam formæ proprietas & ratio requiratur. Vti forma ſanguinis non poteſt eſſe forma ſeminis, neque forma ſeminis forma animalis, ita quoque materia ſanguinis & ſeminis accommodata & propria non ſint formæ animantis, nec cum eo corpus vel perfectum vel imperfectum & mutilum ſtatuent, quia cum illis & in illis exſiſtere nequeunt.

XXXIX. Demum ſi generatio fit per propagationem identicarum formarum, ſemina rerum ſuas propagabunt formas, & ſic ſemina generabunt ſemina, chylus chylum, ſanguis ſanguinem, cibus cibum. Homo nec generabit ſemen ex quo homo, ſed continuo producet hominem, vel neceſſum erit ſemen eſſe hominem, uti Scaliger dicebat ſemen canis eſſe canem, corpore ſaltem mutilum.

XL. Si animæ rerum & formæ propagarentur ex ſui diviſione & tranſlatione in ſemen, generatio non erit mutatio à non eſſe ad eſſe. Eſt enim ſemen canis ipſe canis per formam à generante deciſam, juxta eorum placita. Et ſemen quercus eſt actu quercus, quia anima quercus in illo. Nec enim per corruptionem ſeminis res naſcitur, quia forma ſeminis & rei ex ſemine ortæ eſt eadem; res autem illa perit, cujus forma perit.

Verum forma & formatum ſunt tempore ſimul, nec forma formatum nec formatum præcedit forma, quia generatio fit in momento.

XLI. Si forma propagaretur participatione formæ generantis in ſemen, uti anima ſeſe extendit in augmentando, & eadem anima ex ſemine producit corpus, idem generat ſeipſum & eſt à ſe ipſo nec ab alio. In ſemen autem non poſſe propagari animam generantis quemadmodum per augmentationem in corpus, quia ſemen non ſit pars corporis, ſupra oſtenſum eſt.

XLII. Si formæ per ſui propagationem moventur, quomodo ex chylo fiet ſanguis, ex ſanguine ſemen? nec enim per mutationem à præcedente factam, qualis eſt aëris in ignem, exoritur, nec per ſui propagationem introducitur.

XLIII. Intercidente individuo ubi manebit forma? an in nihilum redigetur? id naturaliter fieri non poteſt. Quomodo enim rerum pars potior, totam complens perficienſq; eſſentiam redigetur in nihilũ?

XLIV. Principia rerum ſunt incorruptibilia, neq; propriè generantur aut corrumpuntur, ſed res ex iiſdem natæ.

Deni-

Denique ſi formæ fuerunt ab initio creationis tales ut ſe propagando & ſeipſas per ſui diviſionem multiplicando, rerum omnium generationem perficiant, omnis generatio erit univoca: nulla miſta inanimata ut metalla, lapides & gemmæ, à condito mundo generatæ ſunt, nec hodie generantur, vel in poſterum generabuntur (mirum quomodo generetur calculus in renibus & veſica) cum tamen & lapides & gemmas & metalla ſingulis ſeculis fieri obſervemus, & miſta inanimata generari adhuc, nec à condito mundo exſtitiſſe omnia, Clar. Senn. ipſemet in lib. de Gal. cum Chym. conſ. & diſſ. fol. 253. fateatur.

XLV. Hactenus quomodo per formarũ propagationem ex ſui diviſione non fiat rerum generatio, vidimus, ſupereſt ultimus, quem adferunt, modus, videlicet per mutuam expulſionem, quàm elementorum ſeſe perimentium & generantium exemplo, quamvis ipſimet in hac opinione fluctuent, demonſtrare ſatagunt. Sed neque hoc dogma conſtare poſſe coram tribunali veritatis philoſophicæ exinde patet, quia ſi per alterius formæ expulſionem elementa ex ſe mutuo generentur, formæ ſibi invicem erunt primo contrariæ. Atqui ſic illæ formæ ſeſe citius potiuſque periment à quibus major contrarietas, proinde ignis magis aquæ contrarius quam aeri, potius ex aqua quàm aëre generabit ſui ſimile. Sed hoc falſum eſt, ſiquidem in aere potior potentia recipiendi ignem propter qualitatem magis cognatam, ita in habentibus ſymbolum facilior eſt tranſitus & mutatio, cujus contrarium fieret, ſi per contrariæ formæ expulſionem altera induceretur.

XLVI. Elementa autem in ſe mutuo tranſire per converſionem non expulſum vel propagationem formarum diviſarum exinde liquidò conſtat, quod illa ligni materia quæ flammę capax in flammam vertitur, ſcilicet id quod in ligno aëreum & oleagineum erat; terreum vero quia indiſpoſitum uti & aqueum eandem continuo non recipiat.

Quocirca cum non continuo ab extremis in extrema fiat tranſitus, neceſſario etiam in elementis requiritur quædam diſpoſitio ad recipiendam alterius elementi formam. Illa vero quæ apparat materiam, ut ſit habilis ad capeſcendam aliam formam, etiam facit ut ſit amplius inhabilis pro præſente talemque eam ſtatuit ut nullam aliam quam hanc ſubſequentem peculiarem recipere poſſit. Hac ratione ex aqua non fit aer, niſi illa maxime rarefacta & calefacta, & ſic diſpoſita ut accedente ſumma formæ generantis operatione ſimilis educatur. Quod ſi per expulſum & propagationem fieret, non opus fuiſſet diſpoſitione prævia, per qualitates futuræ formæ amicas, ſiquidem formæ per propagationem diviſam tranſlatæ etiam tranſeunt in materiam indiſpoſitam, qualiter anima canis, uti volunt, eſt in ejus ſemine. Sed ſi in Elementorum generatione mutua contingat, ut perficiatur formarum expulſione, reddant rationem, quomodo miſtorum formæ educantur vel inducantur. An forma gemmæ expellat formam ſilicis aut metalli aut aliam? ſiquidem per ſemen non propagantur.

XLVII. Res tota luculentius ex conſideratione generationis miſti apparebit. Clariſſ. Sennertus ipſe, non ex propagatione formæ de miſto in miſtum, uti

ex cane in canem, ſed coalitu formarum elementarium in novam novæ formæ conſtitutionem conſpirantium, mixto gradus & partes tribuentium, formas miſti oriri docet in phyſico ſuo libro. Sed hæc opinio ſi ad lydium lapidem revocetur, nullas etiam non importat difficultates. Omne quod per ſe indiviſibile eſt, id nec gradus nec intenſiones conſtituere, nec in partes primò dividi, neque eaſdem conſtituere, neque ex iiſdem diviſis coaleſcere poteſt, quod fieri neceſſum foret, ſi ex formis elementorum componeretur forma miſti. Quandoquidem miſtio fit per tenuiſſimam partium debitè alteratarum juxta poſitionem & unionem, in qua tamen quodlibet Elementum ſuam retinet formam, ita domitam ut materiæ vicem ſub alterius dominio gerat; juxta Scalig. Atqui illæ elementorum formæ, ut in novam miſti formam conſuantur, coaleſcant & uniantur, neceſſum eſſet prima ſua corpora ſic deſerere, ut ſine illis ſeorſim in materia horum corporum aliter diſpoſita tanquam ſubjecto convenienti per ſe primo miſceri poſſint. Impoſſibile ſiquidem eſt, formas ſuæ materiæ informantes ſeu elementares permanere, eoque munere & ſtatione ſervato, ſimul ſeorſim miſceri ad formam novam. Vel enim miſcentur formæ quatenus inhærent & permanent in elementis, vel quatenus excedunt & tranſeunt ad miſcellam talem, ex qua nova oriatur forma. Si illud, una particula formæ informabit Elementum, quod in miſto integrè manet & ſimul ipſum miſtum. Et uti Elementa in miſto materiæ vicem gerunt, ita erunt ſecundum idem & ad idem materia & forma mixti. Verum Elementares formæ ut coale-

ſcant in formam novi & diverſæ naturæ miſti, eamque conſtituant, neceſſum eſt informationem materiæ elementaris deſerere, & tranſire ad informationem novi miſti, quod impoſſibile, ſiquidem propria hujus forma permanere, & ſimul ad conſtituendam alterius rei concurrere nequeunt: quo ipſo etiam res diverſiſſimæ naturæ exſiſterent ſub unius generis formis.

XLVIII. At quid reponet Scaliger concludenti, nihil eſſe in compoſito quod non prius fuerit in aliquo ſimplici: omnes miſtorum vires ad elementa referri non poſſe, cum nihil agat ultra virtutem ſuæ ſpeciei, quocirca formas harum opifices & actores, ex elementorum coalitu non eſſe natas conſectarium demonſtrativum eſt. Nihil foret in miſtis quod elementorum conditionem excederet. Vnde igitur tractio magnetica vires gemmarum aliorumque miſtorum: ut res ſe habet in operari ita & in eſſe, differuntque operationibus propter eſſentias. Reflectat ad illa quæ Senn. ex Scal. mihi objicit in Inſtitut. ſuarum med. lib. 2. p. 1. c. 4. fol. 152. Omnem formam cujuſcunque perfectè miſti, etiamſi non eſt anima, ut in adamante, naturam eſſe quintam, longe aliam à quatuor elementis: & ibidem ex eodem profert: nihil eſt in quapiam re, quod nō fuerit actu in ſuis principiis. Principia namque ſunt actus eorum quorum ſunt principia; & alibi, qui omnia referunt ad elementa, nihil ſunt præter Elementa.

Hic amplectitur ſententiam Scaligeri, in phyſicis longe ab eadem divertit. Procul dubio autem reſpondebit, quod alibi videlicet in libro de Gal. cum Chym. conſ. & diſſ. c. 12. fol. 358. ſcribit, duplicem eſſe miſti

miſti formam, aliam quà miſtum, aliã quà ſpecies miſti eſt; de quo videbimus cum primum diſpexerimus, quomodo in doctrina de generatione miſti ſibi conſtet lib. 3, Epitomes ſcient. natural. c. 3. fol. 235. Cauſam generationis miſti ipſamque miſtionem adeo adſcribit elementis eorundemque qualitatibus, ut ex horum coalitu formas miſti oriri aſſerat, forte Zabarellam ſecutus. Ejus citato loco hæc ſunt verba. Generatio miſti & mutatio ſubſtantialis facta à duabus qualitatibus activis, agentibus in duas paſſivas, tanquam materiam ſubjectam, iiſque dominantibus ea proportione, quæ ad cujuſque miſti formam educendam neceſſaria eſt. Et ibidem: Miſti generationem & præviam ad formam alterationem à calore per ſe primario proficiſci. Et miſti generationem in miſtione, & miſtionem in miſti generatione contineri, ex quibus uti & proximè præcedenti capite ejuſdem libri liquidiſſime patet, elementarium qualitatum virtuti ſoli miſtionem & miſti generationem adſcribi, ubi ait: Cauſa efficiens miſtionis generalis eſt cælum, proxima eſt actio duarum qualitatum.

XLIX. Verum enim vero quantum mutatus ab illo in lib. de Chym. cum Gal. conſ. & diſſ. c. 12. fol. 352. ubi longe aliam generationis miſti rationem ſic ſcribit. Non ex mutua pugna elementorum res creſcunt. Item, in rerum generatione ſpecifica forma requiritur, quam elementorum concurſus & miſtio illa temeraria præſtare non poteſt. Forma igitur & anima, cujuſque rei architecta eſt: Et primus motor in miſtione eſt anima ac forma cujuſque rei Δημιυργὸς communis; & commune naturæ inſtrumentum quo ad virtutes rerum fovendas utitur, calor eſt & ſpiri-

tus cujuſque rei inſitus & φύσις illa διὰ πάντων διήκουσα. Habet nimirum anima ſuas facultates miniſtras, attractricem quæ ſibi utilia & ſimilia attrahit, retentricem, concoctricem & alteratricem, quæ attracta ſibi ſimilia reddit, ſecretricem & expultricem quæ id quod alienum eſt ſeparat & ejicit. Eaque omnia caloris & nativi ſpiritus beneficio peragit. His directoribus elementa pro cujuſcunque rei natura miſcentur, quæ alias ſuo concurſu & pugna nunquam tale miſtum producerent. Hactenus Clar. Sennertus. Ex quibus apparet ipſi miſtionem fieri, miſtumque generari ab anima propagata ex ſpeciei ſimilis miſto quemadmodum ea ex ſemine fabricat corpus animalis & animatum. Vnde ſequentia ducuntur inconvenientia; Quod omnia miſta ſint animata, ſiquidem nulla generentur niſi ab anima, ubi anima ibi vita: vivunt itaque omnia miſta uti lapides, metalla, aliaque pro inanimatis habita, cum à tota antiquitate, tum ab ipſo Clariſſ. Sennerto eodem lib. de Chym. cum Gal. conſ. & diſſ. fol. 232. ubi lapides & gemmas nec vivere nec animata eſſe concedit. Liquido autem ſatis patet, Sennertum hic ſtatuere miſtum ut miſtum generari ab anima, ab eaque perfici miſtionem beneficio caloris nativi, quo attrahit, retinet, coquit, format: quæ propriæ ſunt actiones animę calore utentis. eandem porro animam, quæ ſui domicilii architecta, materiam ſic præparatam informare, atq; hoc pacto miſti generationem perfici, cum tamen ſuperius loco citato, pure & primo elementarium qualitatum operationi miſtionem adſignaſſet, formam miſti ex elementarium formarum coalitu eduxiſſet, & miſto jam formato animam ſupervenire dixiſſet. Nec eſt

quod

quod effugium quærat in duplici miſti forma, quarum alia ſit ſpecifica, alia miſti, quia miſtum qua miſtum, primo ab anima generari ab eaque informari docuit. A quo generatio ab eodem juxta Scalig. & Sennertum fit informatio, anima videlicet fabricante ex materia ſibi corpus idemque informante. Quod ſi ipſi concedatur formam miſti ex elementarium formarum coalitu natam in miſto quatenus miſtum eſt manere, nihilominus cauſæ naufragium perpetitur, quod ante docuerit omnes formas prima creatione ſingulis rebus inditas, per propagationem ſuique multiplicationem in res diffundi, non vero ex aliarum coalitu fieri, aut ex materiæ potentia exſurgere. Forma ſpecifica miſti eſt ipſamet anima, nullum miſtum eſt animatum, careret proinde forma ſpecifica. Imo forma vel anima generans miſtum erit in Elementis, ſiquidem miſtum ex iiſdem generetur, & erit in iis ut anima canis in ſemine canis à canina diviſa, vel uti arboris in ſurculo. Erit autem in illis ante vel poſt miſtionem; non ante, quia in nullo ſeorſum; non poſt, quia eſt miſtionis auctor. Sed ipſi in mente & arbitrio eſt, omne miſtum generari à ſuæ ſpeciei miſto, uti canis à cane, & homo ab homine, & nullum primo ex Elementorum coalitu exſurgere, aut à cauſis æquivocis produci: Sed & hoc aſſerere ipſi non convenit, quia gemmas, aliaque ibi generari, ubi nulla ejus rei ſpecies ante fuerit vel obſervata vel inventa & prorſus eruta, & poſtea ibidem renata, conſtat, quod nec ipſe it negatum. Generationem miſti & inanimati corporis, fieri ab anima, beneficio caloris & ſpiritus nativi, qui viventium proprius eſt, hactenus ſanæ philoſophiæ ignora-

ignoratum, ſiquidem miſtum qua tale, nec vitale, nec calore emphyto, qualis animatorum, ſpirituque vitali prǽditum, non ex diſſimilaribus uti animatum corpus, ſed ſimilaribus compoſitum, elementorum ſyncriſi per calorem elementarem facta & conſervata ſub peculiaris formæ ſuæ naturæ convenienti dominio contentum eſt. Sennerto itaque miſtum qua miſtum modo generatur ab anima, modo ab elementaribus qualitatibus. Anima deſtitutorum miſtorum generationem eſſe ab anima vel à formâ miſtum ſpecificè informante nemo ſanus hactenus credidit, vel perſuadere induxit.

L. Cæterum nolo hic movere, an neceſſum ſit in miſto plures quam unam eſſe formam, actibuſne duobus ſubſtantialibus neceſſario ſubſtet, & num ſpecifica recedente, ſub miſti forma ſubſiſtere & exſiſtere debeat vel poſſit, an ſpecifica ſola miſtis inanimatis non ſufficiat, quod concedere videtur in tractatu de Chy. cum Gal. conſ. & diſſ. c. 12. fol. 357.

LI. Ad miſti proinde generationem cœleſtium corporum virtute excitantur & miſcentur elementa invicem ſe ſuis qualitatibus alterantia & in unionem colligantia, ut producatur res cujus natura ab Elementis ſit diverſa.

Miſcentur enim res ad acquirendam formam elementis nobiliorem, quocirca non facit natura ex coalitu formarum elementarium formam miſti: ſed vel aliam educit è ſubjecto, vel inducit præſtantiorem. Hæc autem forma nec à cœlo defluit aut inducitur, nec fit per expulſionem alterius nec per propagationem formæ ex generante, qualiter anima canis per „ſemen ipſis propagari fertur. Generatur miſtum

omne

omne inanimatum ab efficiente æquivocè agente, «
nec enim ex lapide lapidem, aut ex gemma gem- «
mam natam quiſquam obſervavit. Vnde igitur ori- «
tur forma? ſi potentiam materiæ deferas, ex nihilo illam creari aſſerendum, quo ipſo rerum per generationem propagatio, quæ eſt ſecunda creatio, ex hoc naturæ theatro eliminatur.

LII. Forma itaque miſti non ex Elementaribus formis, ſed ex Elementis in unum corpus miſtione coaleſcentibus, tanquam è potentia materiæ naturæ naturantis beneficio educitur.

LIII. Hoc pacto ex Elementis & Elementatis remiſtis, nobiliſſimæ etiam inanimatarum rerum formæ, qualis in magnete, gemmis & metallis quibuſdam aliiſque miſtis inanimatis producuntur. Nec enim refellendis iſtis nugis teremus tempus, quibus ſomniant duriſſimis iſtis, nec nutritione nec vegetatione perfructis nec generationem meditantibus aut potentibus, ſeminalem vim ineſſe vel revera vel analogice. Rectius ſcholæ Medicæ conſultum foret ſi tales affaniæ junioribus haut inſtillarentur. Sed quis Phœbus has animorum intemperies delineat, qui pro opinionibus præconceptis & ſemel adſtructis, quamvis falſis, plus quam religione & vita dimicent? de hac porro quæſtione altera diſputatione de rerum principiis accuratius agemus.

LIV. Tempeſtivum nunc eſt inquirere, an ſemina omnia ex quibus res naſcuntur & propagantur, num vero facultas generandi ſemina, quæ eſt animæ vegetativæ virtus, à creatore rebus ſit concreata aut indita. Si omnia concreaſſet ſemina, nulla equidem de novo generarentur prioribus conſumptis, neque

ani-

animalibus fuiſſet opus inſtrumentis peculiaribus ad eorum generationem. Vti itaque Deus ter Opt. Max. ab initio creavit hominem vivum, omnibus partibus integrum, & in eo Cor, Venas, arteriaſque ſpiritu & ſanguine, cerebrum nervoſque ſpiritu, teſtes & vaſa ſeminaria ſemine redundantia, imo arbores ſtirpeſque plenas fructibus, ita quoque maxime indidit vim hæc contenta conſervandi & procreandi, quod ſint in fluxu perpetuo, & tranſitoria. Atque ut concreavit facultatem generandi chylum, chymum, ſanguinem, quibus ſubſtantia corporis in perenni fluore conſtituta reſarciatur & conſervetur, ſic quoque concreavit virtutem generandi ſemina viventibus, quâ his excretis, depoſitis & excuſſis ad ſpecierum propagationem nova generentur. Proinde fruſtra & ſenſu valde alieno illud Moſis allegatur à D. Sennerto: Germinet terra herbam producentem ſemen, arborem fructiferam facientem fructus juxta ſpeciem: hæc enim contra illum potius faciunt, quod ex terra hominem ipſum omnipotenti verbo (ipſe dixit & facta ſunt) fecerit, & herbam ex terra & ſemen ex herba de terra facta fieri voluerit. Ex his præterea verbis: Germinet terra herbam producentem ſemen, clare patet, facultatem producendi ſemen ipſi prima iſthac creatione inditam: vide diſputationem de rer. principiis. Virtute teſtiū ex ſanguine & ſpiritibus per venas, arterias & nervos, copioſe eo delatis generatur ſemen, ideo albicans, quod omne alterans aſſimilet ſibi alteratum qualitate vel ſubſtantia. Et generatur ibidem uti ſanguis in epate & lac in mammis ex materia ſanguinis & ſpirituum, quorum hi ex tenuiore ſanguinis

nis portione & attracto aere, ille ex chylo, chylus ex cibis, cibi ex Elementis. Quandoquidem vero ſemen à generante generatur, in animalibus ex cibo, chylo, ſanguine, in plantis ex allecti alimenti ſuperfluitate, generatio fit quia generans producit ſemen, uti & ſubtiliſſ. Scaliger docet, tunc fieri generationem cum generatur ſemen, Exerc. 6. n. 10. Generat (inquit) arbor cum producit ſemen, non autem generatur arbor cum pullulat è ſemine, ſed generatum quod erat imperfectum perficitur. Sic canis non gignit cum naſcitur catellus, ſed cum ſemen gignit. Ex quo neceſſariò ſequitur, ſemen non eſſe cauſam efficientem generationis primariam ſed inſtrumentalē. In ſemine enim non eſt vis generandi formam, ſed juxta eorum opinionem, in eo tanquam ſubjecto ab efficiente forma diviſa & participata propagatur.

Proinde illud quod formam rei producit, verè eſt cauſa principalis generationis, quia per illam res perficitur, & potiſſima rei eſt eſſentia. Forma non efficitur à ſemine, ſed vel ex ejus potentia educitur, vel juxta illorum opinionem ab efficientis anima formave deducitur: quæ forma diviſa cum ſeminali materia communicatur & unitur Scaligero, quem D. Sennertus hic ſequitur, & generatio fieri dicitur. Forma hæc juxta Scaligerum ex ſemine inſtrumento caloris & ſpirituum attracto ſanguine format corpus. Hanc formationem ipſe, imperfecti corporis perfectionem non generationem nominat. Forma illa formans & informans eſt forma animalis, quia ſemen actu eſt animal (juxta eundem) imperfectum, propter formam animalis

animalis quam continet in imperfecto corpore. Nihil igitur in ſemine eſt quod ad operandum concurrit quam calor & ſpiritus, quæ ſunt inſtrumenta animæ formantis pariter à generante ſeu efficiente primario profecta cum forma. Cum itaque ſemen non largiatur formam rei ſed ſolummodo contineat, & illa ſit proprie cauſa efficiens principalis, quæ formam producit, ipſaque corporis fabricatio non ſit generatio, ſed imperfecti ſaltem corporis perfectio ſequitur vim generandi principalem, non ſine gravi errore ſemini quatenus ſemen attribui à D. Sennerto lib. de Gal. cum Chym. conſ. & diſſ. c. 9. Generatio enim fit cum ſemen formam rei naſcentis actu vel potentia continens producitur ab efficiente, non cum id quod formam actu vel potentia continet, ſecundum partes ſui corporis conformatur. Generatio ſiquidem eſt formę productio, non corporis conſtructio. Quo jacto fundamento inſtantiæ Sennertianæ loco citato adductæ facile diluuntur, & opinionis, quâ aſſeritur, rerum generationem perpetuari virtute ſeminum innata ab exordio rerum, eaque primas & principales eſſe generationis cauſas, pateſcit vanitas. Et cedo, quæ hæc eſt argumentatio quam allegato prôfert loco? Semini non poſſunt partes generantis inſtrumentarii duntaxāt tribui, quia generans, à quo ſemen communicatum vel longe abeſſe, vel periiſſe poteſt, quaſi generans formam rei, juxta peculiarem eorum ſenſum, aut potentiam ad formam cum ſemine non communicaſſet; quæ actio Scaligero & philoſophis generatio nuncupatur.

L V. Quod vero adeo mordicus urget Sennertus, ubi datur actio animi, ibi eſt anima præſens. Generatio

neratio eſt actio animæ &c. Negamus majorem & minorem. Hanc ex ipſo Sennerto inficiamur. In Phyſica ſua, ſeu Epitome naturalis ſcientiæ lib. 3. c. 2, fol. 224. inquit: Cauſam miſtionis efficientem generalem eſſe cœlum; proximam vero actionem duarum qualitatum. Et ibidem capite ſequenti adſerit, miſti generationem eſſe in miſtione, & miſtionem in miſti generatione. Et paulo antè inquit: In generatione prius producitur forma miſti quam anima. Et licet dicat Sennertus formas ſpecificas habere vim ſeipſas multiplicandi, tamen cum multiplicant ſeſe, diſponunt ſubjectum vel materiam ſibi convenientem, quod fit per commodam miſtionem; quo ipſo ſibi ipſi iterum eſt contrarius, primò quod miſtio & mixti generatio fiat ante animam vel formam ſpecificam ipſo aſſerente, ſecundò quod ſola ipſi ſit primaria miſtionis cauſa. Cum itaque miſtionem primarium animæ munus eſſe aſſerat, & tamen haud fieri antequam anima ſuperveniat, imo ſi ipſa miſti forma eſt vera pro anima recipienda diſpoſitio & proximum animæ ſubjectum, uti ibi inquit, eamque hac ratione præcedat, ſane actiones quas animæ adſcribit, abſente anima fieri poſſe neceſſum eſt. Pari modo ex limo ranæ, mures, & ex re putreſcente vermes generantur, cum vi caloris nativi tum cœleſtis, non per actionem animæ.

LVI. Progrediendum ad alia non abſimilia hactenus commemoratis; uno inconvenienti admiſſo innumera ſequi par eſt.

Alimenta quibus homo cæteraque nutriuntur animantia, non ſimpliciter ex Elementis conſtare aut miſta eſſe, ſed eſſe humidum radicale, & ſpiritum

I quem-

quendam inſitum, quibus in eſcam cedentibus, noſter vitalis inſituſque ſpiritus & humidum radicale reſtauretur & conſervetur aſſerit D. Senn. lib. 1. Inſt. c. 6. Iſtius humidi radicalis quod cum ſpiritibus & calore quaſi entelechia & vitæ conſervator eſt, omnibus partibus & in continuo fluxu conſtituti cauſa alimenti oritur neceſſitas, ita ut nutritio ſemper ex hoc ſit in actu ſecundo. Quid hinc ſodes? Animalia ſcilicet ex Elementis non nutriri, ſed alia ſubli-miori ſubſtantia, quale eſt humidum radicale, & ſpiritus quidam elementis & elementatis connatus, concreatuſque, quem lib. 5. Inſt. c. 2. balſamum & quintam eſſentiam vocat. Homo proinde nutritur quintis tantum eſſentiis, & cum ex iis conſtemus quibus nutrimur, id quod in nobis vere humanum corpus conſtituit ex elementis non conſtat. Hinc Paracelſici iſti homines aſtrales, qui ſi inſtar cæterarum quintarum eſſentiarum poſſent ab elementorum coalitu tanquam matriculis & thecis ad veram ſubſtantiam non pertinentibus, liberari, forte cum cæteris eſſentiis & ſeminibus & ſpiritibus Paracelſicis, alterius mundi ſcenam & Iliadum beatitatis ſuæ repetentibus immortales eſſemus, cujus farinæ procul dubio illa roſæ & herbarum ſpiritualis eſſentia è cinere apud Quercetanum emergens & exſiliens lib. de defenſion. Hermet. philoſop. quam cum fabulam aut manes præſtigiaſque arbitrarer, uti cenſent etiam cordati & docti omnes, mirifice vapulo apud D. Sennertum lib. de Gal. cum Chym. conſ. & diſſ. c. 10.

Sed qui & veritatis & antiquioris ſolidæque Philoſophiæ & medicinæ aſſertor & doctor præclarus

toti

toti mundo videri cupit, ſub perſona Dogmatici Medici Paracelſica deliramenta ſenſim, quaſi aliud agens, in ſcholam Æſculapicam introducere, & prurienti juventuti, ingeniiſque novarum & monſtroſarum opinionum avidis inſtillare non debebat; quid enim magis Paracelſicum, quam docere Elementa eſſe nudas thecas & matrices, rerum eſſentias continentes, non conſtituentes?

L VI. Et ut hoc penetralius diſpiciamus; cum Gal. dicimus, corpus ex iis conſtare in quæ reſolvitur. Elementum definitur Ariſt. lib. 3. de cœl. corpus ſimplex in quod cum inſit corpora diſſolvuntur, ipſum v. in alia quæ ſpecie differunt, diſſolvi nequit. Proinde ſi ſolvuntur, in illa, quæ in alia ſpecie dividi nequeunt, ſolvuntur, & ſic neceſſario hæc ſunt prima cæteraque ex iiſdem compoſita. Reſolutio fit ab arte vel natura. Arte ſeparantur ſpiritus & olea, phlegma & cinis caputque mortuum. Hæc omnia transeunt ad ſuum, unde nata, Elementum, eoque reducuntur. Spiritus ex aere & igne, uti principia ſua ſapiunt, ita in illa revertuntur. Oleum facillime concipit calefacientem arentemve flammam ſeu ignem, ſpecie & actu actioneque nihil ad elementarem accedentem & euntem. Phlegma eſt aqua, quæ vinculum & compagem terræ miſta ad ſoliditatem præſtabat corpori. Cum enim omnis miſtio circa centrum mundi ſit, terra neceſſario inerit, ſi terra & aqua quoque, quæ terræ ſiccitatem continet & formabilem efficit: ſi terra & aqua, & horum contraria, ignis ſcilicet & aer, alioquin perfecta miſtio & miſti diſſolutio nunquam erit. Verum in miſtis quæ conſiſtentia prædita ſunt; terra aquam mole ſuperat, in

cæteris non item. In omnibus autē terra & aqua ut præcipua materia, mole ſua ignem & aerē excedunt, ſed non virtute. Nam igni prima virtus & efficacia tribuenda, quæ homogenea in unum cogit; Deinde aeri qui tenuitate ſua maſſam ex terra & aqua penetrat, temperat, & quaſi fermentat, adeo ut aer terræ & aquæ permiſtus idoneum igni pabulum ſuppetat: & calor igneus cum aëreo junctus, totam illam maſſam permeare, permiſcere, definire & concoquere queat, ac ad eum finem perducere, quem natura, qualis in animatis anima, ac plaſtica vis in ſemine, ad cætera cœleſtium corporū motus intendit & dirigit.

LVII. Vti corpus animale non poterat vita potiri ſine calore, neque calor animantis pulmones, vel quod ipſi reſpondet habentis, ſine aëratione & eventatione humidique nutritione conſervari, neque ſine terrea ſoliditate ab humido compacta, corpus vitale exſiſtere, muniaque neceſſaria obire aut humidi calidique ſubjectum idoneum & capax eſſe, ita tam ex terra & aqua quam aëre & igne corpus noſtrum fabricatum eſſe oportuit, quod univerſim & per omnes partes, tam ſolidas ex terra & aqua, quam reliquas animâ ſuâ informatum vivens eſt & ſentiens, ut nulla pars corporis ſeu ſolida terram & aquam magis redolens, ſeu calidior limpidiorque aere & igne magis conſtans, pro recrementitia, inutili & non neceſſariâ reputanda. Si reponis ſale è cineribus educto, terram remanere inſipidam: Reſpondeo ſalem in ſpiritum oleumve, hoc in ignem demum verti, omnia ad ſua prima redire elementa, nihil præter Elementa virtutis habentia. Vnde ſequitur in miſtis virtutes à miſtorum formis variis, ſubindeque novis ſibi

ſemper varias miſtiones ſuccedentibus profectas eſſe. Oſſa ſunt pars corporis terrea & pulverulenta, vivunt tamen, conſumuntur & nutriuntur: ex ſemine vero nata ſunt, terreum itaque in ſemine quidpiam fuit. Eo nutrimur ex quo conſtamus. Hydropici ex alimento proferunt aquam, quod calor Epatis debilior non poſſit alimentarium naturalemque producere ſanguinem, quamobrem ſibi quantum poteſt gignit ſimile, cum omne alterans aſſimilet ſibi alteratum qualitate vel ſubſtantia, juxta eam quam poſſidet virtutis quantitatem.

Non verò poſſet ex alimentis producere aquã, niſi alimentum quatenus tale ex Elementis conſtaret. Si alimentum quinta quædam foret eſſentia, non ex Elementis compoſita, uti vult D. Senn. utique ex eo non fieret humor aqueus. Quocirca ſi ex alimento poteſt fieri aqua, vel illud in aquam & Elementa reſolvi, neceſſario ex Elementis viciſſim poteſt generari alimentum, redit enim ad ſua principia alimentum & reſolvitur in aquam, quia calor epatis imbecillis humidum elementare cum ſicco debitè unire, determinare & maſſam ſanguinis per coctionem idoneè generare nequibat. Atqui ſic alimentum non eſt quinta quædam eſſentia ab elementorum natura diverſa, ſiquidem quale nutriens tale nutritum. Omnibus partibus corporis ineſt deſiderium convenientis & odium alieni. Illud autem maximè convenit, quod in naturam partis converti poteſt. Quare oportet ut toti nutrientis ſubſtantiæ cum nutriti natura communio ſimilitudoque ſit, ut vera dicatur nutritio, alimenti in ſubſtantiam nutriti converſio. Quale eſt actu nutritum, tale neceſſum eſt ut

ſit nutriens potentia. Demum cum Epatis intemperies corrigatur per qualitates Elementarias, ut ex chylo chymum ſanguinemque bonum generet, neceſſum eſt & Epatis & cibi qualitates & ſubſtantiam eſſe ex Elementis: calor enim non miſcet niſi corpora elementaria ſicco humidoque terminabili & miſcibili conſtantia.

FINIS.

CAN-

Candido Lectori.

Vt videas & ad ſatiem cognoſcas, amice & candide lector, fraudulentum & falſum eſſe, quod cornicatur ſubornatus à Doct. Sennerto abſurditatum & hæreſeon novarum & Paracelſicarum defenſor Sperlingerus, me livore aut invidiâ magis quam veritatis tuendæ amore compulſum, ſtrinxiſſe calamum adverſus Sennertum, exiguam quandam præcipuorum & turpiſſimorum errorum, quos refutandos cum bono Deo ſuſcepi, ſciagraphiam præmittere volui, quâ breviter evolutâ videbunt boni, quam impuros & turpes foveant iſti Paracelſici novatores novitiæ doctrinæ articulos, quibus & indubitatam veteris Philoſophiæ veritatem evertere & blaſphemis ſimul opinionibus ſacroſanctam Chriſtianorum fidem conſpurcare, quin etiam divina & humana luxare, nova doctrinarum fundamenta eruderatis priſcis obtrudere & ſtatuminare ſatagunt. Et ne id verbis tantum propalare videar, exiguum, uti dixi, paradoxorum & præcipuorum errorum & blaſphemia-

rum Paracelſicarum catalogum, iſtorumque Cadmæorum fratrum & novatorum contradictiones & abſurditates ſaltem quaſdam ſtatim in frontiſpicio commemorare & ceu digito eminus commonſtrare aggrediar; dein ordine paradoxa ſingula ad vivum reſecabo, & Dei, qui veritatis protector eſt, auxilio, pro merito congrui & condigni arietabo, & in Orcum Iliadumque Paracelſico-Sennertianum redire compellam.

De

De paradoxis & erroribus novæ Sectæ Sennerto-Paracelſicæ

DISPVTATIO SECVNDA,

Continens initium refutationis eorum quæ libro de formarum origine adverſus D. Freitagium ejuſque diſputationem proximè antecedentem conſcripto, Clar. D. Daniel. Sennertus Acad. VVittenberg. Profeſſor p. per ſubornatum quendam Magiſtrum Iohan. Sperlingen, ejuſdem Acad. Profeſſ. evulgavit.

Quam Præſide

IOHANNE FREITAGIO Med. Doct. & in celeberrima Illuſtrium Groningæ & Omblandiæ Ordinum Academiâ ejuſdem facultatis Profeſſore P.

Defendit

IACOBVS HOMODÆVS Elbingâ-*Boruſſ. Phil & Med. ſtud.*

THESIS I.

SVBORNATVS D. Sennerti ait & aſſerit formas fieri ex nihilo, & quidem non ex nihilo privativo ſed negativo in tract. de form. orig. fol. 61. D. Sennertus contra [a] in lib de Chym. cum Gal. conſ. & diſſenſ. cap. 9. fol. 194. dicere formas ex nihilo fieri,

a *Contra dictio.*

 ſtatuit

ſtatuit eſſe abſurdum, quia fiant ex communicatione eſſentiæ generantis, uti paulo poſt docet.

II. [a] Formas eſſe ſui multiplicativas per diviſionem. Et quia individuorum eſt gignere & gigni, quod fit per diviſionem formæ, ſequitur ſingularium formas eſſe communicabiles & diviſibiles, quod abſurdum.

III. Dum formæ cum ſemine ab animante dividuntur, fiunt primo diviſibiles, quia ſemen nunquam unâ fuit ab anima in corpore informatum vel animatum, neque pars corporis toti cohærens ut informari poſſit. Solæ vero corporis partes ſunt animatæ, non humores utiles vel inutiles, neque excrementicii; quod vero corpus forma non informat, cum ejus partibus dividi nequit.

IV. Forma vero nulla materiata, quatenus formæ officium adminiſtrat, alibi eſt quam in propria materia.

V. Forma vero materiata corruptibilis nec enter nec dependenter alibi eſſe poteſt quam in materia propria, ex qua, ut ſecundum eſſe & fieri dependet, ita cum ea perit.

VI. Vnde ſequitur vaniſſimorum ingeniorum commentum eſſe, formas [b] actu entitativo, re, cujus erant formæ, pereunte, poſſe exſiſtere.

VII. Actus formæ entitativus illis præcedit rem generandam, vel ſequitur corruptam.

VIII. Præcedit cum forma & anima eſt in ſemine actu entitativo juxta Ganymedem in tract. de form. orig. fol. 265. non ineſt enim actu primo vel informativo.

IX. Se-

a & b *Abſurdum.*

IX. Sequitur cum re pereunte vel languente egreditur vel informare ceſſat, remque vel penitus deſerit mortuam vel corruptam, & alibi & ubi vis exſiſtere poteſt, ceu in vaſe, vel cum animum habet revertendi, aut denuo eam informandi. Primo modo res deſerta moritur vel perit. Secundo modo reviviſcit & renaſcitur, quæ per abſentiam formæ vel actum formæ formativum ſublatum jam mortua fuerat. Sic anima hirundinis & ranarum quæ hyemali tempore ſeceſſit, vel informare deſiit, ſua corpora revivificat. Et ſic mortui reſurgunt & reviviſcunt vi naturæ, non miraculoſe. Sperling. in tract. de form. orig. fol. 113. 114. 115.

X. Ex his abſurdis & monſtroſis opinionibus reducitur jam dudum damnata Pythagoreorum metempſychoſis; adſtruitur Palingeneſia; regulæ in Philoſophia & Theologia veræ, videlicet; Idem numero quod ſemel periit, naturaliter non regeneratur vel redit: veritas deſtruitur: Chriſti & Apoſtolorum miracula eluſionem patiuntur: Paracelſici commenti de formarum ex Orco & Iliado egreſſu, & eodem reditu, blaſphemia confirmatur.

XI. Pulchra hinc ipſis de reſurrectione mortuorũ oritur loco citato [a] ſpeculatio (phantaſia) cujus certitudinem uti & cognitionem, quæ ſit ſupra humanę naturæ induſtriam, & exſuperat omnem ſenſum, & eſt res fidei & pars ſymboli, quam credimus non intelligimus, præcipimur ex ſacris literis petere, non ex commentitiis moroſophorum fabulis. Tertullianus ait: mortuorum reſurrectio eſt Chriſtianorum fiducia, & reſurrectio Chriſti eſt reſurrectionis noſtræ fidejuſſor.

a *Impietas.*

XII. Hic

XII. Hic & procul dubio illa de ſpiritualis roſæ eſſentia, è cinere vel ſale ſuæ plantæ, admoto calore egrediente, fabula, invenit fundamentum.

XIII. Hæ formæ cum ipſis non ſint è materiæ potentia, & actu ſuo entitativo extra eandem exſiſtere ubivis poſſint, illiſq; nihil ſit[a] contrarium, cujus vi pereant, neque ex aliquo factæ, in quod reſolvantur vel redeant, æternæ ſint neceſſum eſt.

XIV. Sic anima ſcarabæi illis eſt in ſcarabæo actu formativo, & actu in equo ut forma ſubordinata formæ equi ſpecificæ, & actu entitativo in cadavere equi, & pari actu in ſterquilinio & in ſemine ſcarabæi; vide Subornatum in tract. de form. orig. fol. 139. poteſt itaque eſſe ubivis aut in quaque re. Et cum non habet dependentiam eſſentiæ ex materia, nec ex ea producitur, neque cum ea perit, incorruptibilis eſt.

XV. Harum autem formarum plures in uno ſemine eſſe poſſunt (juxta illorum [b] phantaſiam) inter quas tamen una princeps eſt, & dominatur, quæ pro tempore ſibi fingit corpus, in quo deliteſcunt cæteræ, donec hoc pereunte corpore ad dominium hæ perveniant, & ex iis quæ tunc princeps eſt corpus ſibi formet. Senn. in tract. de Chym. cum Gal. conſ. & diſſ. fol. 331.

XVI. Et ſic D. Sennerto variorum ſibi mutuo ſuccedentium animalium fit generatio, quia, in uno ſemine plures erant formæ, quarum aliæ poſt aliam progrediuntur ad formationē ſuorum corporū,[c] vel quia una & eadem forma diverſi animalis corpus & ſchema ſibi fabricat, & unum poſt aliud aſſumit. Inde

a *Impietas.* b *Abſurdum.* c *Falſum.*

Inde eſt quod ex ovo fit eruca, deinde bombyx, hinc necydalus. Vide Sennert. in tract. de Chym. Gal. conſ. & diſſ. cap. 12. fol. 336 & 337. ex quo ſequitur, quod generatio non ſit ſubſtantialis mutatio per novæ formæ introductionem, ſed tantum materiæ ſecundum qualitates & accidentia mutatio vel novæ aſſumptio, quodque animalia hæc non formis differant, ſed unum idemque ſint, & ſi quæ eſt differentia illa ſit per qualitates & accidentia in materia.

XVII. Lepidior & anilibus fabulamentis delicatior eſt ſubornati Sennertiani in tract. de form. orig. fol. 27. opinio, quâ ſtatuit omnia iſta animalcula, *a* quæ ex cadaveribus animalium grandium & majorum corruptis fiunt concreata iſtis ab initio, & per generationis jugem ſeriem cum iſtis propagata eſſe atque in iis actu eſſe. Vnde ſequitur, quod & ipſe conceptis verbis ibi affirmat, primò non ſolum creatum equum, quin plenum ſcarabæorum, nec bovem quin apum, nec aſinum quin crabronum plenum, nec talem magiſtrum talia dictantem, quin nugarum talium pleniſſimum. Et cum ſæpè uſu veniat quod ex corruptione cadaveris humani & animalium beſtiæ pronaſcantur innumerę & variarum formarum, ut bufonum, ſerpentum lacertarum &c. quod nequaquam & niſi ab impudentiſſimo quopiam negari poteſt, neceſſum eſt has concreatas vel congenitas eſſe iſtis, ex quorum generantur corporibus corruptis. Vbi notanda eſt contradictio & diſſenſus inter præceptorem & diſcipulum. D. Sennertus enim vult nudas formas ſubordinari aliis formis in lib. de Gal. cum Chym. conſ. cap. 12. fol. 336. Ejus

vero

a Abſurdiſſimum.

vero Ganymedes integra corpora vel *animalcula* ſuis itidem formis conſtantia aliis granciorum concreata connaſci, & cum iis propagari, atque ita & ſibimet ipſi fol.3. ejuſdem tract.& ſuo D.Sennerto contradicit.

XVIII. Horum autem animalium formæ, ut ex iis relatum eſt, egreſſæ è ſuis corporibus vel non amplius informantes, redeunt in illa, vel in iis ad actum formativum revertuntur: & ſic mortui reſurgunt naturaliter & reſurgunt quidem beſtiæ ſemel mortuæ, quod de hominibus (excipe miracula Chriſti) inauditum. Chriſtus virtute propria, & Sancti virtute Chriſti miraculosè excitarunt mortuos homines. Formæ & animæ horum Philoſophorum actu entitativo exſiſtentes redeundo ad ſua corpora, vel ab actu entitativo ad formativam denuo converſæ, revivificant eadem, & ſic datum eſt per naturam beſtiis, quod homini negatum: melior conditio beſtiarum quam hominum.

XIX. Redeunt itaque ad ſua corpora hæ formæ vel ad actum formativum convertuntur & fit Palingeneſia: & res quæ periit eadem numero regeneratur, vel cudunt ſibi novum corpus; ut formæ ſcarabæi ex ſterquilinio, vel fabricant alterius ſibi animalis ex materia corpus, & fiunt alia animalia.

XX. Hæ vero formæ quia ſub aliis grandioribus ſunt factæ vel progenitæ nunquam ſunt ſpecificæ, & licet ſui juris fiant, cumque illis ſint incorruptibiles, tamen nunquam fiunt juxta eorum opinionem; vel ſunt ſpecificæ, ſed ſubordinatæ illis dicuntur. Neque eſt quod prætendant ſe dicere è corporibus animalium demortuorum, ut muſcarum & ranarum prorſus

ſus non recedere formas, ſed manere actu entitativo, licet non inſint formativo; quia formæ iſtæ etiam illis ſunt actu entitativo in tali materia, in qua formativo non ſunt, ut anima ſcarabæi in ſterquilinio & cadavere vel vaſe, qualis ſi vel in ſterquilinio vel in cadavere equi eſſe poteſt, ut eſt in tract. de form. orig. fol. 139. idque propter peculiarem & nudam ſuam formæ entitatem aut ſubſtantiam, ut ibidem habet fol. 113. vel quod, ut ait loco citato, animarum ſint omnia plena. Perinde eſt ſive anima animantis maneat in corpore mortuo actu entitativo, vel ſit alibi in alio ſubjecto. & redeat ad deſertum corpus, ut revivificet. Perindè eſt quod anima ſcarabæi in corpore mortuo manens actu entitativo, vel ex eodem egreſſa & in ſterquilinio aliquamdiu habitans redeat & revivificet priſtinum lar. Dum enim corpus eſt mortuum, nihil habet ex præſentiâ animæ actu entitativo. Et cum actu entitativo eſſe poteſt ubi non informet, ut in cadavere equi & ſterquilinio, & ex ſcarabæo in ſterquilinium migrare poteſt, & immanēdo ſcarabæum actu formativo vivificare, & emigrando mortuum relinquere & remigrando eundem revivificare, ubivis eſſe queat. Et ſanè ſi ex hoc formarum actu entitativo mortuorum reſurrectio probanda ſit, uti vult tract. de form. orig. fol. 114. neceſſario animæ illæ à corporibus recedunt vel recedere poſſunt, inque eadem redire, quia noſtræ animæ non manent actu entitativo in corporibus, ſed ab iis recedunt, ſuntque piorum in manu Domini, in Paradiſo, in ſinu Abrahæ. Neque aliter cum iſtis formis & animabus brutorum actu entitativo exſiſtere valentibus comparatum eſſe queat, ſiquidem

quidem ſunt ex nihilo, quod vero non ex aliquo ſed ex nihilo originem duxit, illud quum deperit, non in illud unde ortum eſt, vel unde originem duxit reſolvi & deperire, ſecus quam res aliæ, quæ ex materia & principiis ortæ ſunt, queat, ſed ſi perire debeat, in nihilum redire neceſſe eſt. Atqui quod ſemel eſt aliquid, naturaliter in nihilum redire non poteſt: uti enim naturaliter ex nihilo nihil fieri poteſt, *a* ita etiam in nihilum naturaliter nihil redire poteſt. Ex quo ſequitur: ſi formę ex nihilo ſunt, quod ſint incorruptibiles, quia ex nullis principiis realibus conſtant, in quæ reſolvi vel deperire poſſint: æternæ itaque ſunt & incorruptibiles & animantium brutorum immortales, per omnia animæ rationali ſimiles, quod & extra materiam, ſiquidem ab eadem nullam habeant ſecundum eſſe dependentiam, & exſiſtere, & in ea actu entitativo & formativo eſſe queant. Vides, amice lector, originem commenti de actu entitativo formarum & animarum brutorum. Si ex nihilo generatæ ſunt, & in nihilum deperire nequeant, æternæ & immortales ſint, neceſſe eſt.

XXI. Quia verò formæ omnes ſunt ſeparabiles & extra ſuam propriam materiam actu entitativo, illis, exſiſtere poſſunt; primò veteris philoſophiæ & ſempiternæ veritatis regula ab illis exploditur & corrumpitur, qua dicitur quod Forma & formatum ſint tempore ſimul.

XXII. Deinde quia forma actu entitativo exiſtens ſeu in ſemine ſeu alibi ſibi fabricat corpus, *b* corruit, corrumpitur & interit principium & regula qua ſtatuitur quod actiones ſint compoſitorum,

non

a *Impietas.* b *Sana doctrina principiorum corruptio.*

non componentium, & illa apud Ariſtotelem hactenus & æternùm vera, quod quorum actiones ſunt organicæ vel corporeæ, ea ſine corpore ineſſe nequeunt quia non detur ambulare ſine pedibus, lib. 2. de generat. animal. cap. 3.

XXIII. Quò referendum & hoc quod nullam cauſam inſtrumentalem virtute cauſæ principalis ſic dirigi poſſe contendunt, ut agat ſupra virtutem ſuæ ſpeciei. Quod ſolidæ philoſophiæ principiis repugnat, unde negant, quod calor directus ab anima non faciat opera animæ, nec ſecus agat quam ſi à forma ignis dirigatur, quodque nihil aliud quam calefacere poſſit.

XXIV. Formas diſtinguunt in ſpecificas, partiales, ſubordinatas, accidentarias. Specificæ fiunt à ſpecie ſimilibus, generantur vero per diviſionem formæ generantis in genitum, & ſic à ſui ſimilibus, & hæ ſunt multiplicativæ ſui, & hæ ſolæ conſtituunt ſpecies mundi.

XXV. Vbi notanda turpis impoſtura, quando pro fundamento hujus opinionis citat & accerſit ex Zarabell. lib. de ſenſ. agent. cap. 5. id quo demonſtrare vult, omnem formam ſubſtantialem eſſe multiplicativam ſui, cum ibi Zabarell. juxta Albertum id aſſeveret de forma accidentali ſeu de ſpecie ſpiritali potiùs & reali, quæ, ut accidentia, ſint multiplicativæ ſui. Vide turpem impoſturam, inſpice allegatum textum.

XXVI. Ex falſo hoc principio, quod omnis forma ſit ſui multiplicativa, concludit, lapidem generare lapidem & metalla metallum. Sennert. lib. de Gal. cum Chym. conſ. & diſſ. cap. 9. fol. 232. Vbi videnda

contradictio, quod in Phyſicis dicat D. Sennertus, metalla inter ſe ſpecie differre, & nihilominus imperfectiora verti in perfectiora, & ferrum in cuprum & ſic conſequenter. Quod fieri nequeat, ſi ferrum generet ferrum & cuprum cuprum.

XXVII. Et quia nihil generari ait, niſi ex ſemine, vel ex eo quod ſeminalem rationem habet, quod omnis forma ſit ſui multiplicativa & mediante ſemine vel eo quod ſeminalem habet rationem dividatur & traducatur ex generante in genitum, unde omnis generatio ſit inter ſimilia, nullam dari æquivocam generationem concludit. Et hic iterum veteris philoſophiæ veritas & veritatis veteris principium dilaceratur; quâ efficiens & generatio alia univoca, & alia æquivoca dicitur. Si enim æquivocam generationem admitterent, generationem per diviſionem formæ efficientis univerſaliter defendere non poſſent, & ex potentiâ materiæ formas eſſe oriundas admittere cogerentur, cum ex nihilo eaſdem oriri etiam D. Sennert. neget.

XXVIII. Sed & ut ulterius convellant & ſtirpitus veræ veteriſq; philoſophiæ fundamenta eruderent, & nova & monſtroſa ſua reponant, ajunt, omne quod eſt in naturâ, actu eſſe, & nullum ens dari in potentiâ. Ens in potentiâ ait Subornatus in tract. de form. orig. fol. 235. eſſe non Ens.

XXIX. Quod ex propagatione formarum per diviſionem ſequi neceſſe eſt. Si enim efficiens & generans generet per diviſionem ſuæ formæ in generatum, & forma canis filii, ſit pars formæ canis patris, ut loquitur Scaliger (ex quo mutuati ſunt hanc opinionem,) & anima illa ſeu forma ſit tota in parte diviſa

viſa uti idem inquit, forma canis filii fuit actu forma canis patris & in patre, & forma canis nepotis fuit actu in patre & filio, & ſic in milleſimam generationem.

XXX. Quod dogma Sennerti præceptoris, uti diſſentit à dogmate diſcipuli, ſtatuentis formas ex nihilo negativo fieri, ita utrumque tollit omnem generationem naturalem. Primò enim omnes ab origine mundi canum formæ vel canes actu fuerunt in primo cane, & unus ille canis fuit & eſt omnis canis in ſecula ſeculorum. Eſt enim primus ille omnis canis in omnes eadem & unâ formâ per diviſionem multiplicatus.

XXXI. Quod verò actu eſt, non generatur. Generatio enim ſubſtantiarum, eſt novæ formæ ſubſtantialis, quę antea in efficiente actu non fuit, ut pars in toto, productio. Quod enim pars eſt totius, à quo avellitur & dividitur., & ibi formalis eſſentia fuit & poſt ſeparationẽ, formã integram, conſtituit, id ſanè actu forma fuit & manſit, & non generatur de novo. Quinimo ſi canis pater per diviſionem ſuę formę generat, novum individuum non generat ſed idem individuum multiplicat: ſic pater propagat patrem, & Petrus Petrum propagat, pater non generat filium. Adde quod hæc novatorum opinio individua contra naturam individuorum & ſanam philoſophiam facit dividua. Individua generant ſed non per diviſionem ſui.

XXXII. Opinio vero, quæ formas ex nihilo fieri ſtatuit, quid aliud facit, quam quod generationem rerum naturalium opera naturæ perficiendam, è mundo tollat? Natura enim vi ſuâ ex nihilo, nihil

generare poteſt, & factio ex nihilo, creatio eſt & opus divinæ virtutis. Hic adverte lector fraudem veteratoris ſubornati in tract. de formar. orig. fol. 61. ubi propugnare volens illud abſurdum de generatione formarum ex nihilo, ait differre à creatione, quia creatio eſt Dei opus, quaſi quando natura ex nihilo aliquid faciat, iſta actio ſit generatio, & quando Deus ex nihilo quicquam faciat, ſit creatio: cum tamen necdum probatum ſit, imò ſupra omnem naturæ potentiam, naturam facere aliquid ex nihilo. Et ſanè cum creatio ſit factio rei ex nihilo, ſive iſta operatio fiat à Deo, ſive à natura, utrobiq; dicenda foret creatio. Vide impoſtorum perverſitatem & blaſphemiam in ſacras literas & ſanā philoſophiam.

XXXIII. Verum enim verò in illud abſurdum de formarum generatione ex nihilo eos labi oportuit. Cum enim illis nulla forma ſit ex potentiâ materiæ oriunda, & quælibet per ſe ſine materiâ exſiſtere & eſſentiam ſuam tueri poſſit, ſpiritualis ut ſit eſſentia, oportet. Spirituales verò eſſentiæ nec generant nec generantur. Quod enim generat illud generat ex ſe ipſo, idque per diviſionem ſuæ formæ, ut vult D. Sennertus, formas producit; ſed illud falſum eſt, quia omnis ſpiritualis eſſentia per ſe & per accidens ſeu mediante ſubjecta materia, eſt indiviſibilis: neque ex alio generat vel producit ſui ſimile: idque non ex potentia alterius rei, quæ eſt materiæ corporeæ: neque corporeum quid in ſpiritualem eſſentiam convertitur. Vnde apparet quod animarum propagatio, quæ dicitur fieri inſtar flammæ, nulla ſit. Nam flamma flammam non generat propagando ſuam formam in ſubjectum aliud, ſed convertendo ſub-

jectum

jectum in ſuam eſſentiam, educendo è potentiâ ſubjecti, formam flammæ. Et ſanè cum flamma flammam generat non eſt ſpiritualis propagatio, uti nugantur novatores ſed corporea, aliud vero eſt forma corporis materialis, aliud forma ſpiritualis qualis eſt anima. Anima non generatur ex converſione ſubjecti ab anima generantis in animam generati. Generatio non eſt eſſentiarum ſpiritualium, nec angelus angelum, nec anima animam, vel ex ſe vel ex ullâ aliâ re generat, neque ex nihilo facit. Quæ cum philoſophicè diſputo, nolo de animarum noſtrarum origine, an divinitus creentur, an per traducem propagentur, litem, meam facere, ſed venerandis Theologis & Eccleſiæ judicio illam reverenter ſubmitto, maloque hic auditor & diſcipulus eſſe, quam diſputatoris partes obire: illud, quod mihi ſufficit, certo ſciens & credens animam immortalem mihi à Deo datam, & Chriſti ſanguine mundatam & redemptam, operaque Spiritus Sancti per fidem ad vitam æternam mihi cuſtodiri. Malo de animæ meæ immortalis ſalute, quam originis ſubtilitate ſollicitior eſſe.

XXXIV. Et ut ad rem revertamur, ex his, quę dicta ſunt, ſequitur turpis confuſio cauſæ efficientis & formalis, & diſtinctionis cauſarum, qua in externas & internas dividuntur, depravatio & everſio. Si enim efficiens generat per diviſionē formæ ſuæ, neceſſario efficiens cauſa fit interna. Generans enim generat illis per diviſionem ſuæ formæ in genitum. Forma itaque generantis ſe dividit & quæ fuit in generante forma, illa eadem in genito fit forma jam à genitore diviſa. Generatio itaq; illis eſt communicatio formæ

 ſeſe

ſeſe dividentis. Vtrobiq; autem illa eſt cauſa interna, & eſſentialis. Efficiens verò nunquam eſt cauſa interna, neque ingreditur vel conſtituit eſſentiam effecti, ſed eſt & manet cauſa externa: homo hominē & leo leonem generat, non ut cauſa formalis, formam ex eſſentiâ ſuâ communicando ſed ut efficiens. Et hic iterum lacerationem & ruinam patitur Philoſophiæ veritas, cum efficientem novatores è medio tollunt cauſam. Sic & materialis cauſa perit; ſi enim tollitur ens in potentia, & materia eſt ens in potentiâ, neceſſariò altera cauſa materialis perit; & ſic duæ remanent ſaltem forma & finis. Sed neque finis manere poteſt, quin & illum faciunt irrationalium: & ſic unica manet forma in numero cauſarum, illa eſt efficiens & forma & ex ſe generat, adeoque ferè vicem materiæ in hoc præſtat.

XXXV. Et ſanè neſcio quâ barbariem ſuam defendendi fiduciâ, putant ſe ulli vel ſemiprudenti perſuaſuros id, cujus abſurditas & falſitas luce meridianâ clarior apparet. Nunquid eſt manifeſta contradictio, quando D. Senn. inquit: formam vel animam generantis communicari per diviſionē cum vel mediante ſemine, vel eo, quod ſeminalem rationem habet. Et ejus Subornatus in tract. de morb. ſubſt. q. 4. & in tr. de form. orig. fol. 21. id confirmat, dicendo, quidquid facit alterum quale ipſum, illud facto & genito communicat ſuam eſſentiam. Et quicquid genito cōmunicat eſſentiam, id etiam illi communicat ſuam formam. Vbi conſidera quidnam ſit quod generat, vel quis ſit generans. Quid eſt quod mediante ſemine, ſuæ animę vel formę diviſam partem in genitū transfundit? nunquid individuum? Individuum eſt, quod produ-

producit ſemen, & cum ſemine illis ſuæ formæ partem diviſam communicat & propagat:& individuorum ſeu ſingularium eſt proprium gigni & gignere, quod concedit ipſe Subordinatus in tract. de form. orig. fol. 80.

XXXVI. Quâ fronte itaque plus quam depudicata & meretriciâ non ſubveretur impudens ille & Subornatus veterator in tract. de form. orig. fol. 79. blaterare & oggannire, nullam in generatione juxta Sennertum formæ efficientis particulam à generante abſcindi, cum tamen D. Sennert. clarè dicat, ipſam animam dividi & cum ſemine decidi in tract. de Galen. cum chym. conſ. & diſſ. cap. 9. fol. 204. Falſiſſimum eſt itaque quod fol. 79. in tract. de formar. orig. ait ſine ullâ generantis formæ diviſione Scaligero & Sennerto fieri generationem.

XXXVII. Nec vel hilum illos juvat veteratoria illa & calva explicatio, quâ reponunt Scaligerum & Sennertum, quando dicant viventia in generationibus aliquid de ſuâ materiâ & de ſuâ formâ largiri, id non de identitate numericâ ſed ſpecificâ intellectum velint. Quid enim eſt quod generat? nunquid id eſt individuum? idque numericum & unum. Generans autem communicat ſuam formam, ut ipſe inquit, eamque communicat per diviſionem cum ſuo ſemine. Non enim ſpecies extra individuum ſemen producunt vel generant formam, quæ dividatur, neque ſpecies producunt ſpeciem vel individua, ſine individuis neq; generatur individuum quia producitur ſpecies, ſed propagatur & conſervatur ſpecies quia generatur individuũ ab individuo, cui propriè & primò generatio cõpetit, unde D. Sen. lib. de Gal. &

Chym.conſ.& diff. cap.19. fol. 225. formas rerum naturalium nullibi eſſe niſi in ſuæ ſpeciei individuis, & per ea cuſtodiri & propagari ait. Generatio autem fit per diviſionem formæ individui in genitum, ita ut eadem quæ eſt forma geniti, fuerit prius forma generantiș individui: anima canis filii eſt pars animæ canis patris, ergo de identica & numerica formæ diviſione, non de ſpecifica intelligi poteſt, quia hæc ſine illa non eſt, neque dari vel venire neq; dividi poteſt dicente Scalig. quia equus non dividitur in plures equos. Hinc etiam ſequitur falſitas diſtinctionis inter ſemina ſpecierum & ſemina individuorum, quia ſemina individuorum ſunt ſemina ſpecierum, nec ulla dantur præter hæc ſemina ſpecierum. quod nota contr. Subornat. in tract.de form.orig. fol.368.

XXXVIII. Deinde notanda eſt craſſa & ſeſquipedalis fraus Suborn. quando dicit in tr.de for.ori.f.76. & fieri generationem ſine ulla formæ generantis diminutione & diviſione,& f.79. formã,inquit,quæ ſe multiplicatione propaget, in generante manere, & nunquam in genitum transferri, nec materiam à generante abſcindi & genito communicari,& generare generans per quoddam, ad ſubſtantiã & eſſentiam & integritatẽ ſuam non pertinens, effectũ ſibi ſimilem.

XXXIX. Fraus, amice lector, in eo latet, quod hic diviſionem cum diminutione formę jungunt; & quia ad diviſionem non ſequitur diminutio, putat ſe eo ipſo probaturum, nullam ſtatui à ſuis magiſtris Scaligero & Sennerto diviſionem: ſed verba Scaligeri & Sennerti nimis clara ſunt, Scaliger exercit.vi. num. 11. quærit, an anima geniti ſit pars

animæ

animæ genitoris: & reſpondet;cur non? dividitur e-nim ad materiæ diviſionem materialis anima; totaque eſt in ſua parte. Sic Sennertus in lib. de Gal. cum.Chym.conſ.& diſſ.cap.9.fol.202.ait:formę dividuntur ad diviſionem materiæ, unde aliquid animæ cum corporis parte avulſum ſibi novum corpus fabricat,unde novum animatum emergere ſolet:verum non cum quavis corporis parte animæ aliquid avulſum ad hoc aptum eſt. Quid clarius? Et folio verſo ibidem: ſemen appellat avulſum quid ab anima & corpore,&c. Etſi itaque propter partem animæ vel formæ avulſam,integra anima maneat in generante, & pars avulſa integram (ex eorum mente) ſtatuat in generato, tamen manet hoc, quod & Scaliger & D.Sennertus dicant & ſtatuant animas & formas individuorum generantium per diviſionem multiplicari & propagari, & eſſe partes formæ generantis.

XL.Deinde etiam non ſequitur ob id quod utrobique (etiam ſi per diviſionem ſeparatæ ſunt animæ) ſint & maneant integræ & non diminutæ animæ, dicendum idcirco non ſit, generans per quoddam ad eſſentiam ſuam pertinens non generare ſibi ſimile. Id enim è diametro antea prolato ipſorum principio repugnat, quo ajunt, quicquid ſibi ſimile generat, vel facit alterum quale ipſum, illud facto & genito communicat eſſentiam, & quicquid communicat eſſentiam, illud etiam communicat ſuam formam, Generans communicat eſſentiam, ergo etiam ſuam formam. Etſi dicere poſſint, formam geniti, non eſſe amplius formam genitoris, eo ipſo veteratores non elabuntur. Eſt enim eadem eſſen-

tia utriuſque numero ſaltem diverſa, licet particulatim diviſa. Et ut Scaliger inquit anima geniti eſt pars animæ genitoris. Quod igitur alterum genuit communicando per diviſionem ſuam eſſentiam & ſuam formam, id ſanè per quoddam ad ſubſtantiam eſſentiamque ſuam pertinens generaſſe dicendum eſt. Ipſa enim pars genitoris genito communicata, manet eſſentia eadem, qualis à genitore eſt data, immutabilis quoad eſſentiam & ſubſtantiam, & ſi eo ipſo non maneret eſſentiæ & formæ genitoris pars, ratio eſſentiæ per diviſionem communicatæ expiraret; generans non generaret alterum, quale ipſum eſt, exſpiraretque omnis inter genitorem (juxta illos) & genitum, vi argumenti ab illis producti, cognatio.

XLI. Et ſanè plus quam fraudulentum eſt dicere, quia forma tota manet, nec abit à genitore in genitum tota, ideo nihil eſſentiæ vel ſubſtantiæ abſciſſæ communicatur, juxta Scaligerum & Sennertum: cum illi per diviſionem formæ totalitatem eſſentiæ lædi non velint, & manere totam utrobique formam, licet dividatur. Manet itaque juxta illos in generante tota, & tamen per diviſionem propagatur generantis pars in genitum, quæ & hic totam formã vel animam conſtituit, quia eſt tota in ſua parte, ut inquit illorum magiſter Scaliger. Exc. VI. n. 1 1.

XLII. Vide igitur amice lector, quibus quantiſque fraudibus tibi oculos perſtringere, & ſimplicioribus fucum facere, ut ſuos errores palliare poſſint, annitantur. Sed pergamus: uti ſpoliarunt veram & veterem philoſophiam cauſa efficiente, & externâ ita & materialem ei non obliquè adimunt. Subornatus

natus inquit in tract. de formar. orig. fol. 235. realitatem entis potentialis in cauſis ſe non reperire. Imò entia potentialia non eſſe entia: contra materiam eſſe ens in potentiâ, & potentiam eſſe ipſam entitatem materiæ abſolutam, teſte Scaligero, vera veteris philoſophiæ eſt ſententia. Amittit itaque Metaphyſica cauſarum ſecundam, quæ eſt materia; & hæc ſimul apud illos perdit ſuam entitatem. Duarum itaque per hos novatores cauſarum Metaphyſica jacturam facit, efficientis nimirum & materiæ.

XLIII. Memorabile demum eſt, amice lector, quod ille Ganymedes Sennertianus, qui ſe Sperlingen ſeu paſſerculum nominat, eo deſperationis adigatur, inque iſtas compellatur anguſtias, ut ad opinionem Theologis hæreticam & blaſphemam, philoſophis verò abſurdam, & jam dudum è ſcholis exploſam & protruſam de atomis Democriti confugere, neceſſe habeat.

Vbi & mirabilem calumniandi & veteritati obſtrigillandi libidinem notabis, dum quod ad rem ſit nihil proferat, proque ſuo more veteratoriè lectori reſponſione fucata & ſophiſtica imponere, & naſum facere tentat. Siquidem à Præceptore, cujus defenſionem inſtituit, turpiter recedat. D. Sennertus enim lib. de Galen. cum Chym. conſ. & diſſ. cap. 12. fol. 360. ſtatuit, atomos conſtare; vel ex corpuſculis minimis jam antea miſtis & in ſua eſſentia conſtitutis, ex quibus fiat miſtio, ita ut non ſemper ad elementa & materiam primam recurrendum ſit; putatque idem ſentire Scaligerum, cum inquit, miſtionem eſſe motum corporum minorum ad mutuum

a *deſperatio.* b *contradictio.*

tuum contactum, ut fiat unio. Quin imò juxta Ariſtotelis, Galeni & Avicennæ mentem, per atomos cenſet intelligi Elementorum corpora, in minimas particulas redacta, ut mutua actione & paſſione qualitatum, promptior & felicior fiat miſtio. Sunt itaque atomi D. Sennerto corpuſcula minima ex elementis vel elementatis conſtantia: at contrà Ganymedi Sennertiano ſunt res etiam ſpecie diverſæ ab elementis, in tract. de form. orig. fol. 410.

XLIV. Quod ut accuratius notes, amice lector, primò diſpiciendum, quomodo miſtionis rationem & naturam contra ſui præceptoris verba & mentem depravare conetur iſte bonarum diſciplinarum corruptor.

Miſtionem fieri ſtatuit in tract. de orig. form. fol. 159. non ex elementis eorumque pugna, qua ſeſe mutuò frangant, refringant & in ſe agant, ſed omnem miſtionem fieri ex antea miſtis, non è primis iſtis Scholaſticorum miſcibilibus. Contra Domin. Sennertus in lib. de Galen. cum Chym. conſ. & diſſ. cap. 12, fol. 357. de miſtione elementorum ait: Vero magis conſentaneum videtur in miſtione miſcibilia (per quæ hic & hoc loco intelligit elementa) in minimas partes redigi, atque ita ſibi per minimas partes unita, per contrarias qualitates mutuo agere & pati: non tamen formas ſuas plane amittere (alias enim ſi formæ abolerentur, non eſſet miſcibilium alteratorum unio, ſed miſcibilium omnium corruptio) ſed ex omnibus unam conflari, aut potius omnes miſtas & quaſi in unum redactas ſub ſuperioris alicujus formæ, à qua fiat unum ſpecie, dominio deponere.

XLV. Hic

XLV. Hic vides, amice lector, quomodo inutilis iſte vitilitigator, non ſaltem communi & antiquæ veritati obſtrigillet, ſed & præceptori ſuo, quem defendere volebat, turpiterogganniat. Et nota, quàm ridiculè, craſſè & beoticè ſibi ipſi contradicat & jugulum frangat, dum inquit in tract. de form. orig. fol. 155. miſtionem ſive regularem ſive irregularem, ſive artificialem, ſive naturalem (quæ diſtinctiones rancidæ & inutiles è novatorum cloacis non è ſolida & vera philoſophia ſunt productæ) ex antea miſtis, non è primis iſtis ſcholaſticorum miſcibilibus procedere.

XLVI. Si enim mixtio fit ex antea miſtis, miſta ea ex miſcibilibus prioribus ſimplicibus oportet fuiſſe compoſita; prima enim miſta præſupponunt corpora ſimplicia, ex quorum ad unionem coitione & ſyncriſi ſunt nata. Nulla poteſt fieri vera, Philoſophis hic dicta miſtio, niſi ex iis, quæ in ſe mutuo agere & pati poſſunt: talia verò ſunt corpora elementaria prima, juxta D. Sennertum, Scaligerum, Ariſtotelem, Zabarellam & univerſam antiquæ veritatis conſenſionem. Atomi itaque non ſunt materia miſtorum corporum, neque corpora miſcibilia quia ſunt impatibiles ac immutabiles, ut ipſe inquit in tract. de form. orig. fol. 218. Vide Galen. lib. 1. de element. cap. 1. 2. 3. & 4.

XLVII. Primò itaque falſum eſt, omnem miſtionem fieri ex miſtione miſtorum; deinde mixta generari & conſtare ex atomis. Sed & ſua tria principia eſſe prima miſta, ex quibus cætera conſtent corpora, aſſerit D. Senn. cap. 9. fol. 271. in lib. de Gal. & Chym. conſ. & diſſ. ſed non ex elementis ſimpliciter

aut

aut variè miſtis tantum conſtare, quia peculiares & ſpecificas habeant formas; idem ibid. fol. 358.

XLVIII. Quæritur itaque an res modò naſcentes aliæ atque aliæ non ex primorum elementorum naſcantur mixtione. Reſpondet D. Sennertus cap. 12. fol. 353. hodiè in rerum generationibus miſtionem non ab elementis ſponte ad cujuſque rei conſtitutionem concurrentibus, ſed à forma omnia dirigi. Et paulò poſt ſubjicit locum ex Scalig. exerc. 307. niſi quatuor illa elementa rectorem habeant, temerè & ſine modo jactabunt & jactabuntur. Quid enim eſt, quod tantum terræ commiſceat tantum cæterorum? &c. vide ibidem ſequentia. Ex quibus apparet. D. Sennertum ſtatuere & docere, mixtionem mixtorumque & rerum generationem non ſemper fieri ex antea miſtis, ſed & ex primis miſcibilibus elementis.

XLIX. Deinde atomos illi nihil aliud eſſe, quàm miſcibilium ſeu ſimplicium & elementorum vel compoſitorum ſeu antea miſtorum particulas ad tantam parvitatem redactas, ut in miſtione plurimum ſe contingere, & ſuis in ſe invicem qualitatibus agentes, ad unionem redigi poſſunt, Proinde lib. citat. fol. 359. ait, Democritum quando concretione iſtorum corpuſculorum generationem fieri dicat, non negare miſtionem, vel ſaltem hoc velle, non ſe penetrare Elementa vel in mixtione non ſemper ad elementa vel materiam primam recurrendum eſſe, ſed ex corpuſculis jam antea miſtis, & in ſuâ eſſentiâ conſtitutis nova miſta generari poſſe. Vnde concludit juxta Scaligerum, Galenum, Ariſtotelem, Avicennam, Elemento-

rum

rum miſcibilium ſeu ſimplicium ſeu compoſitorum ex miſcibilibus in atomos & minima corpuſcula redactorum mixtione fieri ſyncriſin & generationem, & diacriſi corruptionem rerum. Rem exemplis declarat, & res naturales, uti aurum & argentum (adde etiam pulviſculum terræ aliaque) ſub minimâ atomorum qualitate ſuam poſſe ſervare formam docet. Ex his conſtat D. Sennertum per atomos non intelligere corpora alia, quam quæ ex elementis & elementatis in minimas particulas redacta ſunt, eamque cum Galeno, Ariſtotele & totâ antiquitate damnare opinionem, quâ res ex atomis & corporibus impatibilibus & intranſmutabilibus fieri docetur. Quod confirmat, cum inquit loc. cit. ſe libenter à Galeni partibus ſtare contrà Democritũ, ſi aliter ſentiat, quã ipſe Democriti mentem expoſuit, & illa fuerit ejus mens quam tradit Galen. qui cum lib. de element. ex Hipp. & Ariſtot. ſuiſque propriis rationibus ſatis confutarit abſurdam corporum ex impatibilibus atomis generationem Sperling. Præceptori D. Senn. hæc amplectenti turpiter contradicere certum eſt.

L. Stat itaque invictæ veritatis regula, ex quibus quidpiam componitur, in illa reſolvitur. Corpora ex atomis non componuntur, quatenus eæ ſpecie & naturâ ab elementis diverſæ ſunt; ergò in atomos non ſolvuntur, vel alias particulas minimas, quæ non ſunt elementaris naturæ. Neque enim illæ atomi, quas ex Sennerto producit veterator ille Sperlingerus in tract. de form. orig. fol. 216. ſunt corpora ſimplicia, ex quibus quid componitur, neque ſunt atomi inſectiles & inalterabiles, ſed compoſita.

Ait

Ait enim ibi fætorem docere non eſſe purum ignem vel aerem quod exhalat, ſed adhuc compoſitum, & fætorem eſſe accidens corporis miſti non impatibilis atomi norunt tyrones & Phyſicæ initiati. Hoc enim allegato ex D. Senn. loco, veterator volebat probare atomos in tract. de form. orig. fol. 217.

LI. Et ſane miſerabile porrò ejuſdem pro atomis eſt argumentum quod exſtat ibid. fol. 409. ideo nos conſtare ex atomis, quia multa ſubtilia ſenſum latere & fugere poſſunt. Si ſenſum latent, nec ulla detur alia ratio pro atomis, & D. Senn. tuus præceptor, te in ante dictis docuit, quid per atomos intelligendum ſit, quid in flammis quæris adhuc atomos Epicureas & Democritianas? Si de iis quæ ſenſuali obſervatione probanda ſunt, ſi ea aſſeveranda ſint, quæ etiam nullo ſenſu probari poſſunt, concludere nobis liceret in quolibet eſſe quidlibet, & quidlibet conſtare ex quolibet, & rancidum iſtum magiſtellum talia aſſeverantem non tantum ex atomis ſtultitiæ Democriti, Epicuri vel Leucippi, ſed & placentis vaccinis, è quibus nobilis illa omnium florum aqua elicitur, conflatum eſſe.

LII. Sed nunquid hæreticum eſt ſtatuere nos & noſtra corpora maximam & nobiliorem partem conſtare ex atomis, captavitne & venatus eſt atomos in aere volitantes Deus, ex quibus partim creavit hominem, an primum creavit atomos, & ex atomis hominem, an cum terram & aquam juſſit producere animantia, voluit ex atomorum conglomeratu nihil elementaris naturæ habentium eadem partim produci? quam nobis cudis Geneſin? Hæreſibus Theologi hæc opinionum monſtra, ſcuticis explodenda

plodenda annumerant. Vide Chemnit. in loc. cæteroſque Theologiæ præclaros myſtas. Abi ad explicationem operis ſextiduani ponè ſequentem.

LIII. Sed porrò videamus quibus hanc venerandæ antiquitatis & invictæ veritatis regulam: Res in ea ſolvitur ex quibus componitur, corrumpere annitatur. Contra immotum, inquam, hoc & invictæ veritatis principium non pudet impudentem veteratorem in tract. de form. orig. fol. 216. ſic argumentari. In quodcunque quid reſolvitur ex eo generatur: Caſeus in vermes reſolvitur. Ergò etiam è vermibus generatur. Hæc aut ex barbarâ ruditate, aut contradicendi libidine vel extrema malitia profecta eſt objectio. Quis unquam eruditorum dixit vel ſenſit caſeum reſolvi in vermes, quis equum in ſcarabæos, aſinum in crabrones, vitulum in apes, cum ex eorum cadaveribus hæc generentur. Caſeus vertitur in vermes, non ſolvitur in vermes, quia non erat factus è vermibus: ſed in vermes generantur ex caſeo. ſic ex animalium cadaveribus generantur vermes, & memorata animalcula, non quia ſolvuntur in ſua principia, ſed quia convertuntur in hæc animalcula, & ſecundum Phyſicos hæc corruptio non fit in principia, ſed cum nova generatione conjuncta eſt: ex illius vero monſtroſa opinione qua in tract. de form. orig. fol. 27. ſtatuit innumera animalcula minora grandioribus connaſci, uti ſcarabęos equis, apes bobus, quæ erumpunt illis morientibus, potius ſequitur ea conſtare & generari ex iis ſoluique in vermes. Et ſane adhuc turpius eſt, quod ibidē dicit, me generationis & conſtitutionis principia confundere, cum dico ſublunaria juxta materiam &

formam ex elementis generata eſſe. An non ſubſtantiæ corporeæ generantur ex materia? an nón ipſe veterator contendit fol.91. formas generari? an quod dicitur generari, induit naturam principii generationis, hoc eſt cauſæ externæ, (impoſtor vult dicere naturam generantis) an non manet internum & rei conſtitutivum, quia dicatur generatum eſſe; generare convenit cauſæ externæ & efficienti, generari, uti & ipſe vult, formis & rebus ex materia & forma natis. Apage te nugivende impoſtor.

LIV. Progredior nunc ad iſtius Magiſtri qui ſe Sperlinger nominat ſceleratiſſimas calumnias & improba quibus honorem ſummorum Philoſophorum unaque meum collutulare nititur, mendacia. In Theſi 40. de formar. orig. quam ille ponit in tract. ſuo de form. origin. fol.294. allegavi regulam Philoſophorum, quæ immotæ veritatis eſt principium, videlicet : quod cauſa inducens ultimam diſpoſitionem, ſit etiam cauſa introductionis formæ, quod & de anima rationali intellectum velint Philoſophi. Ex hoc infamis ille veterator vult exſculpere Freitagium ſtatuere animam rationalem educi è potentia materiæ, aitque in tract. de form. orig. fol.306. Freitagium hic prodere humile & craſſum de anima rationali judicium. Quæſo nunc, amice lector, an ille qui dicit formam (puta animam rationalem vel aliam quamvis) non induci vel introduci niſi in materiam diſpoſitam, an ille affirmat eandem ex potentia materiæ educi : vel ſi dicamus quod ſit cauſa quæ diſponat materiam aptamque reddat ut introducatur forma, & hoc pacto ſit cauſa introductionis formæ, ex eo ſequatur nos ſtatuere formam per hanc cau-

cauſam ex potentia materiæ eductam eſſe; qui dicit per hanc præparari materiam, ut forma induci poſſit, ille formam inducendam non ſtatuit ex potentia materię per cauſam diſponentem educi, ſed eam hoc cauſari in materia quod forma introducenda introduci vel induci poſſit, unde cauſa introductionis formæ dicitur. Et hinc diſtinguit Toletus lib.3.de Anima cap.5.text. 20. quæſt. 17. inter cauſam inducentem diſpoſinem ultimam, quæ ſimul etiam ſit cauſa formæ, & inter cauſam inducentem ultimam diſpoſitionem, quæ tantum ſit cauſa introductionis formę, ubi pariter aſſeverat cauſam ultimam diſpoſitionem inferentem eſſe cauſam introductionis formæ, & hoc ſemper verum eſſe & etiam in anima rationali: Et hinc eſt quod Metaphyſici & Philoſophi non barbari, non paradoxo logi, vel novatores, diſtinguant in efficientibus inter cauſam perficientem & diſponentem. Cornelius Martini Philoſophus ſui ſeculi ſummus in Metaphyſ. cap.de cauſa effic.fol. mihi 119.definit cauſam perficientem, quę ultimam rei perfectionem cauſat, uti illa eſt, quæ inducit formam rebus materialibus: diſponentem vero cauſam quæ ultimam formā non inducit, ſed adaptat materiam, ut commodius perficiens cauſa formam illam inducere poſſit; hactenus ille. Ex quo liquet quomodo intelligendum ſit id quod dicitur : Cauſa inferens ultimam diſpoſitionem eſt cauſa introductionis formæ, videlicet quod perficiens non niſi hujus operâ præ viâ formam introducere poſſit, ſeu quod forma introduci non poſſit , niſi materia à cauſa diſponente ſit ad receptionem formæ idoneè diſpoſita. Et quod hac ratione cauſa inducens ultimam diſpoſitionem

ſpoſitionem ſit cauſa introductionis formæ; deinde quod cauſa illa diſponens, quæ cauſa ſit, ut forma introduci poſſit, non ſit cauſa formæ, ſiquidem perficiens ſit cauſa formæ & efficiens. & etiam introducens, quia diſponens ſit cauſa, quod perficiens introducere poſſit. Nullam vero formam, qua forma eſt, poſſe eſſe (tantũ abeſt quod educi vel induci queat) niſi in maria propria & ad æquata, docet D. Senn. in Inſtit. lib. 5. part. 1. c. 2. Adæquatur vero ut in antecedentibus & ſequentibus ibidem docetur per diſpoſitionem idoneam, ſed & ego perſpicuis & claris verbis in diſputat: mea de form. orig. theſ. 40. quam veterator ponit in ſuo tract. de form. orig. fol. 293. dixi non humanam tantum, ſed & rerum omnium formam in indiſpoſita materia nec ſubſiſtere nec recipi poſſe: & paulo poſt, forma non inducitur, niſi in materiam planè diſpoſitam, & ultima diſpoſitio eſt quaſi formæ introductio, quod de formis è potentia materiæ eductis, vel in materiam inductis promiſcuè me intelligere planum eſt. Siquidem tam illæ formæ quæ in materiam inducuntur, requirunt materiam ſufficienter diſpoſitam & οἰκείαν & propriam ὕλην, quam quæ ex potentia materiæ educuntur. Ex quibus omnibus luce meridianâ clarius diluculat, quod ad formæ cujuſcunque receptionem neceſſaria requiratur diſpoſitio, quodq; per illam cauſetur, quod per ejus cauſam forma introduci poſſit, unde introductionis cauſa dicatur, ſed non cauſa ipſius formæ ſeu è potentia materiæ educendæ, ſeu in materiam inducendæ. Vides itaque benevole lector, quam effrænata calumniandi libidine impiam & perverſam de ortu animæ rationalis opinionem mihi aſſuere

non

non erubeſcat proſtituti ille pudoris magiſtellus;verè dictum, cave à ſignatis & mutilatis.

LV. Porro vide quam ſardonio riſu exagitet illud, quod dixerim, axioma illud eſſe Philoſophorum,quod cauſa inducens ultimam diſpoſitionem ſit cauſa introductionis formæ, unde ſubſilit ad ſyllogiſmum; quicquid dicunt Philoſophi, verum eſt, Philoſophi etiam dicunt formas non induci ſed traduci. Ergo id verum eſt. Sed heus bone vir, qui ſunt illi Philoſophi qui hoc dicunt, nunquid illi Paracelſici paradoxologi & novatores Severiniani, indigni qui purgent veterum verorumque Philoſophorum calceos. Dixi Philoſophos hoc dicere, quo ipſo innuere volui veræ Philoſophiæ indubitatum hoc & invictæ veritatis eſſe principium, à maximis & graviſſimis Philoſophis pro regula ſubinde inculcatum. Quibus non minus eandem maculam affricare, quã contra omnia veterum principia (quandoquidem hæc corrumpere & evertere novaque ſua ſubſtituere anhelant) divinaque oracula diſputare non erubeſcunt, unde ipſe ridibundus ridicule ſubjicit loc. cit.fol. 306. de Philoſophis hanc regulam uſurpantibus. Quidquid ajunt Philoſophi verum eſt,nil tam abſurde dici poteſt, quod non ajunt Philoſophi. Ergo nihil tam abſurde dici poteſt, quod verum non ſit. Minorem probat ex proverbio (dicterio) Philoſophorum.Nil tam abſurde dictum,quod non ab aliquo dictum Philoſophorum: proinde hanc regulam à craſſis & non philoſophantibus Philoſophis introductam eſſe (ſunt ejus verba loco allegato) quia hac ipſa ex craſi elementorum derivetur(uti inquit)anima,ſed uti jam ſæpius dictum, qui dicit ani-

mam non informare materiam niſi craſi elementari debite diſpoſitam & affectam, an ille ex craſi elemẽtari animam derivat? Vide, lector, obeſum petulcum, imo viroſum & malitioſum veteratoris judicium mihi meum humile & craſſum barde & barbare objicientis. Sed quinam ſunt illi, uti criminatur, craſſi & non philoſophantes Philoſophi, hoc principium uſurpantes, & hoc ipſo declarantes quod animam rationalem mecum ſtatuant ex potentia materiæ oriri? Ex horum numero oportet eſſe Toletum, qui hanc à me allegatam maximam lib. 3. de Anim. c. 5. text. 20. quæſt. 17. fol. 157. producit, eamque rectiſſimè & accuratiſſimè adhibet ad probandum animam rationalem non è potentia materiæ educi, ſed in materiam introduci, quemadmodum ex toto quæſtionis 17. examine abunde cognoſcere potes. Vide itaque ride & exſecrare impiam iſtius magiſtelli mentiendi & calumniandi proterviam.

Cætera abſurda & falſa & ridicula quibus quælibet libri totius pagella adeo plena eſt, ut nulla penè ſit ſine calumniis, elenchis vel mendaciis periodus, hic non tangam. Ex iis quæ præ cæteris impudentia, impia & horridiora viſa ſunt digito ſaltem monſtrare & nonnihil caſtigare, non vero Augiæ illud ſtabulum ſub frontiſpicio univerſum expurgare volui, ut benevolus lector primo intelligat, me non livore neque maledicendi aut ulli mortalium detrahendi ſtudio, ſed ſolo veritatis aſſerendæ & propugnandæ amore compulſum, ſtrinxiſſe calamum.

Opinio D. Sennerti ejuſque ſubornati Ganimedis M. Sperling. de formarum origine, è lib. de Galenic. cum Chym. conſenſu & diſſenſu, & tractatu de formarum origine candidè & integrè excerpta recenſetur.

LVI. Poſtquam repudiata vera veterum de origine formarum & potentia materiæ ſententia, veritati nuncium miſiſſet D. Sennertus, ipſe novā quandam & inauditam, ſanis ingeniis viriſque doctis mōſtroſam prurientibus verò novarum opinionum ſectatoribus, quibus nihil antiquius, quàm venerandæ antiquitatis veritati oppedere, apodictica diſciplinarum principia ſtirpitus eradicare, Paracelſiam, fratrum Roſeæ crucis barbariem & blaſphemas artes in phrontiſteria litteraturæ politioris invehere, plauſibilem, commentus eſt doctrinam de earum ſatu & propagatione & dependente inde rerum generatione. Proinde aſſerit formas omnes à Deo primitus eſſe conditas omnipotentis verbi virtute, cum dixit: Germinet terra germen; herbam producentem ſemen; arborem fructiferam facientem fructum juxta ſpeciem ſuam, cui inſit ſemen ſuum ſuper terram; & creſcite & multiplicamini: quas mediante ſemine quaſi per traducem propagari aſſerit.

LVII. Has autem formas non ex elementis natas, (licet diſertè à Deo ex iiſdem productas eſſe textus teſtetur,) uti neque tria illa Paracelſicorum, quæ vocant, nobiliora principia, ſed à Deo creando rebus omnibus inditas. Illas ita à Deo creatas divina benedictione ſeſe multiplicare.

 LVIII. Fun-

LVIII. Fundamentum omne propagationis formarum & generationis ponit in virtute ſui multiplicandi. Multiplicant verò ſeſe formæ cum generans in generatum transfert ſuæ formæ partem: Si enim, inquit in tract. de Galen. cum Chym. conſenſ. & diſſ. cap. 9. fol. 195. nihil de ſuâ eſſentia generans in generatum transferret, ſed ſaltem materiam determinaret ad ſimilem formam, efficiens poſtea, quod non ejuſdem ſpeciei eſt faceret, ut actu prorumpat, quomodo quæſo dici poſſet, formam ſeſe multiplicare; & ibidem, animatum ſibi ſimile generare aſſerit, quod omnis forma ſit ſui multiplicativa.

Neque tantùm formas viventium vult eſſe ſui multiplicativas, ſed & cæterarum rerum, & lapidum, gemmarum, mineralium, metallorum: unde dicto lib. cap. 9. fol. 232. ait: imo ſuam cujuſque rei formam ſeſe vim multiplicandi habere abſurdum eſſe non exiſtimo.

LIX. Modus autem propagationis & multiplicationis formarum conſiſtit in diviſione earundem, & partium per diviſionem avulſarum tranſlatione ad fabricam novi ſuique ſimilis individui, uti docet dicto lib. c. 9. fol 203. Forma verò animatorum eſt per ſe & primariò nec quanta nec diviſibilis, verum quã-ta dici poteſt & dividi ad diviſionem materiæ; unde aliquid animæ cum parte corporis avulſum, ſimile & ſibi neceſſarium corpus fabricare, atque ita novum animatum emergere ſolet.

LX. Verum non cum qualibet corporis parte animæ aliquid avulſum ad hoc aptũ eſt: ſed talis ſit materia, in qua anima avulſa commodè deliteſcere &

ad ſuum opus ſeſe accingere poteſt. Et paulò poſt: Hinc varius eſt propagationis animatorum modus, in plantis quibuſdam per ramos avulſos anima dividitur ad diviſionem materiæ, in aliis per radices, in aliis per ſemen, in aliis per alios modos.

Animalia verò per ſemen aut ſemini quiddam analogum generant: quod teſte Epicuro probat, qui ſemen dicebat ψυχῆς ϗ σώματ☉ ἀπόσπασμα, quo à corpore deciſo ad ſubjecti diviſionem & ipſa anima dividitur, & aliquid ejus cum ſemine ab animali deciditur.

LXI. Etſi verò animalia omnia ex & mediante ſemine generari ſtatuat, tamen rem cæteroquin nullam, quæcunque etiam ſit, niſi ex ſemine vel eo quod ſeminalem rationem habet generari aſſerit in tract. Galen. cum Chym. conſenſ. & diſſ. cap. 12. fol. 345. Hoc pacto radices ramoſque plantarum generare, quia ſeminalem obtineant rationem: qua ipſa vel etiam ſemine mineralia, metalla, lapides & gemmas haut defraudatas eſſe aſtruit dicto lib. cap. 9. fol. 236.

Semina in triplici ponit differentia: alia ſunt univoca; alia ambigua, alia analoga. Vnivocum illud eſt, ex quo generatur ſpecie ſimile illi, à quo deciſum eſt. Ambiguum, quod plures in ſe formas concludat, ita tamen ut una dominari debeat, altera ſervire; niſi occaſione oblata aliud fiat: vel ambiguum eſt, quod ad plures formas ſit diſpoſitum. Analogum, per quod æquivocæ vulgò dictæ fiunt generationes, quodque ut ait Scaliger, non planè directeq; ſuſcipit cum ſpecie primaria prædicationem. Non enim fimus, ex quo mus naſcitur, eſt ejuſdem

naturæ ſpecificæ cum ſemine maris & fœminæ murium.

LXII. Formas ille etiam alias ponit univocas, alias ſubordinatas, alias ex analogo ſemine natas quas æquivocas juxta D. Sennertum dicere poſſemus. Vnivocæ ſunt portiones formæ ſubſtantificæ neceſſario ſimiles ei, à quâ deciſæ ſunt. Subordinatæ ſunt, vel quæ ſub diverſo ſchemate corporis in naturæ theatrum progredi poſſunt; vel cum plures ſint in uno ſemine, quarum una ſit domina & princeps, reliquæ quaſi miniſtræ: Vnde D.Sennertus in tract. de conſ. & diſſ. Gal.cum Chym.fol.336 & 347.illud ſemen ambiguum nominat.

His accenſendum eſt quartum genus, nempè formarum illarum inferiorum, quas anima ſibi generat in diſpoſito corpore, ut ſit inſtar materiæ, & quæ recedente anima ejus fungitur officio & ſit cauſa facultatum & operationum in pluribus rebus amplius non viventibus. Vnde in rhabarbaro mortuo D.Sennerto ſupereſt vis purgandi.

Generatur vero hæc forma ab anima, quemadmodum forma lactis & ſanguinis, auctore D. Senn. in Inſt.lib.5.part.1.cap.2.

LXIII. Atque ita candidè & ſine fuco recenſui doctrinam D.Sennerti de formarum origine, quæ cum ſynceræ antiquitati non ſolum adverſa fronte repugnat, ſed parum veri, plurimum falſi, nihil penè recti contineat, & in veteris veræque Philoſophiæ ruinam prorſus excogitata ſit, adeoque in diſputatione meâ de origine formarum arietata ſit indubitatis & infallibilibus, nec à quoquam ſanæ mentis hactenus negatis & ex veteris veræque Philoſophiæ gremio

gremio petitis, apodicticis diſciplinarum principiis, ut non tantum minari, ſed perpeſſa caſum viſa fuerit: ſiquidem triumphante vetere & orthodoxa diſciplinarum ſcientia hanc Sennertiano-Paracelſicam novam in Cauros evaneſcere, auc illam è doctrinarum phrontiſteriis in exilium adigi neceſſum ſit, Subornatus & præfectus defenſioni cauſæ Sennertianæ quidam Sperlingius illa, quę præceptorem effutire puduit, depudicata fronte in me evomere non dubitavit, & in præſidium ſuæ ſycophanticæ adverſum me blaterationis tria collocare voluit fundamenta, quorum primum eſt novorum inauditorum & monſtroſorum principiorum poſitio; alterum, fraudulenta, cum irriſione nec vera ullius argumenti ſolutione, ad rem nihil faciens reſponſio; tertium calumnia; quibus lectori fucum facere & veritati inſidiari molitus eſt.

LXIV. Oportuit enim illum, ut veritatis invictæ principiis & rationibus inde petitis aliquid opponeret cum ſuo præceptore, nova comminiſci qualiacunque pro novis dogmatis palliandis principia, quorum aliquam ſeriem in prima fronte tractatus de formarum origine, tanquam fundamentum totius ſycophantiæ præmiſſum, collocavit, unde argumentorum meorum ſolutiones, ſed omnes vanas & inanes frivolaſque & Ianuario frigidiores elicere conſtituit.

Nihil dico quàm quod res eſt: ſto in luce publicâ, & quod dixi Spiritus ſancti gratiâ, quæ bonis & veritatis in ſua profeſſione defenſoribus adminiculatur; cornicatores verò & bonorum virorum conviciatores, & diſciplinarum artiumque bona-

rum

rum everſores & novatores ac paradoxopæos confundet, defendam. Sed ad rem.

LXV. Sennertianus Ganymedes & defenſor peculiares ſuas excogitavit & accerſivit è regione idæarum differentias formarum, quas pro fundamento blaterationis adverſus me cœptæ ponit, quocirca in tract. de form. orig. fol. 3. ait: formas rerum corruptibilium alias eſſe ſpecificas, alias ſubordinatas, alias accidentarias, alias partiales. Specificæ illi ſunt, quæ materiæ actum ultimum & ſpecificum largiuntur, certamque mundi ſpeciem conſtituunt. De his intelligendum, data forma dari tria, videlicet eſſe, diſtingui & operari. Tales formæ ſunt anima hominis, anima canis, anima quercus, forma auri, forma ſolis.

LXVI. Subordinatæ ſunt, quæ certis ſpeciebus corporum naturalium inſunt, & ſub ſpecificæ dominio latitant, facta verò animalia & excuſſo quaſi dominio, ad officium formale ſeſe accingunt, ſibique idoneum domicilium exſtruunt: ſed poſtea, ait corpuſcula formis prædita concreata eſſe; ſic certa prodeunt animalia ex cadavêre leonis, tauri, equi & cæteris.

Huc refert generationem murium fol. 26. in tract. de orig. form. aitque primò è Franzio, Deum voluiſſe ordinem generationis certum, ne modò mus ex mure naſceretur, modò mus ex putredine generetur: & ut generatio ſimilium ſpecierum non niſi ex ſimilibus ſpeciebus certiſſima & conſtantiſſima generatione continuaretur. At paulò poſt contrarium docet & concedit ex rebus putreſcentibus, veluti plantis limo fimoque generari animalcula; ſed non à

putre-

putredine, quæ nullam ſpeciem producere poſſit, verum à calore, qui eſt in putredine benignus,& excitat vim ſeminalem in materiâ latentem, qualis ad certam ſpeciem producendam requiritur.

Ex his concludit. Formas has ſubordinatas in & cum ſpeciebus mundi fuiſſe creatas: id eſt egregia corpora variis & infinitis corpuſculis, ſuis item formis conſtantibus, gaudentia Deum creaſſe, quæ facta animalia ſeſe oſtentant, vid. Sperling. tract. de form. orig. fol. 27.

LXVII. Formæ accidentariæ illi ſunt quæ quoad originem earum cum ſpecificis vel ſubordinatis conveniunt. Dicuntur vero accidentariæ, quia cum corporibus ſuis de loco ad locum tranſportantur, ubi cum ab hominibus animadvertantur, illic generatæ fuiſſe putantur. Ita mures Franzio portantur cum mercibus in naves, non generantur ibi; ſic gryllí transferuntur ex oppidis in alia oppida cum veſtibus. Huc pertinet illa formarum tranſlatio, quâ ſemina vermium aut rerum mineralium veluti calcis cum cibo potu & aere in corpora noſtra feruntur: è quibus non fiendis ſed jam factis formis nova corpora prognaſcuntur.

LXVIII. Patiales formæ ſunt, quæ certam partem integrantem corporis humani vel alterius animalis conſtituunt. Vnde aliam formam habet epar, cor, mammæ, caro. Diverſitas enim operationum diverſitatem indicat formarum. Sic carnẽ in macello habere propriam formam, non minus eâ quę eſt adhuc in vivente, eamq; ſubſtantialem, ex ſemine, quę ſibi certum ædificat domicilium ait in tract. de formar. orig. fol. 6. & 165.

Brevis

Brevis conſideratio operis ſextidui, ex quo omne de formarum origine fundamentum eruendum & ponennendum, ſalvo orthodoxæ Eccleſiæ & SS. Theologiæ Doctorum judio præmittitur.

LXIX. Hactenus qua decuit fide & candore Clar. D. Sennerti & ejus ab eodem Subornati propugnatoris & calumniatoris de formarum generatione & propagatione doctrinam pluſquam monſtroſam, recenſui. Cui ut colorem quendam affricaret & veritatis quadam pingeret larva, ſacrarum litterarum teſtimonia à ſe allegata non veretur pro ſuæ opinionis defenſione in primâ acie collocare, quo, quod enixè molitur, ſimplicioribus fucum faciat faciliùs.

Cum itaque de rerum creatione, nulla extra & præter ſcripturam ſacram inquirenda ſit homini Chriſtiano veritas, ad illam ceu ſacram anchoram provoco, meæque aſſertionis & ſententiæ unicam normam & formam conſtituo, & quidquid contra novatores, ex ejuſdem gremio pro veritatis Chriſtianæ defenſione produco, Eccleſiæ & orthodoxorum Theologorum arbitrio humiliter ſubjicio.

LXX. Primo ſancta fidei obedientia & tota mentis devotione credo ſacroſanctam Trinitatem, qui eſt Deus, Pater, Filius & Spiritus ſanctus, condidiſſe cœlum & terram, & omnia quæ in eis ſunt, hoc ordine qui Geneſ. 1 & 2 cap. nobis à Moſe deſignatus eſt; & ut habet Epiſt. ad Hebr. cap. 11. Fide intelligimus condita eſſe ſecula Verbo Dei: ut ex inviſibilibus viſibilia fierent.

LXXI. Vt

LXXI. Vt autem quomodo rerum omnium fabrica à Deo facta ſit, rectè conſideretur, primò tenenda regula, quod tam ſolius omnipotentiæ Dei ,, opus ſit, ex quolibet facere quidlibet , quam ex ,, nihilo creare aliquid,& aliquid in nihilum redige- ,, re. Deinde juxta ἑξαήμερον Moſis perpendenda & definienda rerum omnium creatio. Quod ut ritè fiat vocabuli creationis ſignificatio rectè expedienda,& quid ſit creatio , & quæ res propriè dicantur eſſe creatæ,videndum erit.

LXXII. Creationis vocabulum aliquando generaliter ſumitur de omnibus operibus à Deo factis,& ſic ſoli Deo competit ejuſque ſolius proprium eſt creare: Et intelligitur de rebus omnibus, ſeu ex nihilo, ſeu ex præſiſtente materia à Deo conditis. Aliquando metaphoricè ſumitur, idque vel in ſcripturâ vel extra eandem. In ſcriptura ſoli Deo etiam competere notant Theologi: ut cum David orat: Crea in me cor mundum Domine; undè deducunt Theologiæ myſtæ, metaphoricè cum primis uſurpari vocabulum creare quando de beneficiis erga Eccleſiam & ſingula ejus membra quicquam ſignificat. Extra ſcripturam metaphoricè uſurpatur, cum dicimus alicui creare moleſtiam.

LXXIII. Deinde ab aliquibus diſtinguitur creatio reſpectu creatoris in primam & ſecundam. Prima eſt quâ ab ipſo in principio cœlum & terra, & omnia quæ in eis exſiſtunt ſunt condita. Secunda eſt conſervatio quâ, quæ primo omnipotenti Dei virtute creata erant, ſubſiſtendi facultatem poſſident, ſpecierumque & rerum generandarum interrupta ſervatur ſeries , uti & Auguſtin. docet de Geneſ.

ad

ad liter. lib. 5. cap. 20. Neque enim ut à ſtructura ædium cum fabricavit quis abſcedit, atque illo ceſſante & abſente,ſtat opus ejus, ita & Deus facit. Sic enim mundus ne ad ictum oculi ſtare poterit,ſi Deus ipſi virtutem ſuam detraxerit. Vnde Chriſtus inquit Iohan. c.5. v.17. Pater meus uſque adhuc operatur, & ego operor. Requievit itaque die ſeptimo Deus à condendis novis operibus, & generibus creaturarum, non ut tum à rerum creatarum gubernatione ceſſaret, alioquin continuò dilaberentur. Requievit, ut ait Aug. lib. c. ab opere creationis non à munere conſervationis & adminiſtrationis. *Et ſubdit pulcrè idem.* Deus quievit ab operis novi,generis novi ab operibus ejuſdem ſpeciei.

LXXIV. In ſpeciali ſignificatione creare denotat ex nihilo aliquid ſolius verbi mandato & imperio condere. Atque hoc modo à Theologis accipitur, qui hic allegant Lombardum,aſſerentem creare eſſe vocabulum anguſtius,quod propriè ſignificet de nihilo aliquid producere. Facere verò communius quod non tantum ex nihilo aliquid producere ſignificet,verum etiam ex præexſiſtenti materiâ.

LXXV. Chemnitius cum Fagio & Rabbi David Kimki diſtinguit inter κτίζειν creare, ποιεῖν facere & πλάσσειν formare. Vt creare propriè ſignificet à non eſſe ad eſſe aliquid producere: unde creatiò Thomæ definitur quod ſit emanatio entis univerſalis ex nihilo. Et aliis: quod ſit fabricatio aliarum rerum extra eſſentiam Dei ex nihilo. Eccleſia verò definit actionem totius Trinitatis indiviſam, quâ ex nihilo ſolo verbo *extra eſſentiam Dei* creata ſunt omnia viſibilia & inviſibilia.

LXXVI. For-

LXXVI. Formare propriè ſignificat enti creato formam ſeu figuram inducere. Rabbi David Kimki putat formare dici de re corporea quæ eſt ſuſceptiva ſenſibilium potentiarum. Facere proprie ſignificat abſolvere & ad certum uſum aptare. Ex nihilo itaque primo immediatè creata ſunt omnia, id eſt, ex nulla præexſiſtente materia. Et intelligitur hic nihil non privativè ſed negativè. Negat verò materiam & formam ſimul, ut in illa prima rerum productione, quæ ſtrictè & propriè creatio dicitur: vel negat deinde formam ſimpliciter & materiam ſecundum quid, ut in mediata rerum productione, quæ peculiariter ſignificatur per verbum formare & facere. Propriè itaque creata ex abſolutè nihilo ſunt cœlum & terra, ſeu indigeſta illa moles in qua rerum cæterarum omnia delituere principia materialia tanquam in abyſſo. Ex hac producta ſunt lux & elementa, cæteræque aliæ res.

LXXVII. Ex nihilo proinde arbitrantur Theologiæ myſtæ propriè creata eſſe cœlum, terram abyſſum, animas hominum & angelos. Cætera non propriè ex nihilo creata, ſed ex præexſiſtente, quam Deus ex nihilo condiderat, materia: ad quæ ex eadem producenda non minus omnipotente virtute opus fuit, quam ad prima ex nihilo creanda. Non itaque minus ferè miraculum, minoriſque potentiæ eſt, ex quolibet facere quidlibet (uti, quod in divina potentia eſt, ex lapidibus facere filios Abrahæ) quam ex nihilo aliquid creare.

LXXVIII. Hic notandum quoſdam illa verba: In principio creavit Deus cœlum & terram; accipere pro propoſitione totius capitis & operis ſextiduani,

quæ deinde per partes explicetur. Lyra ait Moſen nomine cœli & terræ materiam futuri operis intellexiſſe, quia de terra dicatur quod fuerit inanis, & vacua. Nominatur vero primo terra inanis;& aqua, & abyſſus tenebricoſa. Per abyſſum cenſent intelligi univerſam & immenſæ profunditatis molem,quę complexa ſit cœlorum elementorumque & rerum omnium viſibilium materiam adhuc confuſam. Ex hac de nihilo primitus conditâ,quæque modo terræ inanis nomine fuit ſignificata, modo aquæ, ſuper quam ferebatur Spiritus Domini, qui non ſolum aquas ſed res ex nihilo primum conditas fovit,cætera omnia educta expreſſa & facta eſſe.

LXXIX. [a]Et cum tenebræ eſſent ſuper faciem abyſſi primò nihil magis luce fuit neceſſarium: Creata itaque primo die fuit lux,quam non ex nihilo ſed ex materia in Abyſſo facta & præexſiſtente conditam eſſe docent, eamque non qualitatem ſed molem fuiſſe quandam lucidam *in cælo poſitam*, circulari motu diem & noctem diſcriminantem, ex quâ die quarto Sol, Luna & Stellæ per condenſationem & expolitionem producta ſunt. Niſi enim ſtatuatur, (ajunt) ſtellas & luminaria die quarto in locum primæ lucis ſubrogata,& ex hac ſubſtantiali luce eſſe conglomerata, ſequeretur eam planè evanuiſſe aut in nihilum redacta eſſe. Atq; hæc eſt Baſilii,Damaſceni, Theodoreti & Dionyſii ſententia. Sunt tamen qui putent lucem ante Solem creatam, illuſtrare cælum beatorum & ea loca quo non pertingit Sol. Non me fugit ab aliis aliter hæc explicari, verum in his ego me orthodoxorum Theologorum & Eccleſiæ judicio lubentiſſimè & reverenter ſubjicio.

a *De operibus primæ diei.*

LXXX. Pro-

LXXX. [a] Progredior ad opera ſecundæ diei, quâ dicitur Elohim feciſſe Rakia, quod interpretantur expanſum vel expanſionem: Septuaginta dixerunt στερέωμα ſeu firmamentum. Nominatur verò expanſum quia cœli inſtar tentorum & cortinæ expanſi & extenſi & circumducti ſunt orbi inferiori. Atq; hoc expanſum ſivè firmamentum Deus vocavit cœlum. Cœli nomine quid veniat, hic in diſceptationem vocatur, aliis hoc ipſo ſaltem intelligi ſtatuentibus orbes cœleſtes, aliis non hos ſolum, ſed & elementum ignis & aerem ſimul.

LXXXI. Horum prima ratio eſt quod nulla cæteroquin elementorum præſtantiſſimorum, videlicet aeris & ignis fiat mentio: de quibus tamen nullum ſit dubium quin à Deo ſimul condita ſint. Secundo quod aeris regionem ipſa ſcriptura frequenter cœlum nominet: unde dicitur: volucres cœli. Et item, Dabo vobis cœlum æneum, id eſt, aerem ſiccum ſine pluviâ. Hinc concludunt nomine Rakia ſeu expanſi, quod cœlum eſt, non ſolum orbes cœleſtes, verum etiam totam regionem ætheriam ſeu igneam & aëream à Moſe fuiſſe ſignificatam. An vero cœlorum orbes ex aquea materia expanſi & facti ſint, & an firmi & ſolidi, an verò liquidi & arctiſſimè ſimul conſiſtentes, ita ut & corporibus beatorum aſcendentibus cedant, aliis diſceptandum relinquo.

LXXXII. Difficilius eſt explicare quomodo interjecto hoc firmamento Deus aquas inferiores à ſuperioribus diviſerit, & quid ſit aquas eſſe ſupra firmamentum. Dicit enim vir Dei, quod diviſerit

[a] *Opera ſecunda diei.*

aquas quæ erant ſub firmamento vel expanſo ab his quę ſupra firmamentum erant. Qui rei difficultatem expendunt, malunt rationem captivare & in ſenſu literali acquieſcendo ſtatuere aquas ad ſuperna ſublatas, ſupra ſydereum cœlum & cœleſtem molem, quod eſt firmamentum, eſſe poſitas, quamvis quo fine & in quem uſum id divina feceris ſapientia ignorent. Dicitur enim Pſal. 104. Extendis cœlum ſicut pellem & tegis aquis ſuperiora ejus.

LXXXIII. Alii cenſent locum iſtum Moſis commodiorem admittere explicationem ſi pro aquis ſupra firmamentum exſiſtentibus intelligamus nubes: Et quas efficiunt pluvias, nives, rorem, grandinem ſimiliaq; medii aeris meteora, quę omnia ſunt aquea vel ex aquis, & ut totum aerem ſic quoque mediam ejus regionem nominemus firmamentum, ſeu Rakia, quod ſecundum cæleſtes orbes creatum fuerit, ut ſit receptaculum aquarum quæ vi ſolis à terra & mari erant elevandæ, ut ex eis fierent pluviæ in utilitatem terræ & animalium: atq; ita dicamus ſua media regione dividere aquas quæ ſurſum evehuntur ab his quæ infra ſunt. Proindè cenſent non eſſe abſurdum, quod nomine firmamenti à Deo creati, ut divideret aquas, totam machinam cœleſtem & aeream intelligamus, & interim quod dividit aquas ab aquis dicamus eſſe aerem una ſui parte & regione.

LXXXIV. Alii cœlum cryſtallinum & ſedem beatorum eſſe aqueum ſtatuunt, ſeu ex aqua, quæ quidem ſimilis ſit elementari, ſed tamen alterius naturæ & analogæ: quod cum ſit ſupra cæteros orbes poſitum, rectè dicatur aqua ſupra firmamentum cœleſte poſita.

LXXXV. De-

LXXXV. [a] Devolvimur ad conſiderationem operum tertię diei,ubiDeus inquit,Congregentur aquę quæ ſub cœlo ſunt in locum unum & appareat arida, & factum eſt ita,& vocavit Deus aridam terram, congregationeſque aquarum maria.

Hic ex abyſſo ſeu indigeſtâ mole,retracta elementa ordine ſuo diſponuntur, certaq; cuilibet aſſignatur ſtatio, qua inferiorem mundi elementaris globum & ſphæram conſtituunt, ita ut animalium generationi, ſuſtentationi & habitationi commoda eſſe,& omnia generationi & corruptioni obnoxia produci, rerumque genera & ſpecies ex iis oriri & conſervari in mundo poſſint. Aquas undiquaque terram ambiviſſe & circumdediſſe liquet ex eo quod convocatis , & in mare unum congregatis apparuerit terra. Vnde Pſal.103. Abyſſus (Theologi interpretantur aquæ abyſſi) veſtimentum amictus terræ,ſuper montes ſtabant aquæ. Vndiquaque illam aqua circumdedit quia ſpherica & rotunda eſt. Vti enim cœli totuſq; mundus rotundus eſt, ita & omnes partes mundi, qua forma levior ignis, aere ſuperior, eundem amplectitur,& aer aqua levior fuit amplexa terram, ſed cedere & in unum locum congregari juſſa eſt,ubi tamen faſciæ in modum terram circumdat & circumfluit & amplectitur, ita ut ſupra infraque appareat arida,ſuſtentandis animalibus ſuis idonea. Quod itaque terra aquis in unum collectis minor eminet, & mare terminos ſuos non excedat,nec exundet, & univerſam iterum terram occupet, virtute Verbi Dei factum eſt. Vnde Hierem. 5. cap. dicitur Deus ponere arenam terminum maris. Et

a *De operibus tertiæ diei.*

Iob.cap,38. verſ.11. Ego circumdedi mare terminis meis, &c. Debent verò aquæ congregari, ut terra quam operuerant, appareat arida; conſpici enim debebat, & quia inſtar luti erat, exſiccari, ut ab animalibus coli & excoli poſſit. Siccitas itaq; propria terræ qualitas eſt.

LXXXVI. Quocirca quod Deus inchoavit primo die, illud ſecundo & tertio perficere cœpit. Primo ex nihilo materiam cœli & mundi inferioris ſeu elementaris creavit, eaque unâ illâ Abyſſo complexus eſt. Secundo die ex hac eduxit, expandit, fecitque cœlos, & ignem aeremque, quæ cœli nomine pariter comprehenduntur. Tertio aquam & terram diſtinxit, ſuaque in ſtatione locavit ut hæc fieret animalibus ſuis ad cultum idonea, ſimulque eodem die ex eadem plantas ſtirpeſque produxit, & deinde, quid quinto & ſexto die factum eſt, ex utriſque ſui generis animantia fecit. Interim luminaria & ſtellas in cœlo condidit die quarto.

LXXXVII. Hoc proindè ritu diſpoſita ſunt elementa, ut primam ſphæram in modo globi facerent terra & aqua, hanc circumdaret aer & hunc ignis, atque ita elementarem mundum conſtituerent, qui cœlorum orbibus undiquaque concluditur, ut concamerato tabulato totum tegeretur & clauderetur ædificium cujus vis in inferiora pro rerum omnium conſervatione defluat.

LXXXVIII. Ex his præmiſſis Theologorum præſtantiſſimi concludunt cœleſtem & elementarem mundum ex una materia eſſe condita; verum illius materiam excellentiori & nobiliori forma donatam & arctiſſimè comprehenſam, undè qualitates præſtantiſ-

ſtantiſſimæ nihil conſortii & affinitatis cum inferioribus habentes,& ſic comparatæ,ut in has agere,nihil verò ab iis pati queant, & cœleſtia corpora nulli mutationi neque corruptioni naturaliter ſint obnoxia.

LXXXIX. Poſtquam Deus aquas à terra ſeparaſſet, eadem die ex hac fecit plantas,ſtirpes herbaſque cum ſuis fructibus & ſeminibus omnipotente Verbo. Vnde primo liquet terræ naſcentia non immediatè ex nihilo facta eſſe.

Cum verò Deus opt.max.hominem creare decreviſſet, cætera omnia propter hominem primò condidit, eique uti & cæteris animantibus tertio mundi die de commodâ habitatione proſpexit.

XC. Iuſſit itaque terram germinare herbam ſeminificantem ſemen & arborem ferentem fructus cujus ſemen in ea ſit ſuper terram. Mandato germinandi, indidit potentiam ſtatim proferendi herbas arboreſque,ſemine & fructu inſtructas, ſimulque in poſterum eas producendi, juxta ſuam ſpeciem. Vbi primo notandum omnia arborum herbarum & fruticum genera virtute divina ex terra eſſe totaliter facta,terræque iſtam facultatem conceſſam & datam ut ex ſe ſinuque ſuo eadem ad finem mundi profundat. verbo itaque *germinet*, de conſenſu & interpretatione orthodoxâ Eccleſiæ, intelligitur, vim durabilem eſſe terræ inditam producendi ſtirpes, quemadmodum die quinto producendi reptile. Vis autem illa à creatore ſic eſt indita cauſis ſecundis, ut ſine virtute prioris non agant. Deinde, licet Deus initio ante conditum ſolem & ſydera, herbarum & arborum ſpecies è terra immediate produxerit,

terræque vim generandi indiderit, tamen ſolem & ſydera, quarto die condita generationi uti reliquarum rerum, ita & harum prçfecit, ut ſine iis commodiſque aeris beneficiis nec è terra oriantur nec matureſcant.

XCII. Cum dicitur, proferat terra herbam ferentem ſemen & arborem fructiferam, multæque dentur arbores & herbæ non ferentes ſemina & fructus, quæritur inter Theologos, an hæ ab initio non ſint à Deo creatæ ex terra, & an non hæc acceperit facultatem haſce pariter producendi ad finem ſeculi: ubi reſpondent Orthodoxi nominatas duntaxat eſſe feraces quod infrugiferis ſint præſtantiores; neque etiam ob id quod tantum nominatæ ſint herbæ & arbores excluſos eſſe frutices, perque verbum germinet eandem illam vim qua primo immediatè ſine ſemine produxit naſcentia, ineſſe & remanſiſſe alias ſine ſemine, alias verò mediante ſemine & per ſemina proferendi. Quare cum plantæ quædam ſint ſine ſemine, quædam ſe ipſas non propagent, generentur & non generent, & nonnullæ herbarum ſpecies tam ſine ſemine immediatè quam mediatè ex ſuæ ſpeciei ſeminibus oriantur, non aliter quam mus è mure, ſimul atque è fimo, ſatis liquet per verbum germinet datam terræ eſſe potentiam plantas ex ſe & immediatè ſine ſemine, & mediate etiam per ſemina proferendi, eo ordine quem creator ſanxit, quç cauſa eſt quod ſpontè & ſine cultura provenientes & ſylveſtres ſæpè alibi proveniant, ubi nullç ſpecies earum ulla ſeculorum memoria exſtiterint, de quibus deinceps latius,

XCIII. Ex

XCIII. Ex his liquet quid intelligant Philoſophi cum dicunt, res eſſe in potentia, & rerum eſſentias non interire, ſed exſiſtentias, & illas non haſce eſſe perpetuas. Res ſiquidem dicitur eſſe in potentia cum hæret in principiis & cauſis ſuis; ſic roſa hyberno tempore non exſiſtens, hæret in principiis & cauſis ſuis, & ſic rerum eſſentiæ quæ ſunt principia & cauſæ ex quibus perpetuant, & exſiſtentiæ promanant, ſunt perpetuæ. Illam vero potentiam ad cauſas & rerum principia ex ſe ſuoque corpore tanquam materia promendi, indidit creator elementis. Vt itaque herbæ & arbores primitus productæ ſunt ex elementis, ita cum actu non exſiſtunt, ſunt in potentiâ tanquam in cauſis & principiis ſuis, videlicet in materia elementari, & ex eâ producuntur, quo ipſo evidenter demonſtratur elementa ad hoc eſſe à Deo condita, ut omnes res ſublunares mutationi ſubſtantiali obnoxiæ ex iiſdem generentur & totaliter exceptâ hominis animâ producantur, quod & ex ſequentibus primo & ſecundo Geneſeos capitibus apparebit.

XCIV. Verum enim verò, ne quid remaneat obſcuritatis de hoc mandato quo inquit Deus, Germinet vel producat terra, quæritur an dederit ſaltem virtutem producendi herbas, adeoque cauſaliter illud dictum ſit, ita ut non ſtatim actu ſint productæ herbæ & arbores uti cenſet Divus Auguſtinus, vel an hoc ipſo verbo in inſtanti & momento terra produxerit arbores & herbas fructibus & ſeminibus plenas. Heîc complures Theologi non faciunt cum D. Auguſtino, ſed verbo & mandato Dei ſtatim & in inſtanti terram produxiſſe

herbas & arbores in ſtatu perfecto, quales alioquin diuturniore tempore producere non potuiſſent, docent: quod textus teſtetur ad mandatum Dei terram protuliſſe herbam, &c.

XCV. Quocirca mandato verbi germinet dupliciter affecta eſt terra: primo ut produceret in inſtanti herbas & arbores perfectas; atque ſic vi divina antè ſolem & ſydera, & pluvias fæcundantes, omnipotente verbo produxit ex elementari & terreſtri materia ſtirpes.

XCVI. Quamobrem Moſes poſtea dicit Deum creaſſe herbam antequam oriretur, videlicet priuſquam naſceretur naturaliter, & eo ordine quem Deus dehinc continuo ſervandum inſtituit, ut vi cœli pluviiſque ad fæcunditatem excitaretur tellus, & inde eſt quod dicitur Gen. cap. 2. nondum enim pluerat Iehova Elohim ſuper terram. Philo Iudæus inquit, Deum poſt creationem plantarum creaſſe ſolem & alias ſtellas, ut refelleretur error Philoſophorum, qui dicturi erant nullo modo fieri poſſe ut terra ſine ſole germinet. Poſtmodum verò ad generationem plantarum juxta ſacræ Scripturæ teſtimonia, ordinaſſe Deum ſolem & pluvias; quod & uberrimè in Scriptura docetur.

XCVII. Secundo accepit terra vim ordinariè ac naturaliter producendi vi ſolis & ſydcrum è ſinu ſuo herbas & arbores & omnis generis plantas, quo ad integram ſuam eſſentiam animæ & corporis. Vnde Bened. Perer. in Geneſ. inquit, germinet vel proferat terra, ſignificare terræ materialem cauſalitatem, & concurſum ad generationem plantarum. Et Toſtatus ſuper Geneſ. cap. 1. Et D. Thomas p. 1. quæſt. 70. art.

70. art. 1. inquit in prima rerum inſtitutione fuit principium activum verbum, quod ex materia elementari produxit animalia & ſtirpes, vel in actu ſecundum alios ſanctos, vel virtute ſecundum Auguſtinum. Non quod aqua & terra habeat ex ſe virtutem producendi animalia, ut poſuit Avicenna, ſed quia hoc ipſum quod ex materia elementari virtute ſtellarum poſſint produci, idque ratione virtutis elementis primitus à creatore inditæ.

XCVIII. Duplex itaque proferendi ſtirpes modus terræ eſt datus, ex ſententia Theologorum Moſen rectè interpretantium: unus cum ſine ulla cultura & ſemine profert herbas & arbores quas videmus nullibi non ſponte provenire, quod certiſſimum, ajunt eſſe primævæ illius divinę benedictionis veſtigium. Alter artificioſus qua tellus non niſi culta aut non niſi jacta & facta ſemente germinet. Illa liberaliter agit & fovet, hæc parcius: illa Æſopo mater, hæc noverca dicitur referente D. Zanchio.

XCIX. Propter convenientiam eorum quæ tertio die à Deo creata cum his quæ quinto & ſexto die facta ſunt, operibus tertiæ diei ſtatim ea quæ quinto & ſexto die divina majeſtas operata eſt ſubnectemus, & ultimo loco opera quartæ diei explicabimus.

C. [a] Quinto die creavit Deus aquatilia & volatilia non immediatè ex nihilo, ſed dixit, Producant aquæ reptile animæ viventis, &c.

Sexto die fecit Deus beſtias, jumenta reptilia; non immediatè ex nihilo, ſed mandato verbi, Producat terra animam viventem. Hic D. Baſilius inquit; ideo

a *De operibus quinta & ſexta diei.*

ideo jubetur terra producere ut oſtendatur animam vitalem brutis eſſe ἐντελέχειαν terrarum, quæ unà cum corpore diſſolvatur. Eodem verò die Deus formavit hominē non immediatè ex nihilo: ſed de terra ſumpſit illum, Gen.c.2.v.19.& 23. In cujus creatione differentia quæ eſt inter brutorum & hominis fabricandi rationem à Deo adhibita eſt, quam idem D. Baſil. notavit, & Theologi amplexantur, conſideratu digniſſima eſt.

CI. Primo enim facturus hominem non dicit Fiat vel producant aquæ vel terra, ſed ait, faciamus. Vbi notant SS. Trinitatem inenarrabili conſilio poſt conditum mundum, & ea quæ ſunt in mundo feciſſe hominem: quo ſignificetur hominem propter ſolum Deum quemadmodum cætera omnia propter hominem condita eſſe, ſuper quæ ipſum conſtituit Dominum, Gen.1.cap. Deinde dictante Nazianzen. ut exprimeret repræſentaretque in parvo hoc mundo omnia quæ in ampliſſima & vaſtiſſima mundi majoris mole, cujus homo ſit quaſi compendium, comprehenſa, exſtant, adeoque ſapientia & omnipotentia Dei in hoc cumprimis eluceret.

CII. Deinde notavit Baſilius, quod de corpore hominis utatur Moſes verbo formandi. Non dixit producat terra; ſed cum vapor aſcenderet de terra, pulverem illum irrigatione ſubactum, ut eſſet limus, ex quo limo terræ formavit, id eſt, plaſmavit, finxit, ſicut figulus, & expreſſit figuram corporis humani. Quo reſpiciens Iob.cap.10.verſ.8.inquit, Manus tuæ plaſmaverunt me. Potuiſſet unico verbo, Fiat, (ajunt Theologi) totum hoc efficere, ſed ſimul dignitatem ratione auctoris, & vilitatem

tem ratione materiæ nobis oſtendere voluit.

CIII. Materia itaque corporis humani fuit pulvis, terra vel lutum. Neque enim iſta lectionum varietas implicat, ſed magis explicat corporis humani originem. Chaldaicus & Hebraicus textus habet: Deus finxit hominem pulverem de terra. Quod ſignificat hominem factum eſſe pulvereum ſumpto pulvere de terra. Vnde Geneſ. 3. verſ. 19. dicitur: reverteris in terram de qua ſumptus es, quia pulvis es & in pulverem reverteris. Et Paulus in 1. ad Corinth. c. 15. ait: Primus homo de terra terrenus eſt; quo ipſo voluit exponere vim & notationem vocis Hebrææ Adam, quod ex adamah, terram ſignificante, hoc eſt, ex terra primi hominis corpus factum ſit à Deo. Hinc Chryſoſt. Homil. 2. in cap. 1. Geneſ. ait: Terra nutrix eſt, & mater noſtra, & ex ea facti ſumus & educamur, & ipſa patria noſtra eſt, & ſepulchrum, & reditus noſter in eam. Neque ex Moſe hoc ethnicos omnino latuit. Ovid. 1. Metamorph.

Sic modo quæ fuerat rudis & ſine imagine tellus
Induit ignotas hominum converſa figuras.

CIV. Alii explicatius materiam ex qua factus ſit & conſtat homo exprimere volentes, ſic reddiderunt textum: Finxit Deus hominem de limo terræ, quia interprete D. Auguſtino, paulò antè dictum ſit, fons aſcendebat de terra & irrigabat omnem faciem terræ, ex quo neceſſario fieret limus. Et ſubſequitur, formavit Deus hominem pulverem de terra. Et hæc eadem eſt mens D. Baſilii.

Cum dicitur (inquit B. Pererius) primi hominis corpus è terra formatum, id quidem duobus modis apud Theologos, intelligi poteſt. Vel Deum pro mate-

materia corporis formandi terram duntaxat ſumpſiſſe, vel terram cum aqua miſtam, in qua tamen ipſe poſtea formas & qualitates cæterorum elementorum aeris & ignis produxerit: Corpus enim Adæ non minus quam omnium noſtrorum corpora ex quatuor elementis conſtabat: vel intelligi poteſt, Deum pro materia corporis accepiſſe miſturam quatuor elementorum, eam tamen nominari vocabulo limi: id eſt, terræ & aquæ, quod hæc duo in compoſitione & temperatione corporis humani cæteris præcellant, ſintque ipſis ſenſibus magis conſpicua: at reliqua duo occultiora ſunt; & ſicut mole ſunt minora, ita ſunt poteſtate & efficacia majora. Hac enim ratione miſtio reducitur ad quandam æquabilitatem, cum quorum elementorum vis eſt minor, eorum major eſt in compoſitione materiæ portio: quorum verò efficacior eſt poteſtas agendi, eorum minor eſt in miſtione moles. Atque in his tota orthodoxa antiquitas, & in primis D. Auguſtinus, Baſilius, Chryſoſtomus aliique de Patrum familia, & juxta hos Chemnitius, Zanchius, Toſtatus, Pererius aliique unicè conſentiunt.

C V. Demum in explicatione hujus fabricæ corporis humani de terrâ, quærit Pererius, nunquid præter quatuor hæc elementa aliquid ex quinta eſſentia vel ex natura cœleſti veniat in compoſitionem corporis humani, &c. Reſpondetque eorum qui id aſſeverent opinionem eſſe ſanæ doctrinæ contrariam, à Theologis damnatam, & à Philoſophis tanquam puerilesnugas & aniles fabulas deriſam & exploſam: quod quinta eſſentia vel cœleſtis ſubſtantia planè eſt incorruptibilis, ex quâ nihil decerpi vel reſecari queat,

queat, neque cum aliis elementis permiſcibilis, neque cum rei patibilis & corruptibilis compoſitione adhiberi poteſt. Siquidem miſtio, non fit auctore Ariſtot. niſi alteratis & quaſi quodammodo corruptis his quæ miſcentur. Appellat quidem Ariſtot. lib. 2. de generat. anim. cap. 3. Spiritum & calorem" qui eſt in animantibus cœleſtem, non tamen natu-" ra ipſa ſed quadam ſimilitudine: habet enim pro-" prietates quaſdam & effectus, calori ſyderum ra-" tione quadam reſpondentes."

CVI. Vide amice lector quam pulcram Geneſin nobis conſtruant quinteſſentiales iſti novatores, qui ex iis quæ ignoravit Moſes, neque dictavit Spiritus ſanctus, neque ſine grandi divini codicis adulteratione & falſatione admitti poſſunt, juxta potiorem partem formatum eſſe corpus humanum, mentiri non verentur. Illi videlicet quinteſſentiales & Paracelſici & aſtrales homulli, non ſunt pulvis è terra, neque lutum, ſed præter quam poſſident animam, ex quinta alia quadam conſtant eſſentia nobiliore, cujus elementa tantum ſint indumenta & operimenta, quæ non ſit lutum, non pulvis, neque ex elementari materiâ: Vnde neceſſario ſequitur corpus humanum, non lutum, non pulverem eſſe, nec corruptibile, nec redire in pulverem & terram, quia magnam & potiſſimam & nobiliſſimam ſui partem non conſtet ex elementis, juxta quam neceſſario quinteſſẽtiale & incorruptibile eſt. Nota verò quod juxta D. Sennert. conſtet ex quintis eſſentiis, at ſecundum ejus defenſorem Sperling. ex impatibilibus Atomis Democritianis & Epicuri. Eadẽ verò hic eſt beſtiarum quæ hominum conditio: Et quia beſtiarũ animæ

animæ actu entitativo poſt mortem ſunt ſuperſtites, beſtiæ homineſque ſecundum animam & corpus: æquè ſunt incorruptibiles & immortales.

CVII. Tantum de corporis, quæ altera pars eſt hominis, fabrica, idque breviter & pro inſtituti ratione. Sequitur de alterius illius & nobilioris, quæ anima eſt, partis, creatione. Secundum hanc creavit Deus hominem ad ſimilitudinem & imaginem ſuam, Gen. cap. 1. v. 27. In productione brutorum dixit Deus, producat terra animam viventem, &c. Sed de hominis anima dicitur, inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ. Sicut ergo (inquit D. Chem. in loc. comm. cap. 5. de creat.) animæ brutorum una cum corporibus diſſolvuntur; evaneſcunt & intereunt, quia terra & aqua produxit animam viventem, ita ex deſcriptione creationis animæ humanæ dicit Salomon Eccleſiaſt. cap. 12. verſ. 7. Revertatur pulvis ad terram undè erat, & ſpiritus redeat ad Deum qui dedit illum.

Vocat autem animam ſpiraculum vitæ; Hebræo textu eſt vitarum, quod non tantum ad vitam durationis corporis hujus reſtringatur, ſed etiam ad vitam ſpiritualem in altero ſeculo. Inſpirando itaque creavit animam hominis, id eſt, præter vitalem ſpiritum qui homini communis eſt cum pecudibus, Deus creavit animam rationalem; & dicitur inſpiraſſe quod in animam transfuderit lucem, ſapientiam, juſtitiam divinam, ut eſſet imago & ſimilitudo Dei. Quo pacto Chriſtus in regeneratione imaginis divinæ uſus eſt inſpiratione, cum inſufflando Apoſtolis daret Spiritum ſanctum, reſpiciens ſine dubio ad primam creationem.

CVIII. Ex

CVIII. Ex his omnibus patet juxta Scripturam & Theologorum ſententiam quæcunque plantarum genera & omnia animalia ſecundum formam & animam (ſola humana excepta) & corpus ex elementis producta, atque adeò corruptioni juxta utramq; partem eſſe obnoxia: quocirca pereunte corpore neceſſario intermoriatur & intercidat anima brutorum, quæ ſine proprio corpore exſiſtere nequeat. Hominis vero animam quia ex elementis producta non ſit, immortalem eſſe, & ſine corpore, à quo per mortem ad tempus ſeparatur, exſiſtere poſſe: Corpus verò etſi pereat quoad compagem, & in pulverem revertatur, ne hilum tamen vel atomum ejus pulviſculi interiturum, ſed in reſurrectione mortuorum integrè divinæ potentiæ virtute coiturum, adeoque reſuſcitatum è pulvere, ſuæ animæ reſtitutũ iri: unde credimus carnis (hujus) reſurrectionem.

CIX. Hæc vera eſt verè Chriſtianorum omnium & Eccleſiæ orthodoxa & indubitata ſententia, à qua quicunque recedit, abſque dubio in æternum peribit.

CX. Sunt itaque formæ & animæ rerum omnium præter humanam, corruptibiles, quod ex elementis productæ ſint, propterque eandem cauſam omnis earum ſeries eſt manetq; corruptibilis. Neque enim cum primò ex elementis produxiſſet eas Deus, voluit per generationem & propagationem aliam & diverſam ab origine prima naturam, vel per generationem ex elementari materia non amplius eaſdem produci, ſed ex his iiſdem porro, ſimiles ad omnem temporum & mundi durationem prodire, beneficio generatricis facultatis & fæcunditatis ac

potentiæ elementis inditæ, vi mandati germinet, & virtute benedictionis, Creſcite & multiplicamini.

CXI. Animæ facultas generat ſemina non ex alia quam elementari, ex qua primitus creatæ res erant materia, variè ſubacta & remiſta. Et cum illarum ſpecierum individua primo fuerint corruptibilia idque ſecundum utramque partem, videlicet materiam & formam, quod totaliter ex elementis eſſent facta, neceſſum eſt illa, quæ continua generatione ab iiſdem primis producta ſunt, etiam eſſe corruptibilia, neque ullius individui formam poſt ſubjecti ſui deſtructionem alibi ullo actu entitativo, ut garriunt novatores, ſubſiſtere poſſe. Ex prima benedictione id obtinent res generabiles & corruptibiles quod ſecundum ſpecies perdurent, & non in individuis perpetuentur, aut individuis intereuntibus eorum exſiſtant, maneantque actu entitativo ſuperſtites formæ, novas palingeneſias aut metempſychoſes molituræ.

CXII. Vim itaque acceperunt omnia viventia producendi ſpeciem ſui ſimilem: producunt verò hanc per generationem. Virtus enim illa inſita attrahit in plantis ex terra ſuccos quos præparat ad generationem ſeminum. In uſum animalium (Gen. cap. 1. verſ. 29. & cap. 3. verſ. 19.) ex terra naſcuntur herbæ & fructus quæ cedunt in cibum, ex quo chylus, ſanguis, ſemen. Vis generatrix animis plantarum & animantium divina virtute verbi *Creſcite & multiplicamini* indita, ex iiſdem quibus primitus productæ erant animæ, elementis, profert ſemina continentia potentiam ad formam individui ſuæ ſpeciei.

CXIII. Do-

CXIII. Donavit itaque Deus viventia virtute generatrice qua producant ſemina ex elementari materia, ex qua & ipſamet nata ſunt, habentia potentiam proximam ad formam pro ſpecie ſua propaganda & vim generatricem omnipotentis verbi benedictione ſic inſtruxit, quod ex elementis poſſit generare ſemina, & elementa hac donavit habilitate quod materiam ſuppeditant cum potentia ad formam educendam.

CXIV. Sed priuſquam latius procedamus de animalium ex aquis & terra creatione, textus apud Moſen oculatius inſpiciendus. De aquatilium creatione ſic habet verſ. 20. dixit Elohim Reptificent aquæ reptile animæ viventis: De terreſtrium verò creatione, v. 24. Producat terra animam viventem in genere ſuo. Et de utriſque ait: Creavit Deus cete grandia & omne volatile alatum: & fecit Elohim feram ſeu beſtiam.

CXV. Creator verò rerum omnium ea fecit non ex nihilo ſed ex præjacente, & jam antea à ſe condita materia, videlicet terra & aqua. Quæ licet ſola nominentur, quia ex his quoad corporeàm maſſam potiſſimum conſtent, tamen cætera non excluduntur elementa. Et ſanè ex elementis orta eſſe oportet, alioquin humanum corpus quod ex terra vel pulvere factum, vel ex limo conditum ſcriptura pronunciat, deterioris foret quam animantium brutorum conditionis. Cum vero Deus mandat terræ & aquis ut producant animam viventem, ajunt Theologi per hoc ſignificari animas omnium animantium excepta ſolius hominis ex elementari materia eſſe formatas; Et cum ſubdit Moſes: Deus creavit cete

grandia & omne volatile. Et item, Deus fecit beſtias terræ, denotari animalium corpora ex elementis & potiſſimum aqua & terra pariter facta.

CXVI. Vnde D. Zanchius in explicatione operis ſextidui lib. 7. cap. 1. fol. 410. ait per reptile animæ viventis, intelligi reptile animarum atque vivens, vel reptile anima vitali præditum. Ergò (inquit [a]) tam anima quam corpus piſcis, ex ipſa eſt aqua: eoque corruptibilis & mortalis: id quod & de omnibus animantibus præter hominem concludimus: quoniam de aliis quoque ſubdit: Producat terra animam viventem, jumenta & reptibilia: ſed de anima hominis docet Moſes, Deum ſufflaſſe in corpus jam formatum: ita videmus omne animal conſtare corpore & anima: vocatur autem omnis anima ſpiritus, ψυχὴ à ψύχω, quod eſt ſpiro. Vbi notandum diſcrimen quod eſt in ſcripturis inter ſpiritum hominis & reliquorum animalium. Quoniam (inquit idem) ſpiritus hominis non eſt ex aquis, neque ex terrâ, neque ex ullâ materiâ, ſed à Deo Deique flatu, ideò ad Deum redibit, ut eſt Eccleſiaſt. cap. 12. At ſpiritus reliquorum ex materia eſt aquarum vel terræ: ut docet Moſes: ideoque etiam eò, unde venit, redeat oportet, cum ipſo corpore.

CXVII. Notandum etiam ex Bened. Pererio comm. in Geneſ. cap. 1. Iuxta interpretes non temere eſſe quod Moſes ita diſtinxerit aquatilia à terreſtribus, ut illa appellarit reptilia animæ viventis, hæc autem præciſe & ſimpliciter dixerit animam viventem: ſcilicet oſtendere voluit longè perfectiorem animam & vitam eſſe in terreſtribus quam in piſcibus.

a. D. *Zanchius*.

ſcibus. Nec non veriſimile eſſe quod dicit Cajetanus, eò quod Moſes ait Deum dixiſſe: Producat terra animam viventem, ſatis indicaſſe, omnem animam ſentientem, quamvis perfecti animalis (hominem ſemper excipio) ex miſtione elementari in qua ferè primas teneat terra produci. Porphyrium autem & Pythagoricos (quibus accenſendi meritò ſunt impii novatores actum entitativum animabus & formis rerum corruptibilium, à materia vel ſubjecto ſeparatis, aſſignantes) qui animas cunctorũ animalium ſecundum ſubſtantiam nec mortales, nec noſtris diſſimiles eſſe dicũt, in magno errore verſari.

CXVIII. Animalia itaque originem ſuam habent, vel ex prima creatione à Deo, vel per generationem animalium à Deo primitus creatorum, vel ex potentia illa, quam Deus elementis & naturæ etjam extra proceſſum generationis à ſimili, indidit. Vnde Gen. 2. dicitur: Omnẽ beſtiam agri eſſe de terra. ubi etiam advertendum de animalibus univoca generatione natis, quod ut initio prima illa à Deo ex elementis ſunt condita ſecundum animam & corpus, ita etiam cætera ab iis generata & jugiter deſcendentia, non aliam aut diverſam ex generatione ſortiri naturam, quam ex primis habere poſſint, ſintque & maneant pro omnes generationes corpora elementaria, & talia in omnẽ generationem duratura, & uti ex elementis producta fuere, ita etiam in eadem ſolvi & interire. Quis itaque tam bardus & barbarè ſciolus ſit, ut tales formas ex nihilo eſſe factas, in prima creatione, vel ex nihilo fieri in generatione blaterare auſit? pudeat impietatis, pudeat nugarum.

CXIX. Verùm cum non ſolum per generationem univocam propagentur animalia à ſuæ ſpeciei ſimilibus, ſed etiam oriantur & generentur quædam ex putredine cum cadaverum tum aliarum rerum, aut ex certa coitione & miſtione elementorum vi ſolis & aſtrorum, & certum ſit omnem creaturam vi divinæ vocis productam & factam eſſe, & adhuc fieri quatenus illa potentia omnipotentis verbi virtute animalibus & elementis eſt indita, quærunt Theologi quibus à Moſe dictis exprimatur animalium quæ non à ſpecie ſimilibus fit generatio. Ad hoc reſpondent, generationem univocam ſpecialiter ſuam, quæ duret in ſeculum, virtutem habere ex illo benedictionis verbo, quo benedixit animalibus jam creatis: Creſcite & multiplicamini: æquivocam verò generationem animalium ex elementis, habere ſuam poteſtatem ex eo quod dixit Elohim: Producant aquæ, producat terra: quo verbo non tantum elementis conceſſa eſt poteſtas largiendi materiam animalibus ad ſui ſimilis generationem (ex elementis enim cibum capiunt unde chylus, ſanguis, ſemen) ſed & potentia materialis æquivocè per putredinem vel alio modo & viâ, inſtinctu & operatione ſuperiorum efficientium producendi animal. Unde de conſenſu Theologorum D. Zanchius in explic. operis ſextid. lib. 7. cap. 1. fol. 419. ait, nullum vel etiam minimum animal eſſe quod non ſit factum à Deo. Ideò enim ait Scriptura, Deus fecit omne reptile: quaſi dicat: ergo multo magis jumenta & omnem feram & beſtiam. Fuerunt autem omnia facta à Deo aut actu: ut quæ tunc prodierunt ex aqua vel terra: aut in ſemine animalium cujuſque ſpeciei:

ut

ut quæ jam generantur : aut in virtute productiva quæ in terra & elementis relicta & indita eſt: quomodo ea quæ ex putreſcentibus rebus oriuntur, nata ſunt. Vi enim illius verbi generantur è terra quæcunque ex putrefactione aut alio modo æquivocè naſcuntur.

CXX. Et ut nihil remaneat dubii de ortu & natura formarum ſeu animarum beſtialium vel brutorum, inſpicienda præter veterum Patrum & eorum qui hactenus nominati ſunt, Wittenbergenſium & Ienenſium, Theologorum celeberrimorum & longè clariſſimorum judicia, idque ex eorum in hæc loca commentariis, ex quibus impii & athei, exſculpere annitantur ratiunculas tam de animę humanæ quàm beſtialis mortalitate & interitu. Vbi videre eſt quod non minori veritatis defendendæ ardore defendant animarum beſtialium mortalitatem & corruptionem quam rationalium animarum poſt hanc vitam immortalitatem. uno ore omnes aſſerunt animas brutorum animalium in prima creatione ex elementis prodiiſſe, ideoque unà cum corporibus corruptioni obnoxias.

CXXI. Deinde ex Deut. cap. 12. v. 23. ſanguis ipſe anima eſt. Quod quidem Levit. 17. ita ab iis explicatur, anima eſt in ſanguine, ut ſanguis ſit anima, quia hujus eſt vehiculum, ſed, quia unum de altero in caſu recto prędicatur, dubium non eſt, id propterea fieri, ut ſignificetur, eundem ſanguinis & animæ in bruto quovis ortum eſſe, ita & interitum; quēadmodum enim ſanguis ex elementis conſtat, inque ea viciſſim abit & reſolvitur, ſic quoque utrumq; accidit animabus brutorum. Hinc D. Franzius, Theo-

 logus

logus quondam Wittebergenſis celeberrimus, in hiſtoria animalium c. 1. pag. 14. ſcribit: Sciendum eſt, animam bruti non eſſe ſpiritum incorporeum, qualis eſt noſtra mens inviſibilis & immortalis, alias quoque bruta eſſent immortalia. Nihil igitur aliud eſt anima brutorum, pro facili Minerva, quàm illud, quod nomen indicat, ſcilicet ἄνεμος, id eſt ventus, ſeu aër, ſeu halitus μεμιγμένος, ὀρατὸς & mortalis, id eſt, ipſe actus corporis ſanguine viventis. Illud ergo, quod in ſanguine bruti apparet, ſentitur, tanquam flatus calidus & ſpirituoſus in ſanguine, eſt ipſiſſima anima bruti, per quem ſpirituoſum & calidum flatum corpus bruti edit omnes ſuas actiones & operationes.

Pſalm. 49. v. 12. & 21. de homine impio filii Corah canunt, eum ſimilem eſſe beſtiis, quæ intereunt. In fonte verba hunc in modum fluunt ex verſione Ariæ Montani, Aſſimilatus eſt, ſicut jumenta exciſi ſunt, ſeu exciduntur. Nam verbum Nidmah, quod in Niphal hîc uſurpatur, ſignificat idem, quod in ſilentium redactus eſt ſemper, vaſtatus, exciſus, interfectus. Sic ergo jumenta & beſtiæ pereant, ut corpora & animæ id eſſe deſinant, quod, dum unà viverent, fuerunt. Et hiſce avari impii ſaltem adſimilantur, non per omnia ipſis æquiparantur, quaſi & ipſi, qua animas ſuas, in morte prorſus interierent. Simile enim non eſt idem. Benè ſuper hunc locum commentatur Geſnerus fol. 419. ſui comm. in pſalt. Quod Pſaltes ait, hominem beſtiis ſimilem factum eſſe, partim de beſtiali impiorum vitâ, partim etiam de beſtiali interitu intelligendum eſt. Non enim eò rapi debent hæc verba, quaſi hominis mors planè

eadem

eadem ſit cum interitu beſtiarum. Nam beſtiæ Anima & corpore intereunt; hominis autem anima poſt mortem ſuperſtes eſt. Comparat autem Spiritus ſanctus impii hominis mortem ob has cauſas. Primum ex opinione Epicureorum, qui cenſent, hominem non aliter, quam jumentum, exſtingui ut ajunt, Sap. 2. Ex nihilo nati ſumus, & poſt hoc erimus, tanquam non fuerimus. Quoniam fumus flatus eſt in naribus noſtris, & ſermo ſcintilla ad commovendum cor noſtrum. Deinde ideò mors impiorum cum brutorum interitu confertur, quod mors omnem ejuſmodi Euclionum & impiorum divitum memoriam abolet, cùm ſibi ſolis, tanquam beluæ, vixerint. Tertiò mors impiorum multo etiam miſerior & triſtior eſt, quàm beſtiarum; tolerabilius enim foret ipſis, ſi Prorsvs Exstingverentvr, quàm quod in ignem æternum incredibilis torturæ relegentur. Denique ſæpè fit, ut impii tragicum ſortiantur exitum, & poſt mortem nihilo honeſtius tractentur, quàm canes aut porci, ſicut regi Iojakim Dominus minatur ſepulturam aſini. Ier. 22. & 2 Regum. 9. de corpore Iſabelis refertur, quod equorum ungulis conculcatum & à canibus devoratum ſit.

CXXII. Salomo Eccleſ. 3. v. 19. 20. 21. ſcribit. Eventus filiorum hominum & eventus jumentorum unus eſt. Sicut moritur iſtud, ſic moritur ille, & ſpiritus unus omnibus, præſtantia hominis præ animali nulla, quia omnia vanitas. Omnia pergunt ad locum unum, omnia fuerunt ex pulvere, & omnia Revertvntvr in pulverem. Quis ſcit, an ſpiritus filiorum hominum aſcendat ſurſum: & Spiritvs

IVMENTI deſcendat SVBTVS TERRAM? Non tollitur hic animæ rationalis immortalitas, quippe quod infra c. 12. v. 7. expreſsè ſtabilitur, ſed collatio ſaltem inſtituitur hominis cum beſtiis quoad neceſſitatem moriendi, non quoad ſtatum & conditionem poſt mortem. Interim hinc rectè colligitur, brutorum animas reverti cum corporibus in pulverem & deſcendere ſubtus terram, ſeu in terram reſolvi, ſicut Hieronymus in comm. hujus loci exponit, inquiens: Inter homines & beſtias hæc ſola eſt differentia, quod ſpiritus hominis aſcendit in cœlum, & ſpiritus jumenti deſcendit in terram & cum CARNE DISSOLVITVR. Dn. D. Gerhardus in loc. de morte §. 152. pag. 259. 260. verba poſtrema verſ. 21. ſic explanat: Quod per prolepſim additur; Quis novit, an ſpiritus &c. non eſt latius extendendum, quã comparationis tertium permittit. Loquitur enim Salomo de notitiâ naturali & experimentali, quã conſequitur homo ex conſideratione eventuum, qui hominibus & beſtiis ex æquo conveniunt, quod enim externos illos eventus in oculos incurrentes attinet, illorum reſpectu homo à beſtiis non videtur differre; ut enim beſtia cadit, dolet, ægrotat, alget, ſitit, moritur, ita eadem homini obveniunt. Sed ex revelatione verbi per ſpiritualem notitiam cognoſcimus, in morte hominum & brutorum maximum eſſe diſcrimen, cum anima hominis ſit immortalis, & corpus ejus ex pulvere terræ ſuo tempore ſuſcitandum, quorum neutrum beſtiis competit.

CXXIII. His breviter evolutis, conſidera, amice lector, inſignem D. Sennerti temeritatem, qui contra expreſſa & diſerta ſacrarum literarũ teſtimonia,

contra

contra totius Eccleſiæ & Theologorum ad unum omnium ſive reformatorum & Auguſtanæ confeſſioni addictorum, ſive pontificiorum ſenſum, explicationem & decreta, in lib. de Galen. cum Chym. conſ. & diſſ. c. 12. fol. 332. aſſeverare non veretur, Deum creando formas, ita rebus omnibus indidiſſe, ut eas ex elementis non compoſuerit. (produxerit dicere debebat) Sed quâ ratione compulſus D. Sennertus, ita toti Eccleſiæ & omnibus Theologis contrariam & hæreticam adducit & defendere nititur opinionem, ea, ut loco allegato videre potes, duplex eſt, prima quod ſicut Moſes aeris & ignis mentionem non facit, & nihilominus non excluduntur è numero elementorum, ita animæ plantarum & animalium non excludentur à nobiliori quàm elementa ſunt, origine, licet illud Moſes non dixerit. Secunda ratio eſt, teſtimonium Scaligeri.

CXXIV. Primam quod attinet, rancida & valdè jejuna eſt, & hominis protervè ſcripturæ & Eccleſiæ obloquentis. 1. enim Geneſeos apertè & clarè dicitur, Producat terra, producat aqua animam viventem: an non disertè ibi aſſeritur, animas beſtiarum ex elementari naturâ productas & ortas? an non univerſa Eccleſia omneſque Theologi ita & accipiunt & interpretantur & credunt fideliter? Moſes non conticuit, ſed originem animarum beſtialium ſatis clarè & disertè deſcripſit, ut non ſit opus cum novatoribus & protervis ingeniis in regione idæarum alium harum venari ortum, quo inſano labore ſacræ literæ & bonæ artes ulterius contaminentur. Quomodo vero cæterorum etiam elementorum videlicet aeris & ignis creationem poſuerit Moſes, neque ea recenſere

cenſere oblitus ſit, ut vani homines putant, ex ſuperioribus patet.

CXXV. In alterâ verò ſuo argumento Scaligerum ejuſque argumenta ſacræ ſcripturæ, Eccleſiæ, Moſi & Theologis omnibus nec non ſanæ & antiquæ Ariſtotelis & Peripateticæ philoſophiæ non ſolum opponit, ſed & anteponit. Et licet Moſes animas animantium & rerum omnium, præter humanam, formas ex elementis productas & ortas aſſerat, tamen quia Scaligero & novatori, novæ Sennertiano-paracelſicæ philoſophiæ conditori & monarchæ aliter viſum eſt, taceat Moſes, ſileant Theologi, valeat Eccleſia. Et hoc pacto animæ brutorum non ex elementari & corruptibili materiâ conditę cum corporibus quæ poſſident elementaribus non intereunt, non pereunt, habentque ſuam entitatem ſeu eſſentiam & ſubſtantiam, ut ait Subornatus in tract. de form. orig. fol. 113. qua exſiſtunt & neceſſario perennant, à materia propria ſeparatæ. Plura de hac re vide diſputatione ſequente, ubi Scaligeri argumenta examinantur.

Brutorum ſi ſint animæ poſt fata perennes,
Mens eadem pecudum quæ Ganymedis erit.
Credite quod noſtris animis divinior aura eſt,
Quam Sennertus eam cum Ganymede facit.
At ſiquis pecudes ſeſe detrudit ad imas
Se facit inſanâ cum ratione pecus.
Poſt obitum quoniam pecudum ſi ſpiritus exſtet,
Humanis animis par ſimiliſque foret.
Nullum homines inter diſcrimen & horrida bruta,
Senſibus aſſimiles ſunt animiſque pares.

Ortus,

Ortus, & illorum noſterque erit exitus idem,
Quod formis ſimiles materiâque pares.
I nunc atque animas pecudum & ratione carentum
Ex elementari mole venire puta:
Quandoquidem ſolo terra de pulvere corpus
Eque ſolo atque ſalo bruti animam eſſe negant.
Scilicet illorum dat quinta eſſentia corpus,
Nec brutis animas dant elementa ſuas.
Cude novam Geneſin vel te hinc agè proripe Moſes:
Et Geneſis populo jam patefacta recens.
Te ſacra dictabunt nec vate volumina verum:
Neſcio quo veniat ſpiritus orbe novus.
Qui nova fert magnum contra myſteria Moſen
Et veteris ſophiæ ſcita, ſophiſta ruit.
Admiſſus ſacros Erymanthius urſus in agros,
Spumat, & intactam depopulatur humum.
Hic teneri incultas juvenes advertite mentes,
Ad nova queis animus dogmata prurit iners.
Forſan & hic præſens novus eſt Platonicus annus
Omnia cum mundo qui renovata feret?
Cum nova ſpargentur totum paradoxa per orbem,
Et nova doctrinæ ſurget ubique ſeges.
Quum pecudes hominũ, atq; homines pecudum ſimiles (ſint,
Et fuerint animis, ortu, obituque pares.
Scilicet huc rabidas duxit veſania mentes
Cedere quæ vero dedecus eſſe putant.
Antiquata diu ut malint paradoxa tueri,
Seu tua Pythagora ſive Epicure tua.
Democriti hinc atomi rurſus glomerantur in orbem,
Et redit errorum quod fuit ante Chaos.

De

De operibus quartæ diei.

Vbi de cœli & aſtrorum in hac inferiora operatione univerſali & particulari agitur.

CXXVI. Et dixit Gen. c. 1. v. 14. Elohim, Fiant luminaria in expanſione (Rakia) ſeu firmamento cælorum, ad dividendum inter diem & noctem, & ſint in ſigna, & tempora, & dies, & annos, ut luceant in firmamento cæli, vel ut ſint in luminaria in expanſione cœlorum ad illuminandum ſuper terram. Fecitque Deus duo luminaria magna: & dixit, &c. Verbo itaque Dei, ſicut reliqua omnia, ſic etiam hæc facta ſunt: quo pertinet illud Pſalmi: 33. v. 6. verbo Domini cœli firmati ſunt, (quod eſt factum die ſecundo) & ſpiritu oris ejus omnis virtus (excercitus) eorum: hoc factum eſt die quarto. Virtutes enim cœlorum ſunt aſtra, (ajunt Theologi) quia per hæc cœlum in hæc inferiora efficaciter operatur.

CXXVII. Vbi notant Theologi, quod non dixit, ſicut de terrâ, producat cœlum luminaria; ſed ſint in cœlo luminaria; In cœlo enim nulla eſt generatio, ſicut in terra; neque ſicut terra vim habet producendi aſtra per generationem. De inuſitatarum ſtellarum apparitione hic non diſputo nec diſquiro. In & ab aſtris duo ſunt, corpus ipſum ſeu ſubſtantia aſtri, & lux, lumen & radii: de quibus deinceps. Materiam aſtrorum Patres aliquot arbitrati ſunt eſſe lucem primo die creatam, quæ contracta ſit in ſtellas. Et præſertim in ſolem & ſic tranſlata, & in φωςῆρας ſeu aſtra diſtributa, quod cum bona fuerit, nihilque

que eorum, quæ Deus fecerit, evanuerit, non ſit putandum, eam in nihilum redactam eſſe.

CXXVIII. Alii ajunt, non extra cœlos, ſed in ipſis cœlis facta eſſe, ac proinde ex materiâ cælorum, ut nihil aliud ſint, quàm denſiores cœlorum partes, atque hac de causâ lucere, quod in diaphano quidem ſpargatur lux, ſed tranſeat & reflecti nequeat, ſecus quàm in denſiore corpore. Alii ex nihilo condita eſſe volunt: alii aliter ſentiunt. Sed hæc remitto venerandis Theologis. Corpora igitur ſunt lucida, lucem & lumen ἔμφυτον habentia. Sunt autem aſtra poſita in ſingulis orbibus, nobis ſpectabilibus, ab octavâ ſphęrâ uſque ad Lunam, ut nullum eſſet cœlum ſine ſuo ornamento, hoc eſt, luminari, & orbes à ſe invicem diſcerni poſſent. Inprimis octava ſphæra, tanquam pars nobilior, cum ſit ſupra alias, innumeris ſtellis ornata eſt: in medio poſitus eſt ſol tanquam rex aſtrorum. Cur nulla vel deprehenſa vel facta ſit ſtella in orbe nono, novit ille, qui novit omnia. Litem, qua contendunt quidam acrocephali, aſtra in cœlo natare velut piſces in mari, non facio meam.

CXXIX. Nunc qua vi aſtra agant in hæc inferiora videndum. Scriptura inquit, condita eſſe à Deo, ut luceant in firmamento, & illuminent terram: Vnde concludunt Theologi omnes & Philoſophi Chriſtiani lumine ſuo & radiis in hæc inferiora operari. Differunt verò lux, radius & lumen. Lux eſt qualitas & eſſentialis proprietas corporis lucidi; alii ſubſtantiam eſſe volunt. A luce promanant radii & lumen. Hi differunt ita, quod lumen ſine radiis; hi verò ſine lumine eſſe nequeunt. Radius eſt quaſi lux ſecũdaria, ſeu fulgor & imago à prima luce exſiliens in rectũ & acutum.

acutum. Lumen à primâ & ſecundâ luce emanat, nec in lineas vel pyramides, ſed in latum diffunditur. Eſt autem lumen & radius non ſubſtantia, ſed qualitas ſeu accidens, & non ſaltem intentionale, ſed & reale, ut dicit D. Sennertus in phyſicis, utpote quod extra animi noſtri operationem eſſe habeat, & non ſolùm ad repræſentationem ſed ad alias efficaces operationes deſtinatum: à ſyderibus verò non calidis mediante lumine & radiis, ſed hiſce primariò generari calorem in inferioribus, lumenque illud & ſolem optimum caloris eſſe opificem, ſtatuunt.

CXXX. Deferunt itaque radii vim à ſtellis, quâ terrena afficiunt; cum enim ſint ſoboles iſtius lucis, quæ eſt in ſtellis, naturam ſuę originis ejecti retinent ac referunt: utque lucis varietas multifaria & ſtellis ſingulis propria eſt; ſic vires ex luce ceu fonte cum lumine & radiis propagatæ, atque in aërem & inferiora impreſſæ & dilatatæ, variant.

Stellæ agunt in hunc orbem elementarem, per accidens motu, per ſe ac præcipuè lumine, quod directo radiorum projectu ejaculantur in terram, ubi reſultu replicatum colligitur, & conglomeratur & exſiſtit, partimque obhæreſcens terræ ad intima penetrat (omnis enim influentiarum ibi concurſus quaſi concentratur & convenit) partim in circumfuſum aërem dilatatur.

CXXXI. Lumen ſtellarum omne eſt connatum aut mutuatitium. Connatum naturâ ſingulis ineſt peculiare & proprium. Hoc rubent aliæ, aliæ pallent, livent, fulgidè nitent, hoc naturas & vires proprias diſtinguit, quas non acquirunt aliundè, aguntque pro luminis copia, amplitudine & diverſitate,

Sirius

Sirius torrefacit & urit: intonat & ferit grandine Arcturus: aquas fundunt Plejades, &c.

CXXXII. Alienum lumen à ſole vel ab aliarum fulgidarum ſtellarum radiis, partim reflexione partim refractione mutuantur: quod ſuo mixtum complicatumque refundunt emiſſo radiorum vibratu. Præcipuum radii ſtellarum præſtant, vel ſuo delati robore, vel excepti deductique à planetis. Præcipua autem vis eſt ſolis ac lunæ, quod nativæ lucis copia & fulgore atque efficacia acceſſu conjectuque radiorum reliquas ſtellas aut moderantur, aut exſtimulant, aut obtundunt. Luna ſolis luce imbuitur plurimùm, & ut terris proxima, quicquid à cæteris derivatur exceptum colligit atque acervatim dimittit. Evidentiſſimè verò etiam deprehenditur errantium & inerrantium vis, & præcipuè harum, cum ſtatis anni temporibus recurrunt & tunc ſeſe promunt quando naſcenti vel aſſiſtunt Soli, vel ex adverſo cedunt, aut cum defluente, ſe condunt prodeuntve illo abeunte. Radii à ſyderibus projecti, concurrentes ſi fuerint ſimiles, eundem effectum validiſſimè producunt: ſi contraria vi luctantur, effectus varii & malè cohærentes ſequuntur.

CXXXIII. Modus ſtellarum loca mutat & ſedes, ex quibus ſtellæ vel ſolis lumen diverſimodè recipiunt, vel ſeſe mutuò diſſimiliter ſuis petunt & ceu pulſant ac percellunt radiis, vel exſertos & diſperſos quoquo verſus radios, aut in aere conferunt inter ſeſe, aut in ſubjectas terras jaculatu contortos iiſdem illidunt aut imprimunt aliter atque aliter.

Et ut res in pauca redigatur. Influxus ſyderum eſt duplex: ſimplex vel miſtus. Simplex cum alia ſigna

O Zodiaci

Zodiaci ſunt ignea, aquea, &c. cæteræ ſtellæ ſuas peculiares habent vires, ſed cum Sole illuſtriores. In planetis virtus ſe manifeſtior exſerit, veluti frigefaciendi in Saturno, in Iove calorem vitalem ſuppeditandi, in Marte exſiccandi, in Venere calefaciendi & humectandi: Solis præcipua eſt virtus, quæ maxime efficax per calorem. Miſtus influxus fit per aſpectum, qui eſt certa planetarum in locis Zodiaci poſitio & habitudo inter ſe. Harum ſi conjunctio annumeretur ſunt quinque: conjunctio, ſextilis, quadratus, trigonus & oppoſitio. De his in ſpecie videantur authores.

CXXXIV. Reſtat ut inquiramus, an alia, præterquam manifeſta hac luminis vi, occulta quadam influentia particulariter & peculiariter agat cœlum in hæc inferiora. Ad hæc reſpondet D. Sennertus in phyſica; Cælum non ſolùm per motum & lumen, & huic reſpondentem calorem, ſed etiam per peculiares quaſdam vires, quas influentias vocant, inferiora afficere, quod multa à cælo proficiſcuntur, quæ lumini adſcribi non poſſunt. Siquidem lumen à corpore opaco vel denſo impediri queat: cum tamen in profundiſſimis terræ cavernis & ſub aquis, quo nec lumen, nec calor à cælo productus, penetrat, multa cælo concurrente generantur. Cumque magneti aliiſque rebus vulgaribus inſignes ſine lumine vires, in res diſſitas agendi, inſint, eaſdem cælo corpori tam magnifico non eſſe denegandas. Tandem ab occultis cæli influentiis multarum ſympathiarum & antipathiarum, quas ſublunaria hæc tum inter ſe, tùm cum cælo habent, cauſas petendas eſſe & συμπαθεῖν τὰ ἄνω τοῖς κάτω concludit: idem confirmat

Horati:

Horati: Augen. Epiſt. Med. lib. 8. Epiſt. 2. ubi ait influentias eſſe admittendas; & agere cælum in hæc inferiora non ſolum motu & lumine, ſed etiam quapiam magis particulari virtute; ſolis effectionibus à nobis cognitâ, de qua facult. Gal. lib. 3. de dieb. decret. c. 1. & c. 3. & Avicen. lib. 4. tit. 4. fen. 1. c. 1. lib. 1. fen. 3. & 1. cant. tract. 1. aph. 104.

CXXXV. Vſus & fines aſtrorum ſunt. 1. ut diſtinguant diem & noctem. 2. ut ſint in ſigna. 3. ut ſint in tempora, dies & annos, 4. ut ſint in luminaria, ſeu ut illuminent terram.

CXXXVI. Præcipuos propiùs nonnihil deſpiciemus. Primò, quomodo conficiatur annus: ſicut Sol motu diurno primi mobilis ab ortu in occaſum efficit diem naturalem, ſic motu proprio contrario ab occaſu in ortum definit annum. Eſt enim annus illud temporis ſpacium, quo ſol peragrans duodecim Zodiaci ſigna, ad idem punctum, unde fuerit egreſſus, revertitur: & hic dicitur annus Solaris, conſtans menſibus 12. ſeptimanis 52. diebus. 365. cum quadrante fere. Annus Lunaris ſolari undecim ferè diebus brevior, motu Lunæ duodecies revoluto ſeu duodecim lunationibus ſeu menſibus ſolaribus deſcriptus, conſtat diebus 354. & horis aliquot. Hic in anno definiendo uſus Solis & Lunæ apparet.

CXXXVII. Conſtituit proinde Deus Zodiacum, cujus ſigna Sol uno anno permeando, & ſingulis menſibus unum *animalis* ſignum percurrendo, ipſum annum conficit, & quatuor anni partes, longe inter ſe diſſimiles, variaque effecta rerumque generationes & occaſus, cæterorum aſtrorum virtute cooperante, edit.

CXXXVIII. Conſideremus autem quatuor anni partes juxta varios ſolis & lunæ curſus, & planetarum poſitus, & fixarum ſtellarum ortus & occaſus: unde non tantum de generatione frugum, ſed & aliarum rerum tam generatione quàm conſervatione conjicere licet, & agnoſcere, quod pulcherrima illa corpora cœleſtis exercitus à creatore ad hoc ſint condita, ut rerum corruptibilium generationem & ortum certo ordine procurent & moderentur. Solem itaque conſtituit, ut per Zodiacum gradiendo diverſas temporum conſtitutiones efficeret in noſtram utilitatem: ſementis jacitur in agrum autumno humido; fovetur in utero terræ, hyeme frigida, calore per ἀντιπερίστασιν in uterum penitus adacto: vere egreditur tempore temperatè humido & temperatè calido, ut ita adoleſcat capto è terra nutrimento copioſo: æſtate verò calida maturatur, ut autumno colligatur: Quæ tempora quatuor, niſi diverſis qualitatibus affecta forent, generatio naturaliter fieri nequeat. Sed hęc tempora non conſtituuntur ab inferioribus corporibus, neque hæ temporum affectiones: Ideoque dicit ſcriptura, condidit luminaria, ut ſint in tempora & annos. Corpora itaque cœleſtia hæc procurant tempora, & rerum generationes. In his Sol primarius quaſi eſt opifex, ſed cum ſit cauſa naturaliter agens, quæ ſemper uniformiter agat, neceſſum eſt, plures concurrere rationes & cauſas ad diverſos & particulares contrarios hos effectus edendum.

CXXXIX. Conſideranda ſunt itaque etiam ſigna Zodiaci, quæ vulgò his verſibus continentur.

Sunt Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo,

Libra-

Libraque, Scorpius, Arcitenens, Caper, Amphora, Piſces.

Hæc referuntur ab aſtrologis ad trigonos igneos, terreos, aeros, aqueos, & mitigantur horum efficaciæ juxta planetarum naturas. Igneus trigonus ipſis eſt, Aries, Leo & Sagittarius:hæccalida & ſicca ſunt agentia: ſed regitur vel mitigatur Aries à Marte, Leo à Sole, & Sagittarius à Iove. Terreus trigonus ipſis eſt, Taurus, Virgo, Capricornus, quæ frigida ſunt & ſicca & melancholica: Tauro Venus: Virgini Mercurius, Capricorno Saturnus præeſſe dicitur. Aereus trigonus illis eſt, Gemini, Libra, Aquarius, quæ calida feruntur & humida & ſanguinea: Geminis Mercurius, Libræ Venus, Aquario Saturnus præeſſe dicitur. Aqueus trigonus ipſis eſt, Cancer, Scorpius, Piſces, quæ in genere frigida & humida & phlegmatica feruntur, ſed à Luna Cancrum, à Marte Scorpionem, à Iove Piſces mitigari feruntur. Quomodo augeant vel languefaciant ſignorum proprias qualitates, longius alii tradant.

CXL. Quomodo vero hæc ſigna dicantur calida humida, &c. videlicet quod non in ſe ipſis ſunt talia, ſed propter effecta ſua, quæ in hiſce inferioribus edunt, propter cavillatores eſt monendum. Facit autem Sol curſu ſuo quatuor anni partes ex Dei ordinatione, hoc modo: Æſtatem conficit, dum per cœli ſumma fertur à Cancri ſigno initio facto: contra Hyemem; cum in Auſtrum depreſſus Capricornum intrat; quæ ſunt duo extrema & è diametro oppoſita. Bis verò in anno dies & noctes æquat: In Arietem ingreſſus, Vernum tempus auſpicatur: in Libram verò Autumnum. Quod lucu-

lenter verſibus Ciceronis apud Auſonium exprimitur.

FLumina verna cient obſcuro lumine Piſces,
Curriculumque Aries æquat noctiſque dieique.
Cornua quem condunt, florum prænuncia Tauri.
Aridaque æſtatis Gemini primordia pandunt,
Longaque jam minuit præclarus lumina Cancer.
Languificuſque Leo proflat ferus ore calores.
Poſt modicum quatiens Virgo fugat orta vaporem.
Autumni reſerat portas, æquatque diurna
Tempora nocturnis diſpenſo ſydere Libra.
Et fetos ramos denudat flamma Nepai.
Pigra Sagittipotens jaculatur frigora terris.
Bruma gelu glacians jubare ſpirat Capricorni.
Quam ſequitur nebulas rorans liquor altus Aquari
Tenta ſuper circaque vigent ubi flumina mundi.
At dextrâ lævâque ciet rota fulgida ſolis
Mobile curriculum, & Lunæ ſimulacra feruntur.
Squama ſub æterno conſpectu torta Draconis
Eminet, hunc inter fulgentem ſydera ſeptem
Magna quatit ſtellans, quam ſervans ſerus in alta
Conditur Oceani ripa cum luce Bootes.

Auſonii ſunt ſequentia.

Principium Iani ſenſit tropicus Capricornus.
Menſe Numæ in medio ſolidi ſtat ſydus Aquari.
Procedunt duplices in Martia tempora Piſces.
Reſpicis Apriles Aries phryxæe calendas.
Majus Agenorei miratur cornua Tauri:
Iunius æquatos cælo videt ire Laconas.
Solſtitio ardentis Cancri fert Iulius aſtrum.
Auguſtum menſem Leo fervidus igne perurit.
Sydere Virgo tuo Bacchum September opimat.

Æquat

Æquat & October ſementis tempore Libram.
Scorpion hybernum præceps jubet ire Novembrem.
Terminat Arcitenens medio ſua ſigna Decembri.

CXLI. Hic ſingularis ſapientia Dei eſt conſideranda, quomodo luminaria iſta fecerit in ſigna & annos & dies, quomodo ſolis curſum ſic direxerit, ut generationibus rerum ſit utilis, quod magis etiam intelligitur, cum conjunctiones & oppoſitiones Solis & Lunæ ſingulis menſibus conſiderantur, & cum ſtellarum fixarum ortus & occaſus ad menſium diſcrimina conferuntur.

CXLII. Siquidem poſt Aquarium frigidum & flatuoſum, & poſt Piſces, ſequitur Aries deſiccans terram & præparans arationi : ſubſequitur Taurus ſationi idoneus, in quo etiam acceſſus Solis ad Pleiadas & Hyadas imbres ciet : deinde Gemini calidi fovent: Cancer rurſus humectat: Leo urens & Canicula maturitatem efficiunt: Virgo æſtum mitigat: Libra rurſum humidior præparat terram novæ ſementi, ut terra fæcunda complectatur ſemen & ceu fætum foveat: Scorpius humectat ſata : Sagittarius temperat frigus & humiditates, ut genita ſemina edi poſſent : deinde claudit terram Capricornus, ut inchoati fætus in terra plus virium à matre accipiant tota deinde hyeme; donec laxata terra in Vere majore vi ſeges extrudatur.

CXLIII. Ajunt itaque Theologi interpretes, quod ſine lumine Solis & Lunæ & aſtrorum diſpoſitione frugum proventus & rerum generatio ceſſaret. Sol enim calefacit, Luna humectat, cætera juvant ſuo ordine. Omnis vero plantarum & animalium generatio & vita & conſervatio in ca-

lido & humido conſiſtit. Omnia illa ex elementis conſtare dictat ſcriptura, ideoque in calido, humido, frigido & ſicco contemperatis conſiſtere vitam & valetudinem. Hæc in animante ſex rerum non naturalium uſu ritè conſervatur: in quem uſum, hæc, præter cætera, temporum viciſſitudo ordinata. Quid enim faceremus aut quomodo vivere poſſemus, ſi continua æſtate æſtuaret cælum, aut ſemper frigore rigeret, aut jugiter humeſceret? Quas aſtrorum alii atque alii ortus excitent tempeſtates & quales hinc morbi propullulent, videatur apud Hippocrat. in Epidemiis & 3. aphor.

CXLIV. Manifeſta eſt experientia magnis conjunctionibus ſiccorum Planetarum in ſignis calidis magnos æſtus effici, & congreſſus in humidis ſignis magnas humiditates afferre: ut cum anno 1524. magna conjunctio fuiſſet in piſcibus, magnæ humiditates ſecutæ ſunt, anno 1540. cum eclipſis ſolis in Ariete fuiſſet & poſtea ſecuta eſſet conjunctio Saturni & Martis in Libra, & deinde conjunctio Solis & Iovis in Leone, fuit ingens & inuſitatus æſtus. Similia exempla univerſaliter ex omnium ſeculorum memoria repeti poſſunt, uti à D. Philippo notatum eſt.

CXLV. Quas mutationes ſentiant piſces & animalia, & plantæ, & elementa ex quibus ea conſtant, ab aſtris, ipſa rerum evidentia ob oculos ponit. Vaſti illius corporis elementaris, videlicet maris æſtum, fluxum refluxumque dependere ex Lunæ lumine & operatione, philoſophorum acutiſſimi haut vanè aſſerunt. Vnde & Scaliger ait, maris aquas augeſcere in pleniluniis, quo tempore maximas vires illius ſyderis

deris in maximo lumine contineri par ſit. Suſpendi enim aquas illo tempore tanquam ferrum à magnete, aſſerit: & in humida inferiorum dominari maximè Lunam, patet in oſtreis, cancris & in conchilium generibus; imò in ſtirpium & arborum animantiumq; medullis, cerebro & fœminarum menſtruationibus apparet. Luna creſcens humiditates affundit corporibus, quas repetit & reſorbet marcens; Hinc catarrhoſis & debile cerebrum habentibus tantoperè infenſos Lunæ radios eoſque cavendos eſſe monent medici in ſuis conſiliis. Exempla innumera huc referre, ſupervacuum fuerit; Quomodo ad Lunæ ſchemata & ſolis ſyderumq; poſitus ruſticani etiam ſuas arationes, ſationes, arborum amputationes, lignorum ſectiones cæteraque opera ruralia dirigant, & ni faciant, fruſtra ſint, docet ipſa experientia. Scaliger porro inquit exercit. 53. certis ſyderibus certas terrarum plagas à ſapientibus eſſe attributas. Quin imò ipſas herbas directione cœli pro vario ſyderum poſitu & virtute diverſas diverſis menſibus prodire, aliaſque aere rigente & adhuc ninguido evocari è terra, & cœli auſterioris eſſe tolerantiores, alias aliis demum menſibus, ut ſuas ſibi vendicet ver, æſtas & autumnus peculiares, quarum exitum & in lucem egreſſum cauſatur non innata illis ſcientia, quâ inſtructæ formæ ex orco veniunt, in ſcenam mundi, aſſumentes perſonam & corpus ex elementis ut generationem perficiant, non innatus formis impetus, quo ſpontè ſine ſuperiorum directione ferantur ad corporum procreationem, ut volunt alii diſciplinarum corruptores; ſed veluti rerum omnium generationes & mutationes, Deo ſic

ordinante, pendent à cælo & ſyderum motu, lumine & influentiis, ita & quarumcunque herbarum diverſis temporibus ortus: quarum, uti generationis origo cælitus dependet, ita ad juſtam maturitatem & floreſcentiam fovetur progreſſus. Et notabile eſt, alias atque alias herbas alere quaſi familiaritatem cum aliis atque aliis ſyderibus; ita ad ſolis ortum ſeſe erigunt & florem explicant aliæ: aliarum cum aliis ſyderibus major eſt ſympathia, quorum videlicet ortu harum fit productio. Vnde D. Sennertus in phyſicis inquit, fol. 170. ab occultis cæli influentiis multarum ſympathiarum & antipathiarum, quas ſublunaria tùm inter ſe, tùm cum cælo habent, cauſæ ſunt petendæ. Id verò eſt in omnibus è terra naſcentibus videre: aëre indiſpoſito & à malis aſpectibus aliquo modo turbato, indeque ortis tempeſtatibus, fecunditati non ſatis commodis, ut inhibetur generandorum proventus & generationum procuratur corruptio? Sed hæc luce meridiana clariora & cuivis ſenſato obvia ſunt. Hæc ita divinitùs eſſe ordinata, ipſa rerum natura clamat, & nemo mentis compos ignorat, ut meritò dicat Poëta,

Exemplum que Dei quiſque eſt in imagine parva,
Præſentemque refert qualibet herba Deum.
Et levis eſt ceſpes qui probat eſſe Deum.

CXLVI. Nimis itaque bardum & barbarum eſt rerum inſenſatarum & brutorum formis & rebus ſingularibus proclivitatem ad generationem & ſpecierum propagationem ac conſervationem primo ineſſe aſſerere, imò ipſis vindicare ſcientiam cum Paracelſo, qua in mundanam ſcænam prodeant ſeu perſo-

perſonam agant, & res ſuas ſic expediant : de quo deinceps porrò plura. Neque incertis aut vanè ducti rationibus ſed experientiis infallibilibus ſtatuunt, ſtellarum poſitu variari & gubernari temperamenta:& præterea vim aliquam eſſe ſtellarum in excitandis inclinationibus, quæ ad temperamenta non rectè referri poſſunt: ubi tamen regula locum habet: Aſtra inclinant, non neceſſitant.

Magnam vim eſſe luminis aſtrorum in miſcendis temperamentis , ipſa fert teſtimonium experientia quotidiana. Locus Lunæ in partu dicitur congruere cum loco in conceptu , unde regula eſt , quod non durabiles naturæ ſint , quæ eduntur in conjunctione ſolis & lunæ, videlicet cum Luna propinqua eſt Soli : ſiquidem qui editur in conjunctione ſolis & lunæ fætus,etiam conceptus ſit in eorundem conjunctione, cum videlicet menſes fluunt : quo tempore etiam lex divina congreſſum ad generationem prohibet. Id verò adeò notum eſt, ut etiam Ariſtoteles in lib. de generat. animal. dicat, imbecilliora eſſe corpora , nata in conjunctione ſolis & lunæ. Quin imò id & obſervatur à peritioribus obſtetricibus & matribus ſæpè puerperis, quæ ſic natis imbecillitatem & vitæ brevitatem præſagiunt. Etſi enim interdum aliarum beneficarum ſtellarum ope hoc malum leniatur, tamen ſemper aliquid incommodi afferre ajunt. Luna enim, quæ gubernat humores in corpore naſcentium,cum ſuum in ea non ſpargit lumen , ſanguis aduritur & incineratur & diſponitur corpus ad tabem : & ſi Saturnus & Mars ſua afflent venena,lepræ,mentagræ & ſimilium morborum jaciuntur ſemina, inquit Philipp.M.

CXLVII.

CXLVII. Neque enim ut benè vel malè generentur animalia & inferiora generationi & corruptioni obnoxia , cœlum & aſtra juvant, ſed ut ipſamet, quod antea dictum, fiat generatio. Ita ajunt tetragono prægravata à maleficiis lumina, oculos affligere; Lunam nebuloſis aſſidentem caliginem oculis offundere , ejuſdem tranſitum per ſydera membris imperantia, non impunè & abſque dolore ferre ſauciatos artus. Saturnus fertur in ſplenem & melancholicum humorem & veſicam dominari , & in ſextam vel duodecimam domum delatus , id illis cum ſua vi , tùm ſigno cui ſubeſt , ægritudines cauſari. Quibus item lumina cardinibus inſidentia Mars & Saturnus quadratis imperant radiis , ii brevioris vitæ eſſe indicantur , raroque annos nutritionis excedere, aut ſi adoleſcant , nunquam tamen ad ἀκμὴν pervenire. Martis cum Venere congreſſus gignere naturas ſalaces tàm certum eſſe ait Peucerus cæterique elegantiorum philoſophorum, quàm Venerem cientia pharmaca excitare libidinem. Illuſtris eſt locus apud Galen. lib. 3. dieb. decret. cap. 6. *porro illud denuo repetendum, veriſſimum eſſe comperimus, ab Ægyptiis aſtronomis inventum: Lunam non modo ægris, ſed etjam ſanis dies quales futuri ſint prænunciare. Si enim ad Planetas temperatos ſteterit, quos jam & ſalutares latini appellant, fauſtos ac bonos producere : ſi ad intemperatos, graves, moleſtoſque: at Fingamus homine quodam naſcente ſalutares Planetas in Ariete: malignos in Tauro eſſe : is homo nimirum cum Luna in Ariete , Cancro, Libra & Capricorno fuerit, pulcre deget: cum vero Taurum ipſum vel tetragonum aliquod, vel diametrum ſignum occupat, male tunc & moleſtè vitam tranſiget: Atque jam morborum*

rum

rum initia huic cùm Luna in Tauro, Leone, Scorpio & Aquario fuerit, peſſima: ſine periculo verò & ſalutaria ſunt cum Arietem, Cancrum, Libram & Capricornum Luna permeat. Adhac alterationes magnas quas in tetragonis & diametris per ſeptimanas fieri diximus, in lethalibus quidem morbis lethales & ipſas, ſalubribus bonas inveniri neceſſe eſt. Quamobrem Hipp. damnat maximè mutationes quæ in diebus decretoriis ad pejora declinant: quippe lethalis morbi ſymptoma ſit : quemadmodum (ut arbitror) benigni ſeu ad ſanitatem tendentis contrarium. Et idem lib. cit. c. 1. Atque hoc præterquam quod Aſtronomis in confeſſo eſt, integrum eſt, & ibi obſervari: ſin autem hujuſmodi deprecaris, nec his qui obſervarunt fidem adhibes, indubiè ſophiſtarum ubique nunc obſtrepentium aliquis es, qui ratione manifeſtò apparentia, nos probare poſtulant: cum è contrario ex evidenter apparentibus abditorum ratio indaganda eſſet: Hæc Galen.

CXLVIII. Ita planetarum cæterorumque ſignorum ſingula ſua ſibi in partes humoreſque corporis vendicare ajunt dominia.

Nil dicam de naturarum fælicibus & infælicibus inclinationibus ad artes & ſtudia vitæque opera, ut alii fiant oratores, Poëtæ, bellatores, quæ omnia ab aſtrorum poſitu & regimine dirigi, infallibilibus exemplis demonſtrant Philoſophi ; ut certum ſit temperamenta, valetudinem vireſque dirigi regique multùm ab aſtris.

Neque enim ut benè vel malè quis generetur ab aſtris unà dependet, ſed & ut omnino excitetur generatio rerum in his inferioribus ab his eſt. Certum eſt nullā in inferioribus hiſce fieri generationem, niſi inferiora ad actum deducantur à ſuperioribus, videlicet

delicet cœlo & ſyderibus. Agunt autem in hæc inferiora, motu, lumine & influentiis. Agentia illa ſunt planetæ & ſtellæ fixæ. In his primaria vis eſt à ſole ad generationem & conſervationem viventium & animalium, & in ejuſdem potiſſimùm calore. Quam verò calor ſolis præcipuè ſyderumque neceſſarius ſit, ut animata generentur & conſerventur, teſtatur experientia communis. Ejus verò auſpiciis producuntur inprimis omnia viventia & animalia vel mediatè veluti per ſemina, vel immediatè ſine ſemine, quatenus hinc inde concitata elementa, ad mixtionem herbas, ſtirpes, animalia & metalla, ubi nulla talia ante fuerunt, producant: vel quatenus ex rebus putreſcentibus vermes, veſpæ, ranæ, mures, bufones, ſerpentes aliaque vi ſolis & ſyderum generantur.

CXLIX. Quomodo verò generationem viventium & animalium promoveat calor cœleſtis docet non unis in locis Zabarella: animalia alia vi ejus ex materiâ putri generantur; alia ex ſemine, quatenus calor virtuſque cæleſtis cum virtute vitali ſeminis, quæ ei ineſt ab anima, concurrit: licet unus ſit ſpecie calor, tamen ratione cauſæ ſuperioris, cujus vi dirigitur ſupraque ſuam ſpeciem vires excercet, neceſſario concurrit, unituſque cum calore ſeminis innato immediatè ſimul generationem perficit: ita ſol & homo hominem generant. Tolle virtutem ſolis & cæli, nulla erit generatio animalis: neque enim inferiora ad generationem viventium vi caloris cæleſtis tantum excitantur, & in actum deducuntur, ſed neceſſariò in toto opere ab eo tanquam cauſa potentiori juvantur, foventur, gubernantur, ut eo nonnihil

hil languente tardius languidiuſque agente languidius rerum procedat ortus conformatio, & ceſſante penitùs deſineret omnis actio & maturatio.

Bruta certis temporibus pruriunt in venerem ex cauſæ hujus ſuperioris directione: arbores, herbæ, ſtirpes, etiamſi proximam generationis cauſam, videlicet animam vegetativam poſſideant, tamen niſi cæleſti vi, lumine & calore & influentiis excitentur, non generarent, quod videre eſt, proſtrato vel impedito ſæpè ſolis ſyderumque calore, tepore & virtute ſeriùs res omnes ad generandum accingi, & ſine illorum virtute ad maturitatem non pervenire. Iungitur itaque calor cæleſtis cum rei innato, cum quo pariter, uti & elementari eſt unius generis teſte Zabarella, eumque videlicet innatum, excitat, juvat. In hoc enim animalis calor cæleſti reſpondet, quod ille ab anima, hic à cœlo directus, vim conſequatur generandi; qua elementarem deſtitui ferunt.

Vnde liquet, quod cœlum, etiamſi ſit cauſa generationis omnium rerum in his inferioribus communis, nihilominus etiam ut cauſa particularis, ſæpè proxima & immediatè ſolitaria ſit cauſa generationis, ut in productione murium, metallorum & ſtirpium quarundam, ubi dicitur proximè & æquivocè cauſari. Deinde quod particulariter agat ratione diverſorum aſtrorum, vires aut ſimiles aut diſſimiles conjungentium, unde ad rerum diverſæ naturæ generationem diverſi aſtrorum poſitus vireſque requiruntur. Non enim una cœli facie aſtrorumque poſitu & conjunctione omnia generantur: ſed veluti ad particularem generationē rerum requiritur certa diſpoſitio inferiorum, ita multa ſunt in in-

in inferioribus, quæ ſine certa ſyderum poſitione cælique facie, etiamſi materia ſit diſpoſita, non generantur. Quem ordinem natura in rerum generandarum diverſis menſibus productione ſervat; ſed & omnis penè à cælo eſt diſpoſitio: primò enim immediatè elementa convocat ad miſtionem. Quid enim eſt quod tantum aquæ tanto terræ miſceat? Et ipſe Sennert. in phyſic. lib.3.c.2. docet, cælum eſſe cauſam miſtionis generalem, proximam qualitates; & ut ad rerum generationem concurrit univerſali vi, quatenus materiam rerum convocat & diſponit ad generationem, ita in particulari cujuslibet viventis generatione vel ſolum vel cum calore animæ eandem perficit.

CL. Miſcetur autem res vi cæleſti, ut generentur animata vel inanimata. Sic natura procedit ab eſſe ad vivere & ſentire, uti loquuntur, inanimata generantur & non generant. Generatio enim ſimilium ſpecie eſt viventium & animatorum; ideoque inanimatorum ortus & formarum productio vi cæli duntaxat perficitur: neque enim lapis lapidem generat, ut ajunt abſurditatum magiſtri.

Animata quædam gignunt & gignuntur, ut homo: quædam gignuntur, ſed non gignunt, ut muli: quædam non gignuntur, ſed gignunt, ut mures: quædam nec gignunt, nec gignuntur, teſte Scaligero, ut capillus Veneris. Omnium horum generatio pendet à virtute cæleſti vel immediatè, ut murium, ex re putrida aut aliorum animalium & herbarum ſtirpiumque ſponte hinc inde provenientium ubi defectum cauſæ proximæ ſupplet cælum; vel mediatè ut animantium per ſemina; & plantarum cùm per ſemina,

mina, tum ramos, radices, bulbos & ſimilia propagatarum, quorum tamen nulla ſine cœleſtis virtutis concurſu cuivis particulari & ſpeciali foret procreatio.

C L I. Cœleſtes verò cauſæ agunt in inferiora, ut communes totius orbis, vel ut particulares, reſpectum habentes ad quaſdam partes. Quæ ad partes viciſſim concernunt omnia ibidem degentia animalia & viventia & miſta, vel particulariter horum aliqua.

C L I I. Vnde, Peucerus inquit, gentes regioneſque certis ſubjici & conſentire ſyderibus, ſi quis dubitat, mores earum naturaſque comparet ad ſtellarum naturas, quarum tribuuntur dominio, non caſu aut fortuito judicio; & conſtitutiones cæli conſideret, vel ſalutares & commodas, vel noxias & adverſas, quales ſunt infectiones peſtilentiales, quas excitant familiari poſitu conſenſuque cum certis regionibus: Saturnus certa ſydera pervagatus, certis locis affert peſtilentiam, ut idem obſervavit Witebergę accidere.

C L I I I. Cæleſtes verò cauſæ porrò ſunt aut communes omnibus eodem cœlo natis, omneſque ſimul complectuntur & afficiunt, aut ſingulorum moderantur conſtitutiones : qua de re vide lâtius Peucerum in præclariſſimo de divinationum generibus lib. cap. de aſtrologia. Ex omnibus his, quæ de cœlo ejuſque efficacia & viribus in hæc inferiora prolata ſunt, conſtat, cœlum non tantum agere vi qualicunque generali, quâ æqualiter rem quamlibet inferius, ut generetur, conſervetur vel corrumpetur reſpicit; ſed & ſpecialiter operari in omnium

ſingulari productione; idque mediatè vel immediatè.

CLIV. Certum eſt ab uno eſſe omnia & ad unum omnia; quod primum eſſe neceſſum fuerit. In eſſentialiter enim ſubordinatis non datur proceſſus in infinitum. In hoc ordine cauſarum talis eſt à prima dependentia, ut poſteriores ſine prioribus nec eſſe nec agere poſſint: per mediatas enim & immediatas ordine devenitur ad primam. Pomum non generatur immediatè è terra, ſed prius arborem gigni oportet: nec gignitur arbor neque fæcundatur, niſi terræ fertilitas aleretur motu cæleſti, Perpetuitatem motus cæleſtis tam mirificè ordinati varios ſtellarum & ſyderum radios & lumina miſcentis, ab altiore conſervari & dependere principio omnino neceſſum eſt. In infinitum enim non datur proceſſus. Non itaque perficitur inferiorum generatio & mutatio & conſervatio ſine vi ſuperiorum corporum, ita ut in his ipſis ſit poteſtas inſita ſeſe propagandi & ſpeciem per generationem individuorum, ſine peculiari potentiâ & directione ſuperiorum conſervandi, & ſuâ ſcientiâ & virtute agendi. Vnde Scaliger. exerc. 6. no. 5. inquit. pendere noſtratia hæc à ſuperioribus propter æquivocam connexionem, non propter univocam affectionum communionem. Sunt enim ſuperiora quaſi formæ conſervatrices inferiorum. Quia hæc cauſa ipſa cauſarum tuetur ea quæ fecit, per ea, quæ fecit. Idcircò movemur, quia moventur illa: hinc inde vulgo jactatum, non moveretur rota figuli, ſi non moveretur cælum, &c. Et idem excerc. 251. Neque enim ultimæ formæ proximæque corporibus agunt,

niſi

niſi fotæ adjutæque à formis ſuperioribus: illæ verò porrò ab aliis ad primam uſque: omnes enim ad unam primam referri neceſſum eſt, ut eſt in duodecimo divinæ philoſophiæ. Inde eſt quod idem Scaliger excerc.6.no.2. inquit: Tria ſunt quæ ſunt omnia: unum à ſe ipſo & ſimpliciter, qui eſt Deus. Reliqua duo aliquo modo; & hoc non à ſe ipſis. Materia namque prima eſt omnia poteſtate receptionis: Cæli ſunt omnia poteſtate efficiendi.

CLVI. Atque hoc pacto à cælo & aſtris rerum omnium inferiorum generationem irruptâ cauſarum ſerie per cauſas mediatas ſubalternas ad mediatas & proximas dependere certum eſt. Neque proxima cauſa alia quam particularis eſſe, neque ab alia quàm à cæleſti dependere poteſt. Ex quo ſequitur cælum non tantum agere, ut generalem & mediatam remotamque in hæc inferiora, ſed & ut immediatam & proximam cauſam, ut ex antecedentibus demonſtratum eſt, & ſequentia docent. Hinc eſt quod Scaliger ait, excerc. 6. no.1.& 2. Generationem rerum omnium fieri per cæleſtium corporum coitionem, pro quorum viribus, concurſione, miſtione, alteratione quidlibet tùm fiat tùm ſit, tum fieri tùm eſſe deſinat. Vnde D. Sennert. in Phyſic. lib. 2. cap. 2. fol. mihi 166. à cæleſtibus corporibus non ſolùm temporum, aut generationum & corruptionum viciſſitudines, idque per motum & lumen atque inde dependentem calorem effici, ſed eadem etiam per peculiares quaſdam vires, quas influentias vocant, hæc inferiora affici ſtatuit: quod in profundiſſimis terræ cavernis, quo nec lumen, nec calor cælo productus, penetret, multa cælo concur-

rente generantur , quin imo ab influentiis ſympathiarum & antipathiarum cauſæ , quæ ſublunaria cùm inter ſe tùm cum ſuperioribus habent, oriuntur, atque hæ ſunt cauſæ, maximè particulares.

CLVII. Cœlum verò ad generationem in his inferioribus venit, ut cauſa æquivoca, ſolitarie & immediate; vel concurrit cum univoca : vel ut univerſalis ſolummodò convenit.

Zabarella ait: Cœlum ad generationem miſti concurrere, ut agens univerſale, nō tamen ut proximum & immediatum, quod proximum & immediatum ſit vis elementaris. Ignem vero nullum animal generare , neque animam educere de potentia materiæ per calorem, quod ſit ſupra ſuas vires. Cælum verò & virtutem vitalem cælo proportione reſpondentem poſſe per calorem generare animal. Solitariè, proximè & immediatè venit ad generationem eorum, quæ non univocè aut ſuis ſpecie ſimilibus generantur. Vnde Scaliger excerc.6.non.2.inquit: formas univocas contineri in materiæ poteſtate, eas verò, quæ materiis æquivocis imponuntur, non eſſe in materiæ, ſed in agentis poteſtate. Formam muris, quæ navalibus quiſquiliis putrefactis inditur, nec in harum ſordium, nec in fimi poteſtate eſſe (ergo nulla in iis eſt ratio ſeminalis formam continens à D. Sennerto conficta) niſi intelligas poteſtatem recipiendi: ſic (inquit porrò) forma fabricans in fimeto nobilior eſt quàm forma informans. Eſt enim principium movens & dans hanc illa. Gignitur autem mus in quiſquiliis & in luto rana, ſicut intra ſaxa metallum. Vnde paulò antè animalcula ſic nata per jocum Solis & Veneris filios nominat. Fiunt verò ani-

animalia vi cœli immediatè & ſolitariè agente , ex putredine tantum juxta Zabarellam , vel ex re putreſcente, & ſimul etiam imputrida juxta Scaligerum. Quomodo ex putredine vi cœli generentur animalia, id tradit exercit. 15.ubi docet à Sole & ſyderibus generari animalia & putridi caloris auctorem eſſe vitalem , dum vi ſolis putrefiant corpora. Eſſe vero unum naturalem & putridum calorem, qui & à cœlo & Sole impreſſus ſit quod calore ſolis putrefiat cadaver, & eodem gignitur animal:qui calor licet ſit extraneus cadaveri, tamen non ſit extraneus animantibus, neque eorum formis, quæ ex eo gignuntur (dum ſic ibi determinatur fit particularis) & eſſe putridum calorem ſuum cuique certe generationi certoque corpori aut ſpeciei deſignatæ naturalem; nihil eſſe in naturâ præter naturam, ſiquidem quod huic non naturale illi ſit naturale.

CLVIII. Quâ ratione verò immediatè & ſolitariè vi cæleſti ex materia imputrida fiant animalcula,id idem Scaliger docet in ſequentibus cum tradit, quomodo ex rore in foliis arborum vi cæleſti fiant vermiculi, & ex plüviis aquis fiat copioſa & uberrima ranarum ſæpè generatio & proventus, quomodo & eædem ex luto fiant,aliaque innumera pari ratione miris modis procreentur animalcula : Quod teſtatum facit his, quæ extant excerc. 25.verbis:Solis ſyderumque calore per hæc diffuſo, atque in hæc infuſo gigni omnia quæcunque non fiunt ex ſeminibus, idque ex Ariſtotelis non uno loco nectareis, ut ait, verbis ſcatente, comprobat. Vide textum citatum.

CLIX. Supereſt ut tradamus quo pacto calor

Solis & vis cœli ſyderumque concurrat (immediatè tamen & proximè) cum calore univocè generantis. Quæ univocè generantur ea ex ſemine, vel ſeminalem habente rationem generantur. Sed hic uti concurrat calor cœleſtis idem Scaliger loco citato inculcat, dum inquit: Solis ſyderumque calore per hæc infuſo gigni omnia, quæ ſine ſeminibus fiunt, & ipſa quoque ſemina ab eodem perfici calore ut ad actum deducantur, unde ſit, quod Philoſophus dicat, Sol & homo generant hominem. Modum verò quo concurrat calor & vis cœleſtis in ſemine ad generationem, explicat Zabarella, cum inquit, ſemen agere & virtute propria & virtute cœleſti tanquam cœleſtis agentis inſtrumento. Quæ ſit facultas à corporibus cœleſtibus indita & calor à cœlo impreſſus, qui velut inſtrumentum illius ſit productivus animalis. Virtutem ſeminis, quæ tantum elementaris ſit, ad animalis generationem nullius eſſe momenti ſine altera, quam ſemen à cœlo accipit, quâ ratione partes animæ ſcilicet corruptibilis, ut vitemus ſycophantarum calumnias, ita producantur à cœleſti illo principio, ut de poteſtate materiæ ab eo educantur: unde à Philoſopho dictum, quod ſol & homo generant hominem.

CLX, Quibus expenſis, deductis & conſideratis liquet veriſſimum eſſe, ſine cœlo generationem & vitam rerum omnino deſinere & expirare, nec eſſe poſſe, & ejus vim concurrere non minus particulariter quàm univerſaliter, nihilque tam grande vel tam exiguum in his, quod ejus opera ſpeciali, ut fiat & ſit & naturam ſuam tueatur, non indigeat, ut deteſtandum ſit, novatores eo veſaniæ eoque

rabiei

rabiei in veterem veramque philoſophiam deveniſſe, ut ea, quorum veritas ſacris ſit literis munita, fundata, ab unanimi venerandæ antiquitatis conſenſu ſemper defenſa, imò ruſticanis & plebeis cœli faciem obſervantibus & ſequentibus notiſſima, petulanter & plus quam pueriliter impugnare &, ut ſuum, novum & inauſpicatò formatum & natum commentum à magorum & ſagarum magiſterio & diaboli apoſtato Paracelſo prolatum defendant, evertere annitantur.

CLXI. Argumenta quibus id moliuntur, omnia frivola & frigida & partim jam ſatis diſcuſſa & ſoluta & indigna ſunt ut repetantur, vel diſcuſſionis malleo ſubjiciantur. Ea verò exſtant in tract. de form. orig. fol. 18. & ſeqq.

CLXII. Ad primum reſponſum eſt: non enim ideò quod cauſa eſt generalis, id ſpecialis cauſa etiam eſſe nequeat. Anima eſt generalis cauſa omnium actionum in corpore, & ſpecialis in qualibet parte. Cœlum eſt generalis omnium generationum & ſpecialis etiam cujuſcunque cauſa, anima videt per oculum ſpecialiter, & eſt ſpecialis cauſa viſionis in oculo, licet generalis ſit omnium in toto corpore.

CLXIII. Secundi propoſitio, videlicet, quicquid juſſu divino poteſtatē ſeſe multiplicādi accepit, illius genitum formam ſuam externè non accepit &c. nos non ferit. Quia nos formam rerum extrinſecus advenire non dicimus, ſed ex intrinſeca materię potentia educi ſtatuimus, vi cæli mediatè vel immediatè.

CLXIV. Tertii major, quicquid fœcunditatem ſuam ante ſtellarum creationem habuit, illud à ſtellis formam ſuam non recipit; ſi ſenſu Sennertiano

veniat, falſa eſt. Fæcunditas terræ talis à Deo data eſt, quod in ejus poteſtate ſit, largiri & expromere velut ex inexhauſto penu materiam ad generationem arborum, herbarum & ſtirpium, animalium, ſimulque potentiam ad harum formas. Verum enim verò ut hæc fæcunditas in actum deducatur, cælum præfecit, uti omnium, ita & horum generationi, ſine cujus vi & operatione nulla detur vel exilis graminis productio. Cælum enim eſt, quod fæcundat terram & provocat Sata læta boumque labores.

Terra non eſt cauſa efficiens & ſimul materia frugum, uti volunt novatores. Vi cæli ut cauſæ efficientis, in actum fæcunditatis excitata (ut abundè docent ſacræ literæ) & compulſa & genitali potentia prolecta tellus producit fruges. Neque quicquam ad rem facit vel ordo creationis, quo præceſſere ſtirpes ſolem & cælum, quia & lux ante illa eſt creata, & nihilominus ſydera illuminant terram: neque fæcunditas terræ à creatore ipſi indulta tollit neceſſariam cæli operationem, Etſi enim animalia & homo ipſa divina benedictione hanc acceperint, tamen verum eſt, quod ſol & homo generant hominem, hoc eſt quòd ad omnium animalium generationem cæleſtis poteſtatis concurſus ſit ſimpliciter neceſſarius. Ita terra ex primæva benedictione non habet hoc, ut cæli & aſtrorum viribus, & pluviis & rore non indigeat. Cum enim Deus terræ ſterilitatem & populis famem inferre ſtatuit, minatur cælum æreum & Deuter. cap. 28. & Amos cap. 4. v. 7. ait: prohibui à vobis imbrem, cum adhuc tres menſes ſupereſſent ad meſſem: Et illuſtre eſt exemplum Eliæ lib. Reg. 3. cap. 17. precibus ſuis claudentis cælum, ut oriretur ſteri-

ſterilitas & fames,& iiſdem pluvias & fæcunditatem impetrantis. Hinc Deutr.28.v. 12. dicitur, aperiet Dominus cælum ut tribuat pulviam terræ tuæ in tempore oportuno. His & ſimilibus abundat ſcriptura teſtimoniis.

CLXV. Vltimum argumentum, cujus propoſitio eſt, quicquid tollit univocam generationem, illud ſtare nequit; puerile eſt. Cælum enim vel ſolitaria & proxima generationis cauſa eſt ut ranæ è luto & ſcarabæi è ſterquilinio, & ſic æquivocè generat, vel concurrit cum univoco generante, ejuſque actum promovet quo pacto ſol & homo hominem generat, & ſic ſimilium ab eo & univoca procuratur & conſervatur generatio. Sanè in his & ſimilibus ineptiis refellendis tempus diutius terere pluſquam tædioſum eſt. Talia adverſus Ariſtotelem, Galenum veterumque placita & veritatem afferre, eſt adverſus ſolem & aſtra, quæ impugnant novatores, mejere.

SOLI DEO GLORIA.

De paradoxis & erroribus novæ Sectæ Sennerto-Paracelſicæ

DISPVTATIO TERTIA

Continens ſolidam refutationem potiſſimorum fundamentorum à D. Sennerto, Acad. VVittenberg. Profeſſore per quendam ſubornatum M. Sperlingen, qui ſe ibidem Phyſicæ profeſſorem nominat, D. Freitagio ejuſque diſputationi quæ in hoc opere prima eſt oppoſitorum, quibus tota illius novæ philoſophiæ ſeu potius phantaſiæ chimera ſuperſtructa eſt:

In qua

De maximè arduis quæſtionibus, videlicet an & quæ forma poſſint dividi; & per diviſionem, unde rerum jugis & univoca dependeat generatio, propagari: num detur actus formarum entitativus: & an anima ſit in ſemine; Et num formæ generentur vel fiant ex nihilo: & de vita animantium quid ſit, diſquiritur:

Cujus poſitiones

IOHANNE FREITAGIO Med. Doct. & in celeberrima Illuſtrium Groningæ & Omblandiæ Ordinum Academiâ ejuſdem facultatis Profeſſore P.

Defendit

HEINRICVS MAGNVS HEIGEL, Noribergenſis.

THESIS I.

CLariſſimus D. Sennertus in tract. de Gal. cum Chym. conſ. & diſſ. cap. 9. & cap. 12. hanc opinionem producit & defendere conatur. Illius vero primus non eſt inventor, ſed eandem

dem à Scaligero, qui primordia quædam ex Themiſtio hauſit, mutuatus eſt; neque in Scaligeri placitis acquieſcit, ſed de ſuo tantum amplificat & addit, ut ex falſa enormem abſurdamque plane reddat. Tria vero hic attendenda præcipuè ſunt capita 1. quod dicat, Omnẽ formam eſſe ſui multiplicativam; 2. multiplicari per diviſionem ſui, 3. dividi ad diviſionem ſubjecti ſeu materiæ cujus eſt forma. Formam omnẽ ſui multiplicativam eſſe, ut non ſit opus ad eductionem earundem è potentia materiæ confugere, ex regula & ſententia Alberti, à Zabarella allegata & cõprobata aſſerere & convincere annititur D. Sennert. in tract. de Galen. cum Chym. conſ. & diſſ. c. 9. f. 196. Ab hoc fundamento, ab hac baſi tã inepta & lubrica totius diſputationis caput ordiri, quin imo in illâ ſtruere & fundare ſententiæ & aſſertionis ſuæ ſummam & ſalutem non veretur. Vbi primò notandum Sennerto Scholaſticorum regulam ineptè & ſiniſtrè & contra mentẽ Alberti alleganti ſemper tempeſtivum eſſe uſurpare tunc eam, quando hac ipſa errores ſuos ſtatuminari ac fulciri quodãmodo poſſe cõfidit. Verũ contra ſe allegatas etiã veriſſimas regulas, quæ à ſcholaſticis profectæ & ex Ariſtot. penu deductæ ſunt per ſubornatũ ſuum in tract. de form. orig. contemnere, ac ſi eorũ in philoſophia non ſit amplectẽda veritas, qui in negotio fidei & religionis diſſentiãt.

II. Sed aggrediamur rem ipſam & videamus quo candore D. Sennert. hanc Alberti & ejus interpretis Zarabellæ regulam pro ſuæ ſententiæ fulcimento & fundamento ut perfunctoriè legenti imponeret, & ſtudioſos adoleſcentes rem penitius necdum intelligentes, nec ſatis expendere potentes, in er-

in errorem pelliceret allegare & producere haud eſt veritus.

III. Quæſtio apud Zabarellam lib. de ſenſu agente cap. 5. inter cætera erat; An ſenſiles qualitates ad producendum ſpeciem ſpiritalem in organo ſenſus egeant aliquo externo agente, hoc eſt; an agens externum indigeat aliquo alio adminiculo, quo imprimat ſenſorio ſpeciem ſuam ſpiritalem; Ad hanc reſpondet & concludit ex Alberto, qualitates aliaque objecta ſenſilia per nullum aliud externum agens ſed ſuapte natura ſpeciem producere, quia ſint multiplicativæ ſui & activæ ſpiritaliter. Quia vero omnis forma Alberto dicatur eſſe multiplicativa ſui, vel realiter vel ſpiritaliter, Zabarella explicat quænam ſint illæ formæ quæ ſe realiter quæve ſpiritaliter multiplicent.

Multiplicatio ſpiritalis illis fit cum ſola producitur forma, realis multiplicatio cum forma producitur in materia. Producere formam in materia, ait, eſſe materialiter agere & producere alteram ſimilem formam materialem in materia, in qua recipiatur & dependeat in eſſe & in conſervari, quæ tantum ab agente pendeat in fieri. Multiplicationem verò ſpiritalem eſſe productionem ſpeciei ſeu formæ ſpiritalis in ſubjecta materia, à qua non dependeat in eſſe & in conſervari, ſed ab agente à quo producitur. Omnes vero qualitates primas tum realiter tum ſpiritaliter ſuam poſſe propagare ſpeciem, cæteras ſenſiles qualitates tantùm ſpiritaliter ſuam ſpeciem, ceu imaginem in ſenſoriis pręſentare docet; nullam vero ſpeciem ſeu activarum qualitatum ſeu reliquarum ſenſilium imprimi ſenſui, quam ſpiritalem.

IV. Ex

IV. Ex quibus omnibus liquet Zabarellam & Albertum agere non de propagatione formarum ſubſtantialium, ſed quomodò omnes formæ accidentales ſenſileſque ſuam ſpeciem, quæ, uti offertur organo ſenſus, ſpiritalis, ita nunquam eſt ſubſtantialis, ſed ſemper manet accidentalis, propagent. De accidentalium itaque formarum propagatione regulam Alberti duntaxat eſſe intelligendam ulterius docet ipſe Zabarella, cum quærit loco citato, An omnes penitus formę tam ſubſtantiales quam accidentales ejuſmodi ſint, ut ſpititaliter agant & ſe ipſas multiplicent, quod Albertus aſſerere videatur: ubi Zarabella reſpondet, id nequaquam competere poſſe formis ſubſtantialibus, quod id quod ſpeciem in ſenſu producere debeat, oporteat eſſe per ſe ſenſile: formam vero ſubſtantialem non per ſe, ſeu ſpeciem propriam ſentiri, ſed per alienam: quin imo nullum eſſe ſenſum à natura datum, qui has ſpecies recipere natus ſit, ſpecies vero intelligibilis quomodo producatur in intellectu vide Zabarellam latius loco cit. cap. 5. lib. de ſenſu agente. Vnde rurſus apparet Zabarellam agere de propagatione formarum accidentalium, quatenus ſpeciem ſuam ſpiritalem propagent, ſeu ſenſibus imprimant. Et cum mentio ſit propagationis ſpeciei formæ ſubſtantialis (quam tamen fieri non poſſe docet Zabarella) ibi non intelligendam eſſe propagationem formæ ſubſtantialis, ut eſt ſubſtantia, ſed ſpeciei ſpiritalis, quæ ſpecies eſt & accidens. Deinde ſi contra Zabarellæ & Alberti ſententiam quiſpiam concedere vellet hanc regulam, quod omnis forma ſit ſui multiplicativa, intelligendam tam de ſubſtantiali quam accidentali forma, nihilominus

minus cauſa caderet D. Sennertus, quia Zabarellæ & Alberto realis productio formæ in materia tantum dependet in fieri ab agente, vel efficiente, à materia verò in qua producitur pendet in eſſe & ſervari & ſic è potentia materiæ orta eſt. Quocirca eſſentia formæ generati non fit ex multiplicatione formæ per diviſionem formæ efficientis mediante materia; quæ certè opinio nec in Alberto uſquam nec apud Zabarellam invenitur; nec illorum ulli ne vel per ſomnium in mentem venit, tantum abeſt quod eorum ſcriptis prodita & poſita ſit.

V. Sed pervenimus nunc ad ſecundum rei caput, ut videamus, An multiplicatio formarum fiat per ſui diviſionem. Audiamus ipſiuſmet D. Sennert. verba, quæ in tract. de Galen. cum Chym. conſ. & diſſ. cap. 9. fol. 203. extant. Nimirum formæ animatorum etſi per ſe non ſunt quantæ & diviſibiles, tamen quantæ dicuntur, imò *etiam dividuntur ad diviſionem materiæ, unde aliquid animæ cum corporis parte avulſum, ſimile & ſibi neceſſarium corpus fabricare, atque ita novum animatum emergere ſolet. Verum non cum qualibet corporis parte animæ aliquid avulſum ad hoc aptum eſt, ſed talis ſit materia, in qua anima avulſa commode deliteſcere & ad ſuum opus ſe accingere poſſit:* unde paulò poſt: *Hinc varius eſt propagationis animatorum modus. In plantis quidem ſi ſalicis ramus editus à matre, ab eadem avellatur, dividitur anima ad diviſionem materiæ & manet in ramo: unde ex eo ramo in terram condito arbor ejuſdem ſpeciei conſtituitur, idem fit in aliis per radices, in aliis per ſemen; in aliis*

in aliis per alios modos ſit propagatio. De animalium generatione ſubdit, *quod illa per ſemen aut ſemini quid analogum generent*, & ibidem cum Epicuro definit ſemen ψυχῆς καὶ σώματος ἀπόσπασμα, *quod eſt, avulſum quid ab anima & corpore, quo* (ut inquit) *à corpore reliquo deciſo, & ad ſubjecti diviſionem ipſa anima dividitur, & aliquid ejus ab animali cum ſemine deciditur, quæ cum ejuſdem ſpeciei ſit cum anima à qua deciditur; jam vero ob ſubjectum numero differat: ex ſemine ob hanc animam jam novum animal exoritur, dum anima in ſemine latens ſeſe exerit & ſuas virtutes explicat, & operando ſeſe manifeſtat calido & ſpiritibus utens* (vide latius intermedia verba) *integrum aptumque domicilium fabricatur.* De inanimatorum generatione pariter ſtatuit, videlicet, *quod horum formæ ſint ſui multiplicativæ, & multiplicentur propagenturque per ſui diviſionem, idque mediante ſemine vel principio quodam quod in ſe ſeminalem rationem contineat.*

VI. His primò docet multiplicationem & propagationem formæ animatorum fieri per diviſionem. Secundò formam dividi cum materia ſeu parte corporis in quâ erat anima, & cum hac transferri partem formæ vel animæ diviſæ, ut ex ea novum & ſibi ſimile oriatur. Tertiò materia hæc, qua mediante forma per diviſionem avellitur à generante in plantis poteſt eſſe ramus, radix vel ſemen. In animalibus eſt ſemen, quod juxta materiæ & animæ, quam continet, partem ἀπόσπασμα à corpore & anima

anima generantis nuncupat; In inanimatis eſt ſeminale aliquod principium & ſpiritus architectonicus. Etſi vero varios propagationis formarum modos producat, eorumque plures lib.cit.cap.12. fol. 345. recenſeat, tamen omnia ſtatuit generari ex ſemine vel id quod ſeminalem rationem aut principium ſeminale contineat, adeo ut ea quæ ex putredine naſcantur, generari dicat, quod ſeminale rei putreſcenti inſit principium. Quin imo metalla & lapides etſi non vivant, tamen per multiplicationem ſuarum formarum è ſeminali principio generari, aſſeverare non veretur, adeo ut lapis lapidem generet, unde demum omnem generationem eſſe univocam, nullam penè vereque æquivocam concludere, nihil ex putredine generari, ipſumque cælum virtute generandi animalia privare non dubitat. lib. cit. cap.12.fol. 344. & ſequentib. totoque penè noni & duodecimi capitis diſcurſu.

VII. Novas has novæ ſectæ opiniones ut plus abſurdi quam veri habere demonſtremus ad vivum eas reſecabimus, exorſi ab iſto ejus principio & fundamento, quo formas dividi & per diviſionem cum ſubjecta materia propagari & corpus novum fabricari comminiſcitur. Videndum itaque primò an diviſionem admittant formæ, & quæ illam admittant, & ſi diviſæ ſint à generante, novum corpus ſimile genitoris, novumque individuum aut ſpeciem, ex materia, qua mediante ſeparatæ ſunt, comparare poſſint.

VIII. Decuiſſet ſane D. Sennertum adhibuiſſe diſtinctionem & dixiſſe, quorum animatorum aut quarum rerum formas diviſibiles ſtatuiſſet, an Animam

mam humanam, quam Scaliger, cujus hic in pleriſque eſt æmulator, ab hac ſorte exemptam vult, etiam diviſione propagari velit. Non enim arbitror eò dementiæ eum perveniſſe, ut hanc vel per ſe primo, vel mediante ſubjecto & materia diviſibilem ſtatuere, atque hac ratione per traducem, quem defendit, propagari velit. Verum nulla forma ſubſtantialis primo & per ſe eſt diviſibilis, ut ipſe inquit, per accidens vero quædam cum materia, cujus eſt forma, diviſionem admittit. Iſtorum vero corporum formæ, inprimis (exceptis quibuſdam plantarum juxta alios) dividuntur quorum partes eandem habent definitionem & eſſentiam cum toto, quo fit ut formæ ſimilarium cum particulis ſuis dividantur, ubi vero pars & totum non habent eandem eſſentiam & definitionem, forma totius cum parte non dividitur. Proindè corporum animantium perfectorum de quibus quam propriè hoc quod ſequitur dictum intellectumque volumus, quia conſtant partibus organicis, quatenus ſunt animata, (eſt enim anima actus corporis organici) formæ, cum partibus organicis & integralibus cæteriſque non dividuntur. In quibus animantibus licet ſit una forma totius, tamen pars quælibet habet propriam formam, qua eſt id, quod eſt, & totius forma recedente, talis manet; Caro, os, nervi habent formam propriam eamque ſervant, illa totius recedente, ut ipſe Subornatus Sennerti in tract. de form. orig. fol. 5. aſſeverat. Forma animalis informat totum & cum non habeat partem extra partem ſitque primò indiviſibilis, eſt in qualibet totius parte tota, adeoque informat quamlibet partem non quia eſt peculiariter illius partis, ſed

ſed quod totius corporis, cum qua conſtituit animal, forma ſit. Forma animalis, quæ requirit ſubjectum adæquatum cum ſolo oſſe, carne, nervo, vel parte ex his compoſita, ut brachio, pede, vel capite non conſtituit animal, ideoque propriè non eſt harum forma particularis, ſed ideo quia eſt forma totius, has quoque neceſſariò partes inſidet; quare ratione animæ ſeu formæ totius, eadem eſt forma in capite, quæ in pede, oſſe, nervo; ſi enim per formam totius, pes foret pes, & caput caput, vel jecur jecur, & per formam res eſt, quod eſt, pes queat dici & eſſe caput, & jecur lien, & horum quodque ipſum animal. Hæ autem formæ quæ cum parte non conſtituunt eſſentiam eandem, qualis eſt totius, etiam cum parte non dividuntur. Ita poſita manu, non ponitur homo, quia forma totius non eſt in manu ut forma manus, neque cum illa ſola exiſtere poteſt, ſed quia ſit forma totius, cujus manus pars eſt, neceſſario eſt in manu; poſita verò forma oſſis, pedis, carnis neceſſario ponuntur iſtæ partes, non vero totum, cujus ſunt partes, aut forma totius. Neque enim cum iſti maledico Sperlingen præſecta eſt manus, ipſe una cum manu animam ſecundum totum vel partem amiſit, niſi fortè illum hanc animæ partẽ, quâ modeſtiæ pietatiq; ſtudere & rude donãdorum honori parcere debebat, perdidiſſe arbitrere.

IX. Animata ſimpliciter ſunt viventia aut animalia. Animalium nulla pars ita continet formam totius, ut diviſa & à corpore ſeparata, illam vel totam vel partem (cum dicente Scaligero ſit tota in ſui parte) ſervare aut alio transferre poſſit. Ratio autem diviſionis & inde conſequentis multiplicationis in

hoc

hoc fundatur, quod forma dividatur ad diviſionem ſubjecti, ſeu partis quæ communis formæ cum toto fuerit particeps; particeps eſſe nequit, niſi communi totius forma informata fuerit. Nulla vero pars communis totius corporis formæ fuit particeps niſi toti cohæſerit, communique cum eo vita prædita fuerit. Ita lac, ſanguis, ſemen, aliivè humores nutrimentales ſunt corpora inanimata in uſum animalis in corpore genita, nec unquam toti, ut partes cohærent, nec cõmuni forma vel vita præditæ fuere. Nec qui ſemẽ, lac vel ſanguinem amittit aliqua ſui corporis parte mutilatur vel truncatur, multo minus partẽ ſuæ formæ totum corpus informantis emiſit vel amiſit. Prętereà ſi formæ pars in ſemen vel ſanguinem tranſiret, forma per ſe & primo foret diviſibilis, ſubjectum enim diviſionis debet eſſe continuum; ſi vero tranſit in aliud ſubjectum ſibi non continuum, mediante ſubjecto, non dividitur, & ſeparatur à toto pars prius quam in aliud ſubjectum veniat. Sed quia dividi non poteſt cum partibus in quibus ineſt jure informationis, quatenus toti inhęret, nequaquã dividetur & tranſibit cum humore excrementitio, qui toti, ut pars communi vita pędita & continua non fuit, nec informatæ ita cohæſit. Eſt enim ſemẽ utile excremẽtum corporis, quod nunquã ejus fuit pars, nec communi cũ eo forma ita donatũ, ut ſecedens eiuſdẽ partẽ à tota avellere & tanquã ſubjectũ commodũ alio trãsferre queat. Proinde ſemẽ ex quo generãtur animalia (alia eſt ratio generationis humanę) eſt id, quo mediãte animalia perfectiora generationẽ perficiant nõ quod ſecũ rapuerit partẽ animę generãtis à tota avulsã vel divisã, ſed quod in illo ſit potẽtia ad ſimilẽ

animantis illius formam à quo eſt genitum & emiſſum.

X. Nulla forma, ſi diviſionem admitteret, dividi poteſt cum materia ad generationem novam, niſi ei ſic ſit unita, ut tota ſit in toto, & in qualibet parte tota; Niſi enim ſic unita ſit, ita dividi nequit, ut pars formæ in materiæ diviſæ parte taliter ſit tota, ut tota forma ſit in ejus parte diviſa. Niſi enim tota ſit in materia; & in ſui parte qualibet tota, *juxta* Scalig. exerc. 6. n. 11. per diviſionem recedere nequit, id quod totam conſtituat. Sic vero ineſſe & uniri non poteſt, niſi inſit ut forma, vel ut informet materiam totam. Verum actu entitativo illis eſt in ſemine, quin imo in vaſe vel alibi, ut eſt in tract. de form. orig. fol. 115. & 139. At ſic cum ſemine diviſibilis eſſe nequit: Nulla ſane talis eſt cohærentia formæ animantis actu entitativo inhærentis cum ſemine, ut cum eo vel eo mediante à corpore toto dividi queat.

XI. Si forma primò non eſt in ſemine ut illud informet, ſed actu ſaltem entitativo, tum in corpore generantis, antequam ſeparetur ſemen per diviſionem à corpore ejuſdem, erit actu formativo & extra id corpus proprium quod informat, ſimul in ſemine actu entitativo (quia formæ pars à toto ſeparari nequit ex mente Sennerti, niſi cum ſubjecto cui inſit.) Et ſic una forma eodem tempore eſt in duobus ſimul ſubjectis, & partim extra proprium quod informat, partim in alieno ubi non informat quod abſurdorum abſurdiſſimum eſt, cum propter conſequentias alias mirabiles, tum ob hoc quod forma dum informat, nullibi ſimul eſſe queat extra propriam

priam materiam; extra quam ſi tranſeat in aliam, quia iſta non ſit cum corpore una, neceſſario primò & per ſe eſt diviſibilis.

XII. Si vero forma in ſemine ſic eſt ut id totum informet, adeo ut cum illo dividi poſſit, utque ex uno ſemine canis pluries diviſo, plures poſſunt fieri canes, ita ut hoc pacto etiam unum ſemen ſit illis plures canes, tum informatum ſemen formâ canis non eſt amplius ſemen, ſed canis, quia forma ſeminis ſubſtantialis & ultimata non poterit eſſe amplius in ſemine, quod informat forma canis, neque ſemen, etſi ſpecies mundi ipſi non eſſe dicatur, tamen habet ſuam formam ſubſtantialem & ultimatam. De formis ſpecierum mundi poſtea dicemus. Vna enim res vel materia ſub duabus formis ſubſtantialibus ultimatis ſimul & ſemel exſiſtere nequit, ita ut ſit maneatque ſemen per ſuam formam, & ſimul idem ſemen per formam canis ei inhærentem dicatur & ſit canis. Quam frivolè itaque ſemen canis, dicatur eſſe canis inde patet, quia ſi adhuc ſemen eſt per ſuam formam, tum canis eſſe nequit, & ſi jam canis eſt, ſemen amplius eſſe nequit: quæ res, uti video, movit D. Sennertum, quod nunc per Subornatum reprobet, quod antea in tract. de Galen. cum Chym. conſ. & diſſ. approbavit, videlicet ſemen canis poſſe dici canem, unde nunc ſtatuit in ſemine formam eſſe actu entitativo: propter formam vero actu entitativo in re hærentem res non poteſt id dici, cujus taliter adeſt forma: neque enim, quia ut illi ſtatuunt, forma ſcarabæi actu entitativo eſt in ſterquilinio vel cadavere equi, ideo ſterquilinium vel cadaver ſit ſcarabæus, uti nec forma hujus cum illis dividi queat.

XIII. a Cæterorum animatorum ſeu ſimpliciter viventium, velut arborum, fruticum, herbarum, quo ad partes alia eſt ratio. Horum quædam per ſemina, radices, ramos bulboſve propagari poſſunt. Radices vero, rami & bulbi verè ſunt partes plantæ, per has poteſt fieri generatio & propagatio quorundam vegetabilium, ſecus quam animalium. Nulla enim pars animalis eſt, cujus beneficio animal, uti arbores per ramum & plantæ quædam per radices propagari poſſint.

XIV. Non abs re hic quæri poſſit, an ideo hæ partes avulſæ generent novam plantam, quia formæ partem ſeu formam cum ſuo corpore avulſam continent, an vero quia ſeminalem vim aut potentiam contineant, ad ſimilem iſti, à quo ſeparatæ ſint, formam, quæ ubi terræ vel alteri trunco inſitæ fuerint, vi cæli excitata & promota, novam producant plantam? Hic diſtinguendum inter partes principales & minus principales. Sunt quædam principales quæ pereuntibus cæteris manent ſervantque formam totius, & hæ partes referunt totam plantam, non tantum ſunt pars plantæ, ut in herbis quædam radices. In his per radices propagatur planta non verò cum floribus aut foliis: & hic tenendum quaſdam partes poſſe retinere formam, quaſdam non. Seminalem vim ſeu potentiam ad ſimilem ſuæ ſpeciei formam certis duntaxat plantarum partibus ineſſe rerum experientia & recta ratio docet. Nam ſi per formam, qua totum omneſque partes æqualiter fuerunt informatæ, fieret generatio ſeu propagatio plantæ, pars ferè quælibet poſſideret vim propagandi

a *Hactenus de formis animalium.*

gandi & generandi, ſed quædam herbæ & plantæ per nullam corporis partem propagantur, videlicet, nec per ſemina, quibus aliquæ deſtituuntur, nec per partes, ceu radices & bulbos ſtipiteſve, quædam per ſola ſemina, quædam per radices, ramos & ſemina, ſimul. Et ſi concederem, neque enim mihi illud officere poteſt, formas quaſdam vegetabilium cum ſuis partibus dividi inſtar rerum inanimatarum, ceu lapidum, metallorum & elementorum, id tamen D. Sennertum nihil juvat ad probandam generationem animalium per diviſionem formarum & tranſlationem vel traductionem earum à generante in generatum, ſiquidem pars nulla animalis ita abſcedit à toto, ut vitam ſervet & partem formæ ad generationem animalis ſecum tranſportet, ut deinceps clarius videbimus: & præter hoc, ſemen animalis nunquam fuit pars animalis: adeo ut hac ratione ineptum foret ſtatuere, animalia generari eo modo quo generantur plantæ & arbores: & animam animalium tranſportari per ſemen, quemadmodum plantarum per ramos avulſos vel partes ſeparatas. Inepta, inquam, illa eſt ſimilitudo qua ex generatione plantarum generationem animalium demonſtrare annituntur, quod eſt à baculo ad angulum concludere, id vero facit D. Sennert. in tract. de Gal. cum Chym. conſ. & diſſ. cap. 9. fol. 203.

XV. Sed porrò ulterius inquirendum, an rerum generatio fiat idcirco quia formę generantium dividantur, ut ex diviſa portione cum materia avulſa fiat generatum. Id ſanè manifeſtè falſum eſt in plantis aliquibus quæ per nullas ſui partes propagan-

tur, vide Scalig. exerc.xv. deinde pariter falſum hoc eſt in elementis & miſtis inanimatis. Ignis generat ignem non diviſione ſuæ formæ in aliud ſubjectum, ſed converſione ſubjecti in ſuam ſubſtantiam. Lapis non generat lapidem per diviſionē formæ ſuæ cum parte materiæ: quamobrem Scaliger quærit à Cardano an & ubi viderit lapidem generare lapides. Verum D. Sennertus nihilominus dicit lapidem generare lapides, & metallum metallum ſuæ ſpeciei, quia omnis forma ſit ſui multiplicativa. Et licet de ejus falſimonia jam abunde conſtet, tamen rem hoc loco pauxillum prælibando, diſpiciemus.

XVI. Hic primùm oppono Sennertum Sennerto. In phyſ. lib. 5. c. 5. fol. mihi 404, inquit differre metalla inter ſe formis ſubſtantialibus, & deinde aſſerit alia converti in alia, & alia ex aliis fieri, ut ex ferro cuprum. Et ſic primo falſum eſt, quod cum ex metallis fiant metalla id fieri per formæ ejus, ex quo aliud generatur, multiplicationem; alioquin ex ferro non poſſet fieri cuprum, ſed neceſſariò ferrum.

XVII. Deinde idem concedit metalla lapideſque non vivere, ſed tamen ſeſe univocè propagare, & aurum generare aurum, argentum generare argentum, quod omnis forma ſit ſui multiplicativa, & quod omnia metalla ſeminalem, qua ſeſe generando propagent, rationem habeant. Verum enim vero præter rerum naturam eſt, miſtum inanimatum generare per ſemen vel ſeminalem rationem, quæ in non animato & puro miſto fieri nequeant. Omne corpus quod ad ſui nutritionem alimentum non trahit, attractum coquendo non mutat, mutatum in ſubſtantiam ſuam non convertit, adeoque ſeſe ſecundum

cundum omnes dimenſiones non augmentat,id nec ſemen, nec ſeminalem rationem producere,nec ſibi ſimile gignere poteſt. vide Ariſt. l.4.meteor. Quod enim ſui ipſius corpus augmentare (eſt enim augmentatio quædam quaſi generationis ſpecies) non poteſt, ſed ab externo principio per coagmentationem & accretionem partium amplificatur & ſuccreſcit, quomodo id aliud ex ſe generare queat? apparatus ad generationem fit,dum generans,in ſuo corpore materiam conficit ex attracto alimento, quam partim in nutritionem & corporis ſui converſionem uſurpat,partim,uti in animalibus,ad loca generationi deſtinata, vel, uti in plantis, ad partes commodas relegat,ut ex eo ſemen,vel quod ſeminalẽ rationem habeat, præparetur. Quodcunque itaq; corpus non generat nutrimentum ad corporis reſtaurationem vel augmentationem,quæ eſt quædam generatio, in ſe ipſo,id nec producit ſemen ad generationem,quia una eſt nutritionis ad reſtaurationem & augmentationem in eodẽ corpore, quæ ſeminis eſt ad generationem ſui ſimilis extra corpus, materia, idcircò vanum eſt, quod dicit Senn. principium ſeminale per totum corpus lapidum & metallorum eſſe ſparſum, quemadmodum in ſalice & plantis, quæ per ramum avulſum generant, hæc enim, quia animata ſunt & nutrimentum habent & mutant, & partim in ſuam ſubſtantiam vertunt,partim in ſeminalem uſum ſervant, ideo generandi potentia ſunt præditæ, quibus omnibus deſtituuntur metalla.

XVIII. Sed nimis miſerum eſt, quod D. Sennert. demum formas cum Paracelſo vocat ſemina & ſpiritus architectonicos atque ideo inferat metalla

habere ſemina & ſeminales rationes, quia habent formas. Et has formas deinde nominat & eſſe ſtatuit ſpiritus architectonicos, quos corporeos eſſe non diffitetur, unde formæ fiant corpora, & corpora informent corpora. Quin imo metalla generare alia metalla priuſquam ipſa ſolidata & perfecta ſint. Spiritus enim illi architectonici, qui ſunt illius formæ, è ſolidis corporibus (uti inquit) erumpere nequeunt, poſtquam indurata & perfecta ſunt, ſed & hæc eſt erronea opinio, & omnes cæteræ hoc modo confictæ. Quia generatio ſui ſimilis eſt rerum perfectarum: undè Ariſtot. lib. 4. metor. *Tunc unumquodque perfectum eſt, cum ſibi ſimile generare poteſt*, de his poſtea plura. In tales incidere par eſt labyrinthos, qui veritati obſtrigillant, & novarum opinionum pruritu vaniſſimorum hominum commenta ſequi artiumque & veteris ac ſempiternæ veritatis principia evertere & peſſundare ac è ſcholis profligare annituntur.

XIX. Tandem cum Scaligero dicimus quod quædam formæ ſunt materiales & ſecundum materiam diviſibiles, ut elementorum formæ, aliæ non diviſibiles ſed communicabiles, ut ſpecies: non enim equus in plures equos ſecari poteſt. Individuorum & & ſingularium verò formæ ſunt & incommunicabiles & indiviſibiles, Individuorum autem proprium eſt gignere & gigni. Formæ itaque quæ dividuntur, quatenus dividuntur (ſolis quibuſdam plantarum ſuo modo & ſecundum quid exceptis) non generant, & quæ generant, non dividuntur. Et ſic intercidit tota doctrina D. Senn. de generatione & propagatione formarum per earundem diviſionem.

Reſtat

Reſtat ut in formarum naturam & differentias ſolidius inquiramus, ut rectius de quæſtione; An & quænam & quomodo ſint diviſibiles, judicium perhibere queamus.

XX. Omnis forma ſubſtātialis primo & per ſe eſt indiviſibilis: nec enim juxta D. Senn. in tract. de Chym. cum Gal. conſ. & diſſ. c. 9. molis magnitudinem habet, nec partium diſtantias, nec dimenſionum vinculis alligata eſt. Quod indiviſibile per ſe eſt, id partem extra partem non habet, & quod per accidens, cum ſuo videlicet ſubjecto diviſum, in parte diviſa rationem totius habet, id ſane in eo ſubjecto, quod informat totum eſt, & in qualibet parte hoc modo totum eſt, alioqui non poſſet ita cum ſubjecto dividi, ut pars diviſa eandem eſſentiam & rationem, quę totius eſt, haberet in parte ſubjecti ſeparata. Sic forma terræ eſt in tota terra, & in qualibet parte tota, ratione eſſentiæ formalis vel totalitate eſſentiæ. In metallis & lapidibus perinde eſt.

XXI. a Non igitur prorſus pendet ſpiritualis eſſentiæ ratio in formis ſpiritualibus ex hoc, quod totæ ſint in toto, & in qualibet parte quam informant, totæ, ſed hoc illis cum aliis formis ſubſtantialibus commune eſſe poteſt. Ideoque ſic foret diſtinguendum, quædam formæ ita totæ ſunt in toto quod informant, & in qualibet parte dicto ſuperius modo totæ, adeoque materiæ ſuæ adhærent, ut cum quacunque parte dividantur, ut formæ metalli & lapidis. Tam arctè enim hæ ſuæ materiæ, è cujus potentia

a *Primi generis formæ ſunt inanimatorum.*

tiæ ortæ fuere, ſunt connexæ, ut ad ejus diviſionem non ſeparentur, ſed cum ea ad minimas particulas dividantur & hæ ſunt inanimatorum.

XXII. a Aliæ formæ ſunt animatorum, ſed ſimpliciter tantum viventium, quarum quædam an cum partibus, uti arboris cum ramo, dividantur, incertum eſt. Sed ponamus id fieri, non tamen cujuſlibet plantæ forma cum qualibet ſui parte eſt diviſiva, imo quædam ſunt, quæ cum nulla ſui parte dividantur.

XXIII. b Tertii generis formæ ſunt animalium eorumque perfectorum vel imperfectorum. Horum quorundam formæ dividuntur cum partibus, ſed perdurare cũ iis non poſſunt, ut ſerpentum, aranearum; perfectorũ verò formæ etſi pariter ſint totæ in toto & in qualibet parte totæ, non tamen ita dividi poſſunt cum parte, ut in diviſa & ſeparata parte ſint & maneant, & cum illa tranſeant à toto; forma leonis informans totum, tota eſt in capite, in pede & parte corporis quacunque, neque tamen cum illa dividitur, ſeparatur aut transfertur.

XXIV. Harum omnium formæ licet totæ ſint in toto & in qualibet parte totæ, & quædam cum partibus ſuis ita dividi dicantur, ut totæ maneant in partibus ſubjecti, cum quibus dividuntur, imo totæ in parte ſui diviſa (ut loquitur Scalig. de anima canis exerc. 6. num. 11.) & quædam propter arctiorem cum materia, ex qua ortæ ſunt, neceſſitudinem, cum qualibet ſubjecti parte dividantur, permaneant, perdurentque, quædam vero cum parte ſubjecti diviſæ haud

a Secundi generis formæ animatorum ſimpliciter.
b Tertii generis formæ animatorum.

haud diu perdurare, quædam ne transferri queunt, tamen omnium talis eſt conditio, quod extra materiam, ex qua ortæ ſunt, eſſe, exſiſtere, & eſſentiam propriam tueri non poſſint.

XXV. [a] Quarti generis formæ ſunt, quæ etiam ſunt totæ in toto, & in qualibet parte totæ, verum cum nulla ſui ſubjecti parte ſunt diviſibiles, & ſic nec per ſe ſunt diviſibiles, nec mediante ſubjecto, & materia in qua hærent, ſunt diviſibiles. Neque ſic à materia dependent, ut nullibi niſi in ea eſſe poſſint, quia ex ea ortæ non ſunt, ut quæ à materia non ſolum ſalva ſua eſſentia ſeparari, & ſeparatæ per ſe exſiſtere, & ſeorſim extra materiam eſſe poſſint, eſſentiamque ſuam & exſiſtentiam tueri quales ſunt animæ rationales.

XXVI. Hic videndum à quo id dependeat, quod formæ quædam ſint ſpirituales, quædam non. Spirituales ſunt non ob hoc propriè quod ſint indiviſibiles, & ob id quod partem extra partem non habeant, & quod totæ ſint in ſubjecto toto quod informent, & in qualibet ejus parte totæ, ſed quod non dependeant ſecundum eſſe à materia, & quod ab eadem ſalvis ſuis eſſentiis & exſiſtentiis poſſint ſeparari, atque adeo ſint indiviſibiles, ut etiam ad diviſionem ſubjecti non dividantur, ſeparatæque eſſentiam & exſiſtentiam valeant tueri, ſintque æternæ & immortales, eandem cum angelicis eſſentiis in hoc naturam indeptæ, excepto illo, quod iſtæ in materiam nunquam, ut ſint formæ, ablegentur, & veniant, hæ vero materiatæ fiunt, quatenus formæ officium in ea gerant.

XXVII. Ex

[a] *Quarti generis formæ.*

XXVII. Ex his liquet illas formas, quæ ſine ſuo, quod informant, ſubjecto, actu exſiſtere & exſiſtentiam tueri poſſunt, eſſe ſpirituales & immortales, eos verò qui ſtatuunt formas rerum corruptibilium eſſe ſeparabiles à ſubjecto proprio, & ſeparari, ut extra illud exſiſtere, & eſſentiam ſuam defendere poſſint, facere animas ovium imo ſcarabæorum, murium & viliſſimorum etiam animalium incorruptibiles & immortales.

Plaudite cornupetæ, ſalientes plaudite vaccæ,
Pinnigerumque greges, pennigerumque genus,
Cornigerique boves, ſetigeræque ſues.

XXVIII. Sed iſta hæreſis eſt contra ſacræ ſcripturæ veritatem, quæ teſtatur omnes omnium animantium animas, excepta hominis, ex aqua & terra & elementis eſſe productas, atque ob id corruptibiles, cum materia ex qua ortæ ſunt, *ut non minor blaſphemia ſit ſtatuere animas pecudum eſſe immortales & incorruptibiles, quàm dicere humanam mortalem & interitui obnoxiam eſſe.*

XXIX. Sed priuſquam hanc doctrinam claudamus, operæ pretium fuerit diſpicere, quid de formarum & animarum diviſibilitate ſenſerint, & quomodo nobis conſenſerint priſci majorum gentium philoſophi, & hos ponè, ritè, recteque ſecuta poſteritas. Tres illi ponunt formarum ſortes; prima & infima eſt earum, quæ ſic à materia comprehenduntur, ut nullâ ratione ſupra illam eleventur, & totum parteſque æqualiter reſpiciunt, ideoque tam ſub parte quam toto conſervari poſſunt. Et hæ ſecundum eſſe & ſecundum fieri dependent à materia. Has cenſent diviſibiles ad diviſionem ſubjecti, has ex acci-

accidenti quodammodo extenſas eſſe ad extenſionē ſubjecti, quales ſint formæ rerum inanimatarum.

XXX. Altera differentia eſt earum formarum, quæ neutiquam ullam dependentiam habent à materia, in qua ſunt, & ſunt eſſentiæ ſpirituales, quæ extrà materiam ſuam entitatem perfectam tueri & exſiſtere poſſunt, undè nec cum nec mediante materia dividi poſſunt. Tertiæ ſortis ſunt illæ, quæ quaſi medium inter has ſunt nactæ locum, & in triplici ſunt illis differentia. Prima eſt illarum formarum, quæ cum parte quapiam ſubjecti, cujus formæ exſiſtunt, ſunt diviſibiles, ita ut cum his durare & transferri poſſint, ut plantarum quarundam. Secunda eſt animalium perfectorum, quas quidem cum partibus ſuis dividi, ſed cum illis, vel durare aut ulterius exſiſtere, multo minus ſimile animal producere poſſe, prædicant. Tertii generis formas ajunt eſſe animalium perfectorum, quas quidam omnino indiviſibiles cum ſuis partibus eſſe docent, totas eſſe in toto & qualibet parte totas, non ſolum totalitate eſſentiæ, ut dixit Thom. 1. part. quæſt. 76. art. 8. & 2. contr. Gent. c. 7. ſed abſolute, quia nullam habeant totalitatem quantitativam, aut ſimilem per accidens participatam à ſubjecto, *quandoquidem forma maxime diviſibilis eodem modo reſpiciat totum & partem, & ideo tam ſub parte, quam ſub toto conſervari poſſit*, animalium vero perfectorum non eodem modo reſpiciat totum & partem, totam *enim materiam reſpicit, ut primum & unicum perfectibile, non vero partem*, unde ſcorſim & in parte eſſe & conſervari nequeant, has vero perfectorum animalium formas *medium* ajunt *tueri locum inter imperfectorum*

ſectorum formas & animam rationalem ; adeoque eſſe materiales cæterum indiviſibiles ; & in hac eſt ſententia Cajet. Ferrar.& Bannes 1. part. quæſt. 76. articul.8. dub.2.lib.de gen.anim.cap. 5. quæſt.5. Aſtudillo 1. degener.quæſt. 15. Albert.Magn.1. de Anim.c.ult. & lib.2.cap.7.Bonavent.in 1. diſtinct.cap.8.2. part. qui omnes Ariſtotelis ſententiam pro fundamento ponunt.

XXXI. Alii quidem ſtatuunt animas perfectorum animalium eſſe diviſibiles;ſed & ex eo quod dividantur per diviſionem eſſe corruptibiles: diviſibiles *aſſerunt ratione materiæ, ex cujus potentia ortæ ſunt, quodque idcirco ſubjecto quodammodo commenſurentur, & ab ea, quam informent materia, tota totæ dependeant, & quod hoc modo ab anima rationali maximè diſcriminentur, quia illa ſit indiviſibilis ob hoc maxime quod non ſit materialis, ſed plane ſpiritualis, in quantum talis.* Diviſibiles vero faciunt juxta materiam vel ſubjectum dupliciter, vel enim dividuntur ita, ut diviſio fiat in partes ſubjecti æquales,aut quod per diviſionem ſeparetur aliqua pars ex præcipuis , & ſic utramque partem diviſam neceſſario perire ajunt, vel enim ſic dividuntur, ut ſeparetur pars ſubjecti minus principalis, & hanc diviſione ſeparatam omnino interire neceſſe eſt ; Concedunt itaque dici poſſe hoc pacto indiviſibiles , quod neutiquam ſic dividi poſſunt à toto cum partibus ſeparatis , ut cum illis exſiſtant vel ſuperſint. [a] Vnde concludunt formas omnes de potentia materiæ eductas per accidens eſſe diviſibiles,& inter illas maximè has,quæ æquabiliter materiam reſpiciunt & informant, ut formæ inanimatorum

rum

[a] *Formarum diviſibilium & indiviſibilium differentia.*

rum & lapidum,&c. his proximum gradum ſortitas eſſe formas quarundã plantarum,quarum formæ cũ partibus diviſæ conſiſtant & ad perfectionem reducãtur. Has ſequentur formę animalium & quidẽ perfectorum vel imperfectorum illorum, videlicet perfectas formas ajunt dividi cum partibus,cæterum diviſione corrumpi, & nullatenus cum partibus diviſis conſiſtere poſſe,horum, inquam, imperfectorum dividi quidem cum aliqua parte certa poſſe, ſed nec diu cum & in hac durare poſſe, ſed in via ad corruptionem eſſe.

XXXII. Ex quibus omnibus patet veteres ſenſiſſe, & ex ipſius veritatis viſceribus demonſtraſſe, *nullam formam quæ materiæ immergitur præter animam humanam, aliundè quam ex materia ortam, nullamque harum alibi & ſeorſim ſeparatam extra materiam ſuam & propriam exſiſtere poſſe, & ob id cum materia corruptibilem eſſe.* Et licet, quia à materia & ſecundum eſſe & ſecundum fieri dependeant, ſint cum ejus partibus diviſibiles, tamen nulla animantium ſeu perfectorum ſeu imperfectorum cum parte à toto ſic dividi & ſeparari poſſit, *ut cum ea exſiſtat & perduret, multo minus ut ſic exſiſtat, ut ex parte cui inhæret, novum corpus fabricet,* quodque omnis perfectorum diviſio in ſubjecto ſi ſit æqualis certum interitum materiæ & formæ totius, ſi partis minus principalis ſit ſeparatio, hujus tam materiæ quam formæ diviſæ exitium afferat. Proinde diviſio rei non tam generationem quam interitum rei ſpectat. Et ſane ſi duntaxat imperfectorum animalium formæ poſſint dividi cum partibus, & licet cum iis dividantur, tamen idcirco corrumpantur & durare non poſſunt, perfectorum

R vero

verò vel non dividantur cum parte ulla, vel diviſione ſtatim pereant, quomodò ulla forma animalis poteſt dividi cum ſemine, quod animâ informatum non fuit, & ſi cum illo divideretur periret ſtatim, cum in parte, quam informabat ratione totius, durare nequeat. Neque enim quod pars formæ in ramo, quem informat, durat, idcirco in ſemine animalis durare poſſit, cujus non eſt, nec fuit forma, quod neque pro ſubjecto habuit, ut cum eo dividi poſſit, *proindè diviſio rei non tam generationem quam corruptionem ſpectat,* ut ſtatuit Toletus in comm. lib. de Anim. Quarto, ex prædictis liquet quod quæ forma ex potentia materiæ orta non ſit, nec per ſe nec per accidens ſit diviſibilis.

XXXIII. Demum ut concludamus examen hujus quæſtionis, monemus lectorem, ut attendat, quid præter cætera allegata abſurda, ſequatur ex hac novatorum opinione, quâ prædicant formas, ut primum à Deo creatæ fuerunt, ſeſe ipſas multiplicare per ſui diviſionem, idque ad mundi durationem, hoc ipſo perfici & fieri generationem. Quod videlicet ex eo neceſſariò ſequatur *formas rerum corruptibilium eſſe ingenerabiles & incorruptibiles.* Ante productionem formæ generati, hæc actu erat in generante, à qua per diviſionem ſeparata, facta eſt forma geniti, juxta illorum phantaſiam. Quod dividitur, id actu eſt priuſquam dividatur. Poſt corruptionem rei forma manet actu entitativo, & ſic à prima univerſi creatione ad rerum creatarum omnium generalem interitum vel diem noviſſimum formæ manent perennes, quod Paracelſicum & Pythagoricum eſt, unde & duplex viciſſim reſultat abſurdum.

Primò

Primò *formam primam, quæ à creatore primitus condita eſt, actu continuiſſe in ſe omnes formas ſpecierum à ſe deſcendentium, quæ ſunt in toto mundo. Nam ſecunda quæ per diviſionem ab illa fuit ſeparata, actu fuit in prima, & tertia; quæ ſeparata & avulſa eſt à ſecunda, actu fuit in ſecunda & prima, & ſic conſequenter in omnem perpetuitatem. Omnes formas actu fuiſſe in prima, tollit omnem generationem.* Nam generatio eſt individui ſecundum formam novam productio, ad quod pertinet, formæ novæ, quæ actu non præfuit, generatio, (quod & Subornatus vult, cum de nihilo eas generari aſſerit) *quod actu eſt, de novo non generatur.*

XXXIV. Deinde hoc pacto res non tantum ſpecie forent idem, ſed & individuali eſſentia, excepta numerica diverſitate. Quæ enim ex diviſione unius formæ duo vel plura facta ſunt, non ſolum ſpeciali, ſed & ultima individuali eſſentia unum & idem ſunt, & numericè tantum ſeparata ſunt, quo pacto aquæ vel terræ & mixtorum inanimatorum diviſæ portiones tantum diſtent. Forma ultimata & quæ largitur exſiſtentiam eſt forma individui, & ſic principium ſimul individuationis. Illud individuum generare, quia ipſummet ſecundum ſuam formam & materiam iterum dividatur, ut ſibi ſimile conſtituat, eſt contra naturam ipſius individui & formæ ultimatæ & exſiſtentialis & principium individuationis tribuentis. Illud enim immobile eſt principium: *Singularia & individua eſſe incommunicabilia & individua ſeu indiviſibilia*; ſi verò una eademque forma leonis hujus aut catuli per diviſionem formæ alium producit canem

vel leonem, tum illa ipſa forma, quæ actu fuit in leone & cane (ſi diviſibilis foret) eadem in alio leone & cane actu eodem conſtituit canem vel leonem, eundemque, idque actu eodem qui prius erat, ſub alio numero & alia quantitate. Individua vero à ſe mutuo differunt non ſolis numeris, quod niſi ita ſit Petrus erit Paulus, & Paulus erit Petrus, ſi videlicet, quantitate ſolum, quæ eſt ex diviſione, unde numerica oritur diverſitas, differant.

XXXV. Cum igitur forma filii canis fuerit actu forma patris canis, & ſit pars animæ diviſa ab anima patris, & anima ſit tota in ſua parte, ut ait Salig. (unde hanc ſuam deprompſit erroneam opinionem D. Sennertus) exercit. 6. num. 11. ejuſdemque formæ eadem ſit maneatque eſſentia & quidditativa ratio, & ſubſtantialitas, pater per diviſionem ſuæ formæ non producit filium, ſed patrem numero diverſum, eſſentiâ & ſubſtantiâ eundem: ſiquidem diviſio, quæ formæ per accidens accidere dicitur, videlicet ex ſubjecta materia, cujus merito quodammodo ſeu per accidens & quanta & diviſibilis ſit, non facit (cum maneat eſſentia & ſubſtantia eadem & immutabilis) ut per diviſionem illa forma, quæ ibi ſtatuit actu patrem, hic ſtatuat actu filium; materia vero hic eſt cauſa diviſionis & quantitatis; nunquam vero materia & eam conſequens quantitas eſt principium individuationis, neque facit, ut quæ forma ibi fuit patris, hic conſtituat filium. Et fere ſaltem tantum differet Petrus à Paulo, pater à filio, vel miſſis iſtis exemplis, canis pater à cane filio, quantum portio terræ & aquæ ab aqua & terra diviſione ſeparata, una & eadem eſt forma actu, quæ ſtatuit patrem & filium,

lium, una actu & eſſentia, & ſubſtantia & numero in patre & eadem per diviſionem, numero ſaltem diverſa in filio. Si qua ulla eſt differentia, illam pariter à materia, cujus merito forma dividebatur & quanta fiebat, & à quantitate materiali oriri neceſſũ eſt, ſiquidem unius & ejuſdem actu & eſſentiâ formę ultimatæ, unæ & eædem erunt qualitates, & ſic non alias poterit habere filius quam pater qualitates, quia habeat unam formam, diviſione ſaltem ſeparatam, & omnis qualitas eſt à forma.

An formæ rerum corruptibilium actu entitativo per ſe & ex ſe, extra ſuam materiam propriam, cujus fuêre formæ, ſic exſiſtere poſſint, ut non informent.

XXXVI. SVpervacaneum fuiſſet in hujus quæſtionis rationem ſcrupuloſius inquirere, cum demonſtratum & æternæ veritatis axioma ſit, quod maxima formarum pars diviſionem nullam admittat, & ſi quæ cum ſubjectâ materiâ dividatur, ea vel plerumque pereat, aut ſi manere poſſit, non fiat cauſa novæ generationis vel conſtructionis novi corporis: aut ſi in ramis bulbiſque (de qua re tamen lis eſt) id fiat, non tamen in aliis hoc accidat vel fieri poſſet. Non enim uti ramus ab arbore avulſus tanquam pars, novæ arboris cauſa eſt, ita ex animalis ulla parte avulſa fiet animal; vel ex parte lapidis aut metalli novus lapis metallumque generatur. Simile planè diſſimile & ἄλογον. Proindè ſi nulla formæ animalis portio ſic poſſit beneficio partis ab animali per di-

 viſionem

viſionem ſeparari, ut alibi exiſtat, novum quoque domicilium ſibi fabricari nequit.

XXXVII. Etſi poneretur, quod cum parte aliqua ſui corporis forma aliqua foret diviſibilis, & cum illa tantiſper exſtare poſſet, donec novum fabricari poſſet, an ideo etiam forma animalis, uti ſcarabæi, actu poſſit eſſe in ſemine, quod non fuit pars animalis, quinimo an in ſterquilinio, in cadavere equi, veluti bardi & barbari novæ ſectæ philoſophaſtri ſcribere non verentur? an ut ſubordinata in equo vivo, & in ſemine ejus exſiſtere & cum eodem transferri? Monſtra opinionum ſunt, ſtatuere in uno ſemine plures actu ſic eſſe formas, ut ex eodem res diverſæ generentur. Sed ad rem.

XXXVIII. Hujus abſurditatis turpitudinem ut nonnihil pallient, omnis rei corruptibilis formæ aſſignant actum quendam entitativum, quo ſeparata à ſua propria & ultima materia ſeorſim alibi exſiſtere poſſit ſive in vaſe, ut loquuntur, vel alia re. Ganym. Sperl. in tract. de form. orig. fol. 121. & 139. Ideoque diſtinguunt inter formæ cujuſcunque actum entitativum & formativum. Deſinente formativo actu, in quo tamen tota formæ ratio & eſſe conſtabat, nihilominus manere, & exſiſtere poſſe actu entitativo. Et ſic animæ humanæ in hoc aſſimilant, & in eundem ſtatum illas vindicant. Hoc pacto ante rei productionem anima actu eſt in ſemine, & poſtquam corrupta eſt res ejus forma poteſt eſſe ubivis extra propriam materiam. Sic anima ſcarabæi eſt in ſterquilinio, in cadavere & alibi, ut in vaſe, ut ait in tract. de form. orig. fol. 139. Plaudite oves & boves, lupi & ſcarabæi,

rabæi, & veſpæ & quicquid uſpiam crabronum eſt:

Vita equidem veſtris animis à funere reſtat,
Reſtat & in corpus poſſe redire novum.
Fælices animæ quod ubivis eſſe poteſtis,
Dum triplicis mundi flamma reſolvat opus.
Dicite quæ vobis ſtatio & fortuna ſuperſit ,
Cum ruat in priſcum machina trina Chaos?

XXXIX. Hi ſcilicet ſunt fructus floreſque novæ doctrinæ à Paracelſo profectæ, quam Chriſtiani etjam (proh pudor!) ferè amplecti non erubeſcunt, quâ ſtatuitur formas rerum præter humanam corruptibilium, officio informationis functas , eſſentiam & exſiſtentiam ſuam ſervare : ubi Paracelſus addit eas ire ad Orcum & Iliadum ſuum, & quotannis aut certis temporibus redire in mundi theatrum, & aſſumpto fabricatoque corpore perſonam ſuam pro ævo ſibi deſtinato ſuſtinere , eaque depoſita viciſſim ad ſuos ibi avos & proavos immortali quiete beatos redire. Hoc ex principio defenditur roſæ eſſentia ſpiritualis , in cinere roſæ exſiſtens & ex eo ſurgens ſine corpore. Vides amice lector unde Sennertiana iſta hæreſis originem duxerit, nunquid à Paracelſo, ejuſque ſequaculis roſeæ crucis fratribus?

XL. Sed ex ſolidis Philoſophiæ principiis primò diſpiciemus fraudem opinionis de actu formarum entitativo, an hujus beneficio extra materiam propriam exſiſtere poſſint. *Actum entitativum* Philoſophi , teſte Cornelio Martinio in Metaphyſica, vocant, *qui dat ipſum eſſe in genere entium, & à non ente ſimpliciter rem diſtinguit:* Communis itaque eſt omni-

busentibus, & etiam illis, qui nullum actum habent, ſint tamen, ſed actu alieno, qualis eſt materia prima, cui ſanè actum non tribuunt, & hunc tamen entitativum illi competere non negant: quod quidem entitatem ſuam habeat, licet à forma, cui debet actum, nunquam remota eſſe poſſit. Impoſſibile enim eſt, eam exſiſtere, niſi forma ei exſiſtentiam tribuat, quæ actus ejus ſit. Conceditur itaque materiæ actus, ſed debilis & entitativus ille, quatenus eſt materia. Hactenus ſententia Cornelii.

XLI. Actus itaque entitativus competit rebus, quo à nihilo diſtinguantur, & quatenus ens nihilo opponitur, & ab eo diſcriminatur. *Omne ens eſt actu vel potentiâ.* Quæ diſtinctio cum ſit veriſſima, enti in potentiâ actus propriè dictus convenire non poteſt. Quando rei per ſe non exſiſtenti tribuitur actus, quatenus ens eſt, hoc eſt actus entitativus aſſignatur, id fit impropriè, & non quod actu exſiſtat, ſed quod eo ipſo à nihilo diſtinguatur. Res enim quo propius ad potentiam accedit (ut loquuntur Philoſophi) eo magis declinat ad nihil, quo magis ad formam, eò potius ad majorem vergit entitatem. Ex quo ſequitur ab actu entitativo non dependere, ut res per ſe exſiſtat. Neque enim quod res quæpiam habeat entitatem, uti accidens, neque quod propriam eſſentiam, uti materia, neque ſubſtantialitatem, uti eadem, eſt enim ſubſtantia incompleta, & principium corporeæ ſubſtantiæ, per ſe exſiſtere poſſit. Non itaque ab actu entitativo exſiſtentia rei, aut quod res per ſe exſiſtere poſſit, dependet.

XLII. Etſi hoc ipſo, ſcabra & ſcabioſa iſta novæ & putidæ Philoſophiæ opinio abundè confutata ſit, tamen

tamen ut ex ipſis ſolidæ & invictæ veritatis fontibus clariùs demonſtretur abſurda falſitas & veteratoria fraus ſic ratiocinantium, veram actuum naturam differentiamque expendemus, & quinam horum per ſe exſiſtere poſſint & qui nequeant, conſiderabimus.

XLIII. Actus Philoſophis alii ſunt puri & ab omni materiæ conſortio immunes & alieni: alii materiati. Illi ſunt ſubſtantiæ ſpirituales per ſe exſiſtentes, in quibus actus exſiſtentiæ non differt ab actu eſſentiæ. Hi, videlicet materiati, cum materia conſtituunt ſubſtantiam compoſitam corpoream & tribuunt eidem exſiſtentiam.

XLIV. Actus materiati ſunt viciſſim in duplici differentia: aut enim ſic immerſi ſunt ſuæ materiæ, ut ab eâ non tantùm ſeparari, ſed & ſeparati eſſentiam ſuam tueri & ſeorſim exſiſtere poſſint: talis eſt anima humana. Hujus duplex poteſt eſſe reſpectus alius, quo quodammodo, ſed improprie dici queat, idque ratione ſubſtantiæ compoſitæ, ſubſtantia incompleta: quatenus enim forma eſt, quæ cum materiâ propriâ, quod eſt corpus organicum, conſtituit hominem; talis ita vulgo nominatur. Verum quia eſt ſubſtantia ſpiritualis, ſimilis in hoc angelicis illis actibus puris, omnino eſt ſubſtantia completa, & non ita dependens à materia, ut ab eâ ſeparata exſiſtere nequeat. Convenit verò cum actubus materiatis reliquis, quod & materiæ immergi, in eaque formæ officium perficere poſſit: diſcrepat ab iiſdem, quod ſit ſubſtantia ſpiritualis, quæ à materiâ, quam informavit, ſeparata per ſe & ex ſe exſiſtere poſſit.

Cæteri actus materiati ſunt ſubſtantiæ incom-

pletæ, dicunturque propriè actus impuri, qui inſtar animæ rationalis ſeorſim extra propriam materiam exſiſtere, & eſſentiam ſuam tueri nequeunt, ſed exiſtunt quia cum materia compoſitum unum ſeu corpus conſtituunt.

XLV. Actus illi impuri largiuntur vel ſolam eſſentiam, vel eſſentiam cum exſiſtentia. Illam ſolam afferunt, cum ſunt formæ generales, quibus non ſpecies aliqua ultima conſtituitur, ſed genus aliquod, ut forma animalis ab hac nulla exſiſtentia infertur, ſed eſſentia pluribus communis. Forma vero ſpecifica & ultimata dat actum perfectiorem, qui nulla alia forma indiget ad exſiſtendum. Et hic perſpicuum eſt, quomodo actus eſſentiæ diſcriminetur ab actu exſiſtentiæ. Actus itaque largiens exſiſtentiam melior eſt, & nobilior & perfectior, quod ſit aſſecutus ultimam perfectionem, neque alia forma ſpecifica ſuperveniente perficitur, ut ait maximus ſui ſeculi Philoſophus, meus quondam in Academia Iulia collega p. m. Cornelius Martinus in metaphyſ. Sic forma hominis eſt actus perfectus, propterea quod non alius actus aliquis ſupervenit ei, quo perficitur. At forma animalis eſt actus ignobilior; non enim exſiſtentiam ſuam habere poteſt, niſi ſupervenientibus aliis actubus eſſentialibus, quibus ea perficitur, quique illo actu ſunt nobiliores & perfectiores. Et hoc eſt quod dicunt, formam generalem dare actum quidem ſed imperfectum & cum poteſtate commixtum: at formam ſpecificam dare actum perfectum, & nulla alia forma indigentem ad exſiſtendum. Vnde Averroës inquit 17. contextu 1. metaphyſ. Ariſtotelis: *Materiam primam recipere*

pere primum formas univerſales, demum mediantibus illis formas alias uſque ad individuales. Vide etiam hac de re Zabarell.

XLVI. Actus itaque licet largiatur eſſentiam, non tamen ſtatim largitur vel habet propriam ſeorſim exſiſtentiam. Actus animalis eſt eſſentialis & ſubſtantialis, neque tamen exſiſtentialis, quia non ultimatus. Quamobrem non ſequitur quod is actus, qui habet entitatem ſeu eſſentiam vel quandam ſubſtantialitatem per ſe ſeorſim exſiſtere poſſit. Aliud etiam eſt aliquid exſiſtere ſive eſſe, vocabulo exſiſtendi large ſumpto, aliud per ſe exſiſtere & ſeorſim exſiſtere poſſe. *Omne enim quod exſiſtit eo ipſo quo exſiſtit, ſingulare eſt,* ut habet vetus regula.

Forma itaque materiata (de anima humana jam non loquor) *ſeu materia immerſa, licet habeat actum entitativum & eſſentiam ac ſubſtantialitatem quandam, qua eſt ſubſtantia incompleta, tamen per ſe ſeorſim extra materiam exſiſtere nequit, imò nec in qualibet materia, & non niſi in propria & ultimata rite diſpoſita.*

Proinde actus materiatus impurus, qui conſtituit formam ultimatam, etiamſi largiatur cum eſſentia exſiſtentiam, tamen per ſe, inſtar animæ rationalis, extra materiam exſiſtere, neque eſſentiam atque exſiſtentiam ſuam tueri aut ſervare poteſt. Neque poteſt eſſe in quavis materia, niſi propria, neque in hac perdurare, niſi quoad temperiem ſolam reſpectivè, vel quoad temperiem & organizationem rite comparatam: adeo ut immobilis & æternæ veritatis axioma ſit: *Formam ultimatam, quæ largitur eſſentiam, nullibi dari nec eſſe nec exſiſtere poſſe niſi in propria & ultima materia,* ut loquuntur Philoſophi.

XLVII.

XLVII. Quod rationibus demonſtratur ſolidiſſimis & inexpugnabilibus. Quarum primam ex priſcę philoſophiæ meditullio à ſe accerſitam, ut veriſſimam conſtanter propugnat & ipſemet ſui immemor ponit Clariſſ. D. Sennertus lib. 5. inſtitut. part. 1. ſect. 1. cap. 2. his verbis: *Porro requirit qualibet forma οἰκείαν & propriam ὕλην ſeu adaquatam materiam, qua non niſi uni forma ſubjicitur & cum hac ſimul eſt & ſimul interit.* Et ibidem paulo poſt. *Etſi verum ſit, formas, anima humana excepta, planè ſeparabiles à materia non eſſe, tamen una cum ſubjecta materia parte arctius cohærere, quam cum aliâ & in unâ peculiariter ſaltem conſiſtere poſſe, cum ex aliis tum ex plantis multis patet.* Idem D. Sennertus lib. de Chym. cum Galen. conſ. & diſſ. cap. 9. fol. 225. inquit: *Forma rerum naturalium nuſquam ſunt, niſi in ſua ſpeciei individuis, & per ea cuſtodiuntur & propagantur:* ubi igitur forma ſcarabæi actu eſt in equo vivo, actu in cadavere, actu in ſterquilinio? pudeat contradictionum & abſurditatum.

XLVIII. Altera ratio ex Scaligero venit exercit. 17. ubi inquit: *Manifeſtum eſt, materiam à formâ & à materiâ formam aliquid accipere, ut ex utraque fiat hoc aliquid & per ſe unum. Æquè enim deſinit eſſe forma hæc, ſi materia deſinat eſſe ſub ea, atque materia deſinat eſſe materia hæc, ſi forma abeat.*

XLIX. Tertia deprompta eſt ex ſacrarum literarum oraculis cap. 1. Geneſ. ubi ſolidè docetur, *omnium plantarum & animalium, excepta humana, formas ex elementari materia productas eſſe.* Quales vero prima creatione omnipotens majeſtas produxit, tales ſpecie & eſſentia per jugem generationem propagari ad mundi exitum voluit. Non enim per generatio-

nem

nem aliæ formarum eſſentiæ fiunt & propagantur, quam quales ab initio erant conditæ. Quod & ex D. Sennerti opinione ſequi neceſſum eſt, cum ſtatuit per diviſionem formas propagari. Eæ enim quæ & quales initiò conditæ ſunt, tales primò ad generationem & ſic porrò in omnem mundi durationem diviſæ & dividendæ forent. Vndè primò apparet pulcherrima veteris philoſophiæ cum ſacrarum literarum hac in parte harmonia, nempe corruptibilium rerum formas ſecundum eſſe & ſecundum fieri dependere à materia. Secundò quod uti illæ, quæ ex potentia materiæ non ſunt eductæ, ſine omni materia ſuam eſſentiam tueri poſſunt; ita has, quæ ex eadem ortæ ſunt, idque ex certa peculiari (non enim quævis ex qualibet educitur) ſuoque modo conſtituta & comparata, quam & propriam & ultimatam eſſe neceſſe eſt, ſine hac nec eſſe, nec exſiſtere, imò malè diſpoſita nec amplius ineſſe, nec alibi ſupereſſe poſſe, tantum abeſt, quod pereunte & diſſoluta amplius èxſiſtere queant. *Quod itaque, ſecundum eſſe & ſecundum fieri dependet à materia, id corrupta illa materiæ diſpoſitione, quâ mediante ex potentia materiæ ortum eſt, quaque durante conſervabatur, durabat & exſtabat, actu in illa materia, nec alibi exſiſtere vel ſupereſſe poteſt.*

L. Quarta ex Ariſtotele 2. de generat. animal. cap. 3. *Quorumcunque principiorum actio eſt corporea, illa ſine corpore exſiſtere eſt impoſſibile.* Vnde animam rationalem, quia præſtantiſſimam intelligendi & ratiocinandi actionem ſine organis corporeis exercet, ſine corpore & materiali ſubjecto exſiſtere & eſſentiam ſuam tueri, cæteras vero ſine materia nec exſiſtere nec eſſe nec alibi ſupereſſe poſſe concludunt.

LI. Ex

LI. Ex quibus quinta propullulat ratio, quod nulla ſubſtantia, quæ Philoſophis ſuo modo & reſpectu incompleta dicitur, per ſe ſeorſim & alia abſque alia exſiſtere, neque materia ſine forma, neque forma ſine propria ſua materia ſola & nuda ſtare queat. Etſi enim dicantur habere actum entitativum, (qui tamen uti dictum eſt, in actuum ordinem improprie venit,) quo ſunt entia, non tamen per hunc id habent, quod poſſint ſeorſim exſiſtere. Sed tales formæ, uti probatum eſt, ut exſiſtant, opus habent materia, eaque definita, ultimata & propria, & omnis materia ſua forma. Vt nihil ſit vanius & nugacius, quam dicere rem quampiam, ſeu materia ſeu forma ſit, per ſe ſeorſim exſiſtere poſſe per actum entitativum.

Forma proinde rei exſiſtentiam tribuit, quia materiam actuat, & facit hoc eſſe, ſubſtantiamque cum illa completam conſtituit. Vnde res ex duabus ſubſtantiis incompletis hoc habet, quod ſit una ſubſtantia completa & compoſita, & ex earundem unione propriam habeat exſiſtentiam. Quare forma non exſiſtit per ſe ſeorſim extra propriam ſuam materiam, cum qua conſtituit totum vel ſubſtantiam compoſitam, neque materia ſeorſim eſſe vel exſiſtere poteſt, ſed ex his natum compoſitum proprie exſiſtit ſeu exſiſtentiam habet. Res vero perit pereunte forma: forma intercidit, quia materia inepta fit pro ſuſtinenda forma, eaque pereat in illa diſpoſitio, qua mediante ex ejuſdem potentia educta erat & in eadem porro conſervabatur. Res cum perit reſolvitur in id, ex quo orta erat: Forma ex potentia materiæ originem duxit, proinde in illam revertitur.

Omnis

Omnis enim res corruptibilis, excepto homine, propriè perit, quia ejus perit forma, & non quia hæc ſeparatur ut anima rationalis, aut ſeorſim alioque actu entitativo exſiſtens divagetur aut hæreat, ſed quod corrumpatur. Non poteſt autem in nihilum corrumpi neque in aliud quam in id, ex quo orta erat, relabi: Neceſſariò itaque forma cum perit, in potentiam materia recidit. Et ſic nec ſeorſim & per ſe exſiſtere, nec à materia, à qua ſecundum eſſe & ſecundum fieri dependebat, ullo unquam tempore ita ſeparabilis erat, ut vel ſeorſim exſiſteret, vel pereuns in illam non recideret.

LII. Sed ad majorem rei declarationem, naturam & rationem formæ penitus inſpiciemus. Omnis forma rerum corruptibilium corruptibilis ſubſtantialiſque eſt actus primus. Actus primus eſt entelechia & perfectio: in hac itaque conſiſtit formæ eſſentia & entitas, & per illam definitur. Tolle à forma actum primum ſeu entelechiam, & ſimul auferes eſſentiam & entitatem, & ſic nullus ſupereſſe poteſt formæ actus entitativus, deſinente forma formalique ratione, qua ſola erat ens. Siquidem extra formalem rationem & formalitatem nulla formæ eſſentia eſt vel entitas, & ſic nullus ejus actus entitativus. Quale ens, talis eſſentia, & vice verſa.

LIII. Dictum eſt, rem ob id, quod habeat eſſentiam propriam, vel ſit ſubſtantialis, confeſtim non habere actum exſiſtendi. Actum exſiſtentiæ habent actus materiati & immateriati, In his non differt actus eſſentiæ ab actu exſiſtentiæ; Actus generalis multis communis non largitur exſiſtentiam: quod exſiſtentiæ rerum corruptioni ſunt obnoxiæ, eſſen-

tiæ non item; ſiquidem iis intereuntibus manent eſſentiæ perpetuæ. Nec quod res habet eſſentiam ſubſtantialem communem, ſubſiſtit, nec quod ſubſtantia incompleta ſit exſiſtere poteſt.

Formæ itaque materiatæ generales largiuntur eſſentiam, quæ eſt communis pluribus: quod enim homo eſt homo id habet ab humanitate, per quam cognatior eſt homini alii, quam leoni; & quod animal eſt, eo ipſo cognatior eſt leoni quam lapidi, & hoc habet ab animalitate. Humanitas vero vel homineitas & animalitas ſunt actus reales & generici pluribus communes, non nudæ notiones & opera mentis noſtræ, ut garrit Ganymedes Sennertianus: Vltimatæ vero formæ dant exſiſtentiam; quæ impertiunt exſiſtentiam, eæ & ſingularitatem & individualitatem, materiæ & ſubjecto, cui inſunt: *Et eo differunt ab actibus immateriatis, in quibus eſſentia non poteſt eſſe abſque exſiſtentia.*

LIV. Formæ enim materiatæ non conſtituunt Individua vel ſingularia exſiſtentia, niſi per materiam vel ſubjectum, in & cum quo ſunt cauſa ſingularitatis, individuationis & exſiſtentiæ. Actus vero, in quibus exſiſtentia immediatè ſic fluit ab eſſentia, ut hæc ſine illa, & illa ſine hac eſſe nequeat, illi ſibimet ipſis ſunt actus, neque alii rei largiuntur eſſe (qua in parte animam rationalem ſemper exceptam volumus) neque eſſentiæ earum ratio in hoc conſiſtit, quod opus habeant materia quam actuent, ut ſint actus, vel exſiſtant, hoc eſt, actus rationem ex eo non acquirunt, quod materiæ largiuntur eſſentiam rei propriam, neque ab ea viciſſim accipiunt, ut eſſentiam ſuam tueri & exſiſtentiam conferre at-

que

que ipſæmet habere queant. Vnde ab omni materiæ conſortio liberæ exſiſtunt, & ſunt ſubſtantiæ ſpirituales, nulli corruptioni aut mutationi eſſetiali obnoxiæ. Quicunque verò actus ſunt tales, hoc eſt, ut ab omni materiæ conſortio vel planè ſint liberæ, vel ſalva ſpirituali ſua ſubſtantia inſtar animæ humanæ liberari poſſunt, hi quoque non tantum per ſe ſeorſim exſiſtere & eſſe queunt, ſed & ſunt incorruptibiles, & conſequenter æternæ & immortales.

L V. Actus vero materiatus corruptibilis in hoc habet eſſentiam propriam & rationem , & ex hoc conſequitur exſiſtentiam , quod ſit actus materiæ, ſeu eandem actuet, quâ ratione ritè conſideratur ut eſſentia & quidditas rei, ſeu quatenus dat eſſe, & per quam res eſt quod eſt. In illis quæ ſunt abjuncta à materia idem eſt prorſus quidditas , & id cujus eſt quidditas. In habentibus materiam diſtinguitur ratione quidditas ab eo , cujus eſt quidditas. Re ipſâ idem ſunt, ut docet Ariſtoteles lib. 7. Metaph. cont. 20. & 21. Nihil enim aliud eſt quidditas leonis, quam forma leonis in propria materia. Ex quibus liquet, duplicem eſſe quidditatem , ut inquit Cornelius Martinius in Metaphyſ. aliam, quæ nullam habeat conjunctam materiam, ſed omnis materiæ expers ſit, ut ſunt puri actus & genii; aut cum materia concreta, vel materiam ſimul continens, uti eſt quidditas eſſentiæ, λόγος rei materiatæ; utramque vocari formam. In illa quidditatem ab eâ re, cujus eſt quidditas, nihil differre, in hac non re ſed ratione differre. Vnde & apparet, quod formæ materiatæ eſſentia ſita ſit in hoc, quod ſit actus materiæ propriæ, quodque in eo ejus eſſentia & eſſentiæ ratio omnis conſi-

ſtit, quod materiæ largiatur eſſe hoc ipſum. Et ut materia, quæ eſt ens in potentia ex ſe neque eſſe hoc neque unitatem habet, ita actus eſt actuare, hoc eſt ſubjectum de potentia ad actum reducere & dare eſſe.

LVI. Forma proindè eſt entelechia & actus materiæ, quam ſic actuat & perficit, ut quæ erat ens in potentia per huncactum immediata perfectione fiat ens actu, & hoc aliquid, & ita cum illa certam conſtituat entis ſpeciem. Actus enim & potentia ſe ipſis uniuntur, ut figura & cera. Formæ itaque eſſentia conſiſtit in formali cauſalitate, ſeu in hoc, quod ſit cauſa formalis: cauſalitas in hoc, quod ſit actus & perfectio materiæ. Actus eſt primus vel ſecundus: Primus eſt entelechia & perfectio rei, quæ perfectio eſt ipſa formæ ratio & eſſentia, in qua omnis ejus conſiſtit entitas, adeò ut præter id, quod actuet & informet, ſeu quod ſit actus & forma materiæ, extra materiam nec eſſentiam nec entitatem habet, eamque nec abſolutam, ut angeli, nec abſolutam & ſimul reſpectivam ad materiam, ut anima rationalis.

LVII. Triplicis itaque ſunt generis actus: alii qui ab omni materia ſunt immunes, ut angeli. qui ſunt actus puri: alii materiati, quorum alii quidam materiam informant & actuant, ejuſque ſunt entelechia & perfectio, ſed ratio eſſentialis & entitas non conſiſtit in hoc, quod ſunt actus & perfectio materiæ, ſed quod etiam ſeparati à materia poſſint ſuam eſſentiam tueri, & ſint maneantque actus & eſſentiæ incorruptibiles, quales ſunt animæ rationales.

Tertii generis ſunt actus & formæ, quæ in hoc omnem eſſentiæ ſuę rationem & entitatem ſitam habent,

bent, quod ſint formæ & perfectiones materiæ, ſed tales, quod uti materia non poſſit exſiſtere & eſſe ſine his, ita hæ viciſſim ſine materia, cujus ſunt actus & perfectio, nec eſſentiam nec exſiſtentiam tueri queant, atque extra eam nec ſint, nec inveniantur, nec eſſe poſſint; niſi quis cum abſurditatum & novæ iſtius rancidæque & impiæ ſectæ magiſtris velit ſtatuere, formas rerum corruptibilium cum animabus noſtris cæteriſque angelicis formis eſſe incorruptibiles & exſiſtere, quatenus ſunt eſſentiæ & ſubſtantiæ. Secundum has enim ſunt cauſæ & formæ, ut ſubſtantiæ completæ vel incompletæ. Non completæ, quia ſic forent eſſentiæ ſpirituales, ut angeli & anima rationalis. Incompletarum vero ſubſtantiarum neutra per ſe ſeorſim & ſine alia exſiſtit, neque licet ens ſit, vel eſſentiam vel actum entitativum habeat, exſiſtere poſſit.

LVIII. Hæc omnia præclare confirmat D. Zanchius comment. in oper. ſextidui part. 3. lib. 2. cap. 2. ubi juxta veteris ſolidæque philoſophiæ invictam veritatem ita inquit: Cæterùm formarum ſubſtantialium duo ſunt genera; aliæ materiales, aliæ immateriales. Materiales ſunt, quæ quia per ſe non ſubſiſtunt, ſed tantum in compoſito, cujus ſunt formæ & actus: idcirco illarum eſſe ſic à materia, cujus ſunt actus, pendent, ut ab eâ ſeparari & per ſe ſubſiſtere, non poſſint: ſed ad corruptionem ſubjecti corrumpantur & ipſæ.

Proinde Philoſophi dicunt has eſſe conditiones formarum materialium: Prima, quod nunquam ſunt in actu, niſi cum ſint alicujus corporis actus ut anima formaque equi actu nihil eſt, niſi cum eſt forma

& actus talis corporis equini: Hinc ſequitur ſecunda, quod tales formæ non ſunt id, quod operatur, ſed tantum compoſitum, proinde organo ad operandum indigent. Neque enim anima equi propriè vivit aut ſentit, ſed eſt principium, quo equus ipſe vivit & ſentit. Neque forma ignis calefacit, ſed ignis per formam. Tertia eſt, quod ſint formæ limitatæ (ut loquuntur) & extenſæ ad limitationem & extenſionem ſubjecti; à quo tanquam à fundamento, quo ſuſtentantur, dependent.

LIX. Contrà formæ immateriales ſunt & dicuntur, quæ non ſolum actus ſunt alicujus corporis, ſed etiam actu per ſe ſunt & ſubſiſtunt: ac proinde ab illa materia, cujus ſunt actus & formæ, ſeparari poſſunt & per ſe ſubſiſtere. Vnde fit ut cum ſunt actus alicujus corporis, non ſolum ſint principium, quo compoſitum dicitur operari: ſed etiam ipſæ operentur. Et ſic Ariſtoteles 3. de anima, definit de anima humana quod ipſa anima ſapiat & intelligat, & non ſolum homo per animam. *Vtrumque enim verum eſt, & quod homo intelligat per animam; & quod anima ipſa intelligat.* Proinde etiam ſequitur, has formas non eſſe ita materiæ ſuæ, hoc eſt ſuis corporibus, alligatas, quin ab eis & per ſe poſſint abeſſe, & per ſe operari. Non enim à corporibus ſuſtentantur, ſed illa potius ipſæ ſuſtentant. *Atque hæc eſt cauſa cur immateriales appellantur, quia ſicut à materia, cujus ſunt formæ, non habent, ut ſint & operentur, ſic etiam ab illa non pendent nec ſuſtentantur, quin ſeparari poſſint & per ſe ſubſiſtere ac operari.*

His

His pro re natâ conſideratis & cribratis, proximum eſt ut de vita agamus, & quid illa ſit & in quo conſiſtat expendamus.

LX. Vita conſideratur ut eſt creatoris, aut creaturæ. Ille ex ſe ipſo eſt, & vivit, & eſt ipſa vita. Ex illo, in illo & per illum ſunt omnia. Vivo, ego inquit: Ipſe eſt via, vita & veritas: In ipſo erat vita, & vita erat lux hominum, &c.

Creaturæ omnes, uti omnipotentiâ & munificentiâ Creatoris, ſuam nactę ſunt in creatione eſſentiam, ab eoque dependent; ita & ex earum numero vitam habent aliæ, aliæ non habent.

LXI. Quæ vitam poſſident, ita illam habent, ut ſint mortales, vel immortales. Hæ ſunt eſſentiæ & ſubſtantiæ ſimplices & ſpirituales, uti angeli & anima rationalis.

LXII. Quæ vitam habent, ſed non perennem & æternitate donatam, ſuntque corruptibiles & mortales, ſunt ſubſtantiæ non ſimplices, ſed ex materia & forma compoſitæ, ſuntque animatæ, & beneficio animæ vitam obtinent.

LXIII. Animatæ ſunt viventia ſimpliciter, & animalia. Animalia ſunt rationalia vel bruta. Et hæc omnia vitam habent, actuque ſunt id, quod ſunt per animam. Atque ut cuilibet ſua eſt anima peculiaris, veluti viventibus vegetativa, quâ ſunt, & vivunt, & opera vitalia exercent; & brutis ſenſitiva, quâ non ſolum vivunt, ſed & ſenſitivæ animæ facultates exteriores & interiores obtinent, ejuſdemque munia exercent; & homini rationalis, qua vivit, ſentit & in-

 telligit,

telligit, & à cæteris diſtinguitur; ita non triplices vel tres animæ ſunt in homine, neque duæ in brutis, ſed prout ſecunda præſtantior eſt primâ, & tertia his duabus longè nobilior, ita ſecunda potentias facultateſque primæ, & tertia ſecundæ primæque longè excellentius obtinet. Præſtantior itaque illa eſt in ſuo genere vita, quæ ab anima rationali, quam quæ à ſenſitiva aut purè vegetativa eſt.

LXIV. Ineſt itaque omnibus vita per animam, & ideò definitur, quod ſit actus animæ: non verò eſt actus primus, ſed ſecundus in animatis. Secundus dependet à primo, neque poteſt actus dari ſecundus, niſi præceſſerit primus, qui ſecundi cauſa eſt.

Actus primi ratio in hoc conſiſtit, quod ſit entelechia & perfectio corporis organici, potentiâ vitam habentis. Quare ad vitam requiruntur, ipſe actus primus, qui eſt anima; & corpus organicum potentiâ vitam habens, hoc eſt ita conſtitutum, ut juxta organorum debitam ſtructuram & ſufficientiam, juſtamque totius organorumque temperiem, animæ, quo ad informationem, qua id perficit, & in certo Entis genere collocat, & quo ad operationes neceſſarias, conveniens ſubjectum eſſe queat. Vita proinde dependet ab anima, & eſt in corpore per conjunctionem & informationem animæ, quæ ſubjectum perficit, & ſic eſt actus animæ, quem exercet per organa & temperiem eorundem.

LXV. Omne verò vivens, vel ſic eſt vitale, ut morti ſit obnoxium, vel ut ſit immortale, viventia mortalitati obnoxia ſunt ſimpliciter viventia, vel animalia; & hæc vel bruta, vel rationalia. Illa, videlicet

cet ſimpliciter viventia & bruta, ſecundum formam & materiam interitui ſunt obnoxia, & idcirco prorſus & tota mortalia. Alia ſecundum alteram partem ſui, videlicet animam & formam ſunt immortalia.

Cum itaque vita ſit actus animæ, & brutorum ſimpliciterque viventium animæ ſint mortales & corruptibiles, ſequitur quod vita ſit non minus actus animæ mortalis ac perituræ, atque animæ immortalis.

LXVI. Ad cujus ſententiæ pleniorem intellectum tenendum, quaſdam eſſentias ſic eſſe materiæ immerſas, ut tamen extra eas ſubſiſtere & operari poſſint: in quarum numero eſt anima rationalis, teſte ipſo D. Senn. lib. 8. Epitom. ſcient. natur. c. 1. fol. 588. quam à corpore ſine corruptione poſſe ſeparari pluribus ibi demonſtrat: unde ſequitur, cæteras ita materiæ immerſas eſſe ut ab eâ ſine corruptione ſeparari nequeant, & ad materiæ corruptionem neceſſariò unà pereant, ut idem Doct. in inſtitut. lib. 5. cap. 2. veluti ſuperius ejus verba allegata & recitata ſunt, teſtatur.

LXVII. Iuxta Ariſtotelem verò illa eſſentia, quæ dum formæ munus obit in materia vel ſubjecto, nobiliſſimas actiones perficit ſine organis, illius quod informat corporis, adeoque dum animat, dum informat, quaſdam actiones edit organicas, quaſdam inorganicas: illa, inquam, uti ſine organo operari, ita abſque ejus corpore exſiſtere & eſſe & eſſentiam tueri poteſt. *Quod enim operari poteſt ſine corpore, id etiam ſine corpore exſiſtere poteſt: dein, operari ſequitur eſſe; & qualis operatio, talis neceſſariò eſt eſſentia.*

 Si

Si operatio ſit ſpiritualis, ſeu ſit ſpiritualiter ſine inſtrumento materiali,pureque hoc pacto immaterialis eſt, neceſſum eſt ut ipſa eſſentia, à qua perficitur, ſit ſpiritualis. Vnde Ariſtoteles 4.*de gen.animal.cap.3.* *concludit, omnes animas excepta humana eſſe materiales & mortales: quia cum operatio ſequatur eſſe, ſi omnis operatio formæ eſt materialis, ipſum ejus eſſe erit materiale.* Quod latè probat Philopon. in proæmio libri de anima, & Beſarion Patriarcha Conſtantinopolitanus lib.2.contra calumniatorem Platonis cap.7. & Marſil.Ficin.de immortal.anim. lib.5.& porrò Zabarell. Picolhom. Conimbricenſ.&c.

LXVIII. Anima rationalis nullam habet dependentiam à materia quo ad eſſe, neque quo ad ſubſiſtere, & in edendis nobiliſſimis operationibus non utitur organis corporis,quæ omnia variis in locis Ariſtoteles & præcipuè lib.3.de anim. text. 13. & aliis locis ex actionibus demonſtrat, Nam anima,quæ in operando à corpore non pendet, ea neque pendebit in eſſendo: *quia eſſe propter operari, & operari eſt ſecundum eſſe.* Operatio verò non pendet à corpore ; illa nempe operatio, quæ eſt *intellectus.* Ex eodem fonte demonſtratur animam rationalem ſalva ſua ſubſtantia à corpore eſſe ſeparabilem , & ſeorſim exſiſtere poſſe: Nam quod per ſe poteſt operari, per ſe etiam poteſt exſiſtere; & quod per ſe operatur, per ſe ſubſiſtit. *Non enim eſt operari*(ut inquit Toletus)*niſi entis in actu, & actiones ſunt ſubſiſtentium.*

E contrario rectè & infallibili conſequentia concluditur, quod iſtæ animæ, quarum actiones omnes ſunt materiatæ & organicæ,etiam ſint materiales, & à poteſtate materia

teriæ educantur, ſeu pendeant ab illa ſecundum eſſe & ſecundum fieri.

LXIX. *Ut itaque quo ad eſſentiam ex potentia materiæ ortæ ſunt, ita nec ſalva ſua eſſentia ab ea ſeparantur, neque extra eam ſubſiſtere, nec operari poſſunt: Et veluti anima rationalis ſic informat materiam, ut eam ſuſtineat & contineat, & ideò extra eam exſiſtere poſſit; ita animæ & formæ reliquæ materiales ita dependent à materia, ut ab hac contineantur & ſine hac ſubſiſtere nequeant.*

Et uti nulla forma, excepta humana, vel nulla ſubſtantia propriè incompleta operatur niſi per organa, & nulla ad operandum uſurpat organa, niſi quæ informat & quorum actus eſt primus; ita nulla ſubſtantia completa operatur & eſt efficax niſi per organa diſpoſita eorumque qualitates, quæ proxima ſunt ſubſtantiarum inſtrumenta. Ex quibus denuò patet vanitas & abſurditas fabulamenti iſtius de formis, actu entitativo exſiſtentibus, ſeu in ſemine ante generationem animalis, & ex iis ſibi corpus fabricantibus, ſeu poſt interitum ejus alibi degentibus, qualiter animæ ſcarabæorum actu illis degunt in ſterquiliniis, aut habitant in cadaveribus, vel quatenus remeant ad ſua corpora ut cadavera revivificent, & quod amplius eſt iſtius generis nugarum.

LXX. Sunt itaque actus materiati alii immortales & incorruptibiles, verùm ita materiati, ut ſint immateriales: alii verò materiati & materiales & corruptibiles, quia non immateriales. Etſi verò quidam actus ſunt corruptibiles, & quidam incorruptibiles, tamen omnes res ſublunares, quæ per actionem horum actuum generantur, ſunt corruptioni obnoxiæ.

LXXI. Res autem iſtæ omnes primò ſunt corru-

ptibiles propter materiam & corrumpuntur propter hanc vel totæ & ſecundum utramque partem, videlicet juxta materiam & formam, vel ſecundum materiam tantùm. *Talis enim reſpectus inter materiam & formam mutuus, ut hæc non niſi in propria poſſit eſſe materia*, quæ proprietas in peculiari materiæ ad ſuam peculiarem formam recipiendam & ſervandam diſpoſitione conſiſtit, qua pereunte deſinit materia iſtius formæ eſſe propria, vel pro eâ ſervandâ ſatis eſſe diſpoſita, adeò ut forma ſive ea ſit corruptibilis ſive incorruptibilis, amplius cum materia eſſe nequeat.

LXXII. Quæcunque forma dependentiam non habet ſecundum eſſe, & ſecundum fieri à materia, illa, pereunte materia, ſalva ſua eſſentia ab ea ſeparatur, eſt, exſiſtit & vivit, ut anima rationalis. Quæcunque verò habet eſſe dependens à materia, eandem corrupta materia prorſus corrumpi neceſſe eſt.

LXXIII. Formæ corruptibiles ſunt animatorum vel inanimatorum. Inanimatorum corruptio vel eſt cum nova generatione conjuncta, vel eſt reſolutio in ſua principia materialia. Hæc putredo dicitur, & accidit rebus quatenus miſta, qua de re poſtea latius.[a] Animatorum corruptio mors dicitur; & ratione cauſæ inſtrumentalis per exſtinctionem caloris nativi *κατὰ σβήσιν* & *κατὰ μάρανσιν* pereuntis definitur.

LXXIV. Cum verò alia ſit vita animatorum, & alia animæ rationalis, & omnis vita animati & animantis ſit ab anima, quærendum, an una utriuſque vitæ ratio, & quomodo inſit animæ, vel quomodo

ſit

[a] *Mors quid ſit.*

ſit ab anima & actus animæ. Anima rationalis dupliciter conſideratur, primò ut eſt energia & actus purus per ſe ſubſiſtens extra materiam, & ſic eſt ἐνέργεια & actus ſui ipſius ſeu in ſeipſo; & ſic omnis operatio animæ idem quid eſt cum ipſa animæ eſſentia, nihilque differt operatio animæ ab ipſa ejus ſubſtantia, unde & facultates animæ ſunt Ariſtoteli ipſa anima. Hac ratione vita eſt animæ eſſentialis, vitæque actus eſt ipſa animæ eſſentia; & hæc vita uti eſt animæ eſſentia, ita ſive in corpore ſit, ſive ab eo ſeparata ſeorſim ſit, eſt & manet in & cum anima; Et hoc modo anima rationalis convenit cum puris geniorum angelorumque naturis.

LXXVII. Secundò conſideratur anima rationalis non ut eſt pura ἐνέργεια & actus ſui ipſius, ſed ut eſt ἐντελέχεια & perfectio corporis organici: qua ratione eſt actus primus, & cauſa actus ſecundi. Quatenus eſt actus primus & ἐντελέχεια, eſſe hominis largitur hominemque conſtituit, facitque ut corpus organicum, quod potentiâ erat homo, actu fiat homo, *quia actuare eſt dare eſſe & potentialitatem tollere; & quod potentiâ vitam habebat, actu jam vivat. Omnis vero actio animantis in genere eſt ab anima:* ipſa enim partem extra partem non habet, & tota eſt in toto quod informat, & qualibet parte tota, agitque pro differentia & ratione partium, adeò ut ſi oculus foret in pede, viſio fieret in pede, & ſi ſenex oculum juvenis haberet, videret ut juvenis; *Actionum ſpecies ſunt ab organis*, quia anima viſionem perficit mediante oculo, & ambulationem per pedes; vitam verò primò mediante corde ejuſque temperie & apparatu inſtrumentali, uti ſupra

ſupra monſtratum eſt; *Bonitas actionis eſt ab organi debita ſtructura & temperie.*

Omnes autem hæ actiones, quæ ab anima rationali mediantibus organis corporeis & materialibus perficiuntur, peſſum eunte materia, in qua erat potentia tam prima ad actum primum, quàm ſecunda ad actum ſecundum, unà intercidunt, ſuperſtite quidem ipſa anima: unde fit quod propter ſeparationem animæ rationalis iſtæ potentiæ ad actum, & facultates ad actiones, quas corpus organicè obtinebat ex informatione animæ, pereant, omniſque intereidat actus ſecundus, manente actu primo quoad ſubſtantiam, uti eſt eſſentia ſpiritualis, non quo ad proprietatem & officium actus primi, quatenus erat ἐντελέχεια.

LXXVI. Ex quo apparet, quomodo vita hominis, quæ erat actus ſecundus ab anima humana, pereat, poſtquam anima deſinat eſſe actus primus corporis organici, unde mors ex diſſolutione animæ & corporis; & quomodo nihilominus anima vivat actu eſſentiali & ſpirituali ſeparata à corpore. Vnde Ariſtoteles quamvis ethnicus lib. 10. Ethic. cap. 7. & 8. *geminam ſtatuit vitam, unam quâ vivitur ſecundum compoſitum; alteram verò qua ſecundum mentem, & in hac ſecunda beatitudinem collocat: aitque curandum eſſe, ut hac vivamus, abjectis rerum mortalium curis.* Vide quomodo ethnicus ille *menti immortalitatem, non beſtiarum animis* eandem per actum entitativum tribuat.

LXXVII. Cæterum illæ animæ, quarum eſſentia & ratio in hoc tota eſt, quod ſint ἐντελέχεια & actus primi corporum organicorum, & pra ter quam, quod ſunt formæ, extra rationem formalem non ſint ſpiri-

ſpirituales eſſentiæ; hæ quidem id commune habent cum animabus rationalibus, quod ut illæ ſint actus primi, ſintque perfectio corporis organici, ac mediante informatione & perfectione totius & organorum omnium producant actum ſecundum, qualis eſt vita excitata in corde & ex hoc in toto, & viſio in oculo &c. Verum quia ex poteſtate materiæ ſunt ortæ, & ab hac dependentiam ſuam habent, neque ſalvis eſſentiis ſeparari, neque exſiſtere aut per ſe durare poſſint, neceſſariò cum ſua materia pereunt, ut ipſe D. Sennert. lib. 5. inſtitut. p. I. ſ. I. c. 2. abundè teſtatur. Quin imò ſi per ſe exſiſterent extra materiam, oporteret eas eſſe ſpirituales & immortales, & actus immateriales, quarum operatio à ſubſtantia non differret, & actus vitalis ipſaque vita foret ipſa earundem eſſentia, juxta quam pares eſſent animæ rationali & angelis. Quæ opinio non ſaltem abſurdiſſima, ſed in Chriſtianam fidem blaſphema & hæretica eſt.

LXXVIII. Cum itaque non ſint eſſentiæ ſpirituales, quia nulla uſquam datur forma materiata, quæ à materia propria ſeparata exſiſtere poſſit, quin ſit ſpiritualis & immortalis, has rerum corruptibilium formas, cum deſinunt eſſe perfectivæ & informantes materiæ, propter ejuſdem pro iis ampliùs ſuſtinendis impotentiam & inidoneitatem, interire neceſſe eſt. Qui interitus in animatis & animantibus mors dicitur; quare uti vita eſt ex conjunctione animæ cum corpore organico, quatenus illud informat, unde actus ille ſecundus, qui vita dicitur, quam anima exercet in corpore organico à ſe informato, per organa vitali operationi deſtinata & actionem caloris innati in humidum; cujus opera vitam in actu ſuo

ſuo ſecundo continuò conſervat, pariterque facit ut corpus organicum iſtam diſpoſitionem & temperiem vitalem, qua mediante ipſa anima in corpore animato conſervatur, quanto poſſibile ſit tempore ſervet & teneat: Vnde calor innatus vulgò dicitur vinculum animæ & corporis & reſpiciendo ad proximum animæ inſtrumentum, quo omnes actiones vitales naturaleſque efficit, & vita dicitur, ſtare ex actione caloris in humidum; ita mors oritur ex diſſociatione animæ cum corpore organico, qua deſinit eſſe forma, idque propter apparatum organorum corporis ad eam ineptitudinem redactam, ut non ampliùs commodum formæ vel animæ ſubjectum ad actum ſecundum, variaſque actus ſecundi operationes, & ad vitam tuendam neceſſarias, eſſe poſſit. Apparatus ille, ut ſupra prolixiùs demonſtratum in organica ſtructura & partium temperie, primariò verò in corde, ut officina facultatis vitalis & caloris vivifici, cujus miniſterio & actione vita continuatur, conſiſtit: qui calor, cum ſit animæ corporiſque vinculum, ſitque primum & proximum ejus inſtrumentum, quo vitales actiones perficit, & vitam operatur tueturque in toto, ſi pereat, anima nec operari nec ſupereſſe in corpore amplius poteſt: *unde veluti vita pendebat inſtrumentaliter ex actione caloris nativi in humidum, ita mors definitur vulgò per exſtinctionem caloris nativi.* Ex quibus omnibus ſatis apparet quid ſit vita, & è contrario mors.

LXXIX. *Iam quæritur, an animal ſemel mortuum idem numero per reditum formæ actu entitativo alibi vel ibidem exſiſtentis in corpus quod prius informavit & vivificavit,*

vificavit, reviviſcere poſſit naturaliter; & an hoc monſtroſo fabulamento, in eccleſiam & fidem Chriſtianam blaſphemo, beſtiarum & brutorum animarum actus entitativus & incorruptibilis & immortalis & quæinde oritur palingeneſia defendi poſſit.

LXXX. Id per naturam eſſe impoſſibile, tum ex parte animæ formæque, tum ex parte materiæ & inſtrumenti proximi ad vitam tuendam neceſſarii, demonſtratur. Ex parte animæ formæque beſtialis cæterarumque inanimatarum formæ, quod eas omnes cum ſua materia perire & interire neceſſum ſit, quod ab eadem nec ſalva eſſentia ſeparari, neque per ſe exſiſtere & ſupereſſe poſſint, multò minus priſci corporis lares, ut illud informent & vivificent, repetere.

LXXXI. Ex parte inſtrumenti proprii calor ſpirituſq; innatus ſemel exſtinctus & diſſipatus, idē numero redire non poteſt, neque talis regigni in cadavere, qui ſervari & ſimilis omnino regenerari non poterat in vivo corpore, adeò ut vitam perpetim continuaret. *Vivit enim animal ex illo calore & humido, quod à primordiis naturæ inſitum eſt, & quamdiu id ſervari poteſt refectione convenienti, ſervatur vita*; cum verò paris integritatis & ſubſtantiæ reparari non poteſt, ſed magis magiſque etiam in vivo corpore licet continua nutritione reſtauratum, deficit, undè neceſſariò ſeneſcimus ſeu ſiccamur & refrigeramur, & naturaliter dein morimur: quomodo ulla naturæ aut animæ actione calor ille ſemel univerſimque exſtinctus ſpirituſque diſſipatus humidumque morte peſſumdatum reſtaurari poſſunt, cum in omni actione animæ proximum inſtrumentum

mentum & demiurgos ſit ille calor;illum verò uſurpare non poſſit,niſi corpus,cui ineſt,informavit:calor verò, qui ſit proximum animæ inſtrumentum,ſit exſtinctus, corpus autem cadaverale & peſſumdatum, nulla actio poſſet eſſe animæ,ſi ſupereſſet. *Materiam ſeu corpus ipſum quod attinet, periit omnis potentia tam ad actum primum recipiendi, quam ad actum ſecundum exercendum.*

LXXXII. Loquor verò hac vice de potentia formam recipiendi & ſervandi tantum. Ea conſiſtit in debita organorum ſtructura & compoſitione tùm inter ſe, tùm cujuſque propria,tum harum omnium & totius temperie juſta & pro vitâ continuanda neceſſaria: Hæc tum in corde, tum & ex hoc in toto ex actione & temperie caloris vitalis continuè refecti & conſervati, fundata erat, atque illa cum vitali calore exſtincto ſimul deleta eſt & peſſum iit. Organorum verò ſtructura, temperie ſic oblæſa, amplius integra eſſe nequit. Quæ enim aperta eſſe oportebat collabuntur, &c. & quomodo partes cadaveris ſervent debitam corpori viventi organorum conſtitutionem? quomodo ejus, quod ſemel factum eſt cadaver, partes rurſum fierent organa corporis viventis? Pudet tædetque in his examinandis tempus ulterius conſumere.

LXXXIII. *Demum à privatione tali, ubi ſimul tollatur potentia, non datur reditus ad habitum: eadem eſt ratio totius quæ partis.* Calor nativus exſtinctus in manu, affert perditionem totius ſubſtantiæ manus,nec datur regreſſus,ſed immedicabile vulnus enſe recidendum, ne pars ſincera trahatur. Potentia viſiva, ex diſpoſitione oculi in ſpiritu & calido innato oculoque

loquę ad actionem animę perficiendam determinato conſiſtens, ſi pereat, oritur immedicabilis cæcitas. Perit autem illa potentia tam ratione ſtructuræ organicæ, quàm temperiei. Vti itaque nullo molimine neque opera ulla humanitus calor nativus in parte corporis ſemel exſtinctus, reduci, accendi aut reſtitui poteſt, licet corpori vitali & per calorem viventi adhuc adhæreat; ita ſanè multò minùs in toto; *unde mortui nulla naturali virtute reſuſcitari poſſunt.* Philoſophorum verò Chriſtianorum hanc blaſphemiam deteſtantium hæ ſunt rationes. Quod mortuum eſt, id penitus eſt corruptum ſecundum animam (reſpective) & corpus, & id quod horum erat vinculum. Quod hoc modo corruptum, idem numero generari nequit, *quia nullum corpus naturaliter niſi ſemel generari poteſt. Cum enim res genita ſit terminus generationis, ſequitur ubi duæ ſunt generationes, ibi duas eſſe res genitas numero inter ſe differentes. Fieri autem non poteſt, ut una numero res, ſint duæ numero.*

Deinde *quod ſemel eſt corruptum, id nulla natura vi poteſt idem numero reſtaurari & renaſci, tametſi idem ſpecie poſſit.* Vnde reſurrectio mortuorum naturæ prorſus impoſſibilis eſſe ſtatuitur. Idem vero numero corpus aliquando ſecundum fidem catholicam & infallibilem reſurget: id quod fieri non poteſt niſi per palingeneſiam ſeu mutationem hyperphyſicam. Siquidem Deus ſine naturæ opera per omnipotentiam, quâ omnia in principio creavit, rurſus ex pulvere terræ corpora mortuorum eadem numero excitabit, & cum ſuis animabus uniet; & ſic ſingulos homines eadem numero eſſentia præditos reproducet. Hactenus illi.

LXXXIV. Devolvimur nunc ad exempla, quibus ineptas iſtas de actu entitativo & hujus operâ factæ palingeneſiæ abſurditates comprobare moliuntur. Stultæ regulæ, ſtulta vel ſtultè & ineptè applicata ſunt exempla.

Primum eſt, muſcas ſemimortuas, hyeme poſt tabulas aut circa ædium cloacas deliteſcere, & verno tempore quaſi reviviſcere: *Secundum* eſt, hirundines repertas eſſe *mortuas*, quas cum aliis inſectis & avibus per hiemem *intermotuis* verno tempore reviviſcere adſtruit. *Tertium* eſt de ranis, quas quaſi mortuas in limis terrarum latitare, & verno tempore ſuſcitatas magno agmine prodire aſſerit. Hæc ſunt pulchra illa exempla. quibus vult probare, dari actum formarum entitativum, hoc eſt exſiſtere formas rerum corruptibilium, etſi non informent, neque ſint ἐντελέχεια & perfectio materiæ propriæ, cujus rei abſurditatem & falſitatem ſupra demonſtravimus.

LXXXV. Exempla quod attinet, videat candidus lector, quàm trepidè & ambiguè nugator iſte loquatur. Muſcas dicit eſſe ſemimortuas, ranas quaſi mortuas & hirundines mortuas. Quod verè mortuum eſt per ſeparationem animæ à corpore & exſtinctionem calidi nativi, illud nulla naturæ vi ad vitam reduci poſſe demonſtratum eſt. Semimortuum aliquid eſſe, impropriè & ex vulgi ſtupiditate dicitur, neque philoſopho digna vox eſt. Mors enim, quæ eſt ſeparatio animæ à corpore, non fit per partes aut gradus & ſucceſſivè; & exſtinctio calidi nativi, quæ parili contingit modo, accidit in momento, adeò ut nihil ſit propriè ſemimortuum. Etſi enim flammula calidi innati ſit exigua, & actio vitalis

vitalis perficiatur languidè, adeò etiam ut ad ſenſum quod fit in hyſtericis & ranis in terra per hyemem deliteſcentibus aliiſque animalibus, quæ vulgus. Ideò mortua eſſe putat, non appareat; non tamen vel mortua vel ſemimortua propriè dicenda ſunt. *Nec enim moriens quiſpiam vivit, nec vivens moritur quia mors in momento contingit, uti vera corruptio, eique contraria generatio.*

LXXXVI. Vbi notandum, quàm ſtultè & ineptè effutiat D. Sennert. per ſuum Subornatum in tractatu de form. orig. fol. 115. quod quia non deprehendatur actus formalis, aut ſi quis ſit, eum exiguum eſſe oporteat, in iſtis animalibus mortuis & ſemimortuis, ſequi, quod neceſſariò ſit dandus actus formæ entitativus. Turpiſſima ſanè hic committitur confuſio actus primi & ſecundi. *Actus enim primus ſeu formativus aut informans, non ſentitur niſi per actum ſecundum, hoc eſt per operationes.* Actus ſecundus etiam ſi adeò ſit exiguus & debilis ut ad ſenſum vix appareat, velut in apoplecticis, ſyncopaticis, hyſtericis & animalibus iſtis recenſitis videre eſt non tamen actum primum eſſe abolitum, vel animam receſſiſſe, unde mors aboritur, indicio eſt. Multò minus cum barbaris iſtis garriendum, aliquid, licet exiguum, de actu formali poſſe ſupereſſe, *quia anima nec per partem ſucceſſivè informare incipit, neque ſucceſſivè & per partes recedit & informare deſinit.*

LXXXVII. Actus itaque primus & informans primò non ſentitur niſi per ſecundum, ideo tamen abeſſe dicendus non eſt, quod non ſentitur ſecundus, neq; præſẽtia actus formativi integra vel partialis ex

 opera-

operatione vel actu ſecundo debili vel pleniore æſtimanda: quod & cum debiliſſimo actu ſecundo nihilominus totus neceſſario inſit: neq; ejus abſentiam, unde vera mors peculiariter & propriè oboritur, denotat ad ſenſum non apparens actus ſecundus, & operatio tam exilis, ut vix vel ferè prorſus non deprehendatur, cum nec hyſterica, ſyncopaticus, apoplecticus, ſi ad ſe redeant, è mortuis reſurgere aut reviviſcere dicatur, etiamſi nulla planè amplius adfuerit, vel ad ſenſum nulla apparuerit reſpiratio & operatio ſeu actus ſecundus. Vnde Galenus lib. 6. de loc. aff. cap. 5. cum Heraclide Pontico per experientiam edoctus, dari ſuffocationes ex utero tales, in quibus ſublata omni reſpiratione mulieres à mortuis nihil differre videantur, eleganter inquirit, quomodò fieri poſſit, *ut homo non reſpiret & tamen vivat, quando vitam à reſpiratione & reſpirationem à vita abeſſe impoſſibile, & ſpirantem non vivere & viventem non reſpirare abſurdum ſit.* Quam difficultatem ut diluat, ait, calorem in hyſtricis exiguum, qui tamen vitæ retinendæ adhuc ſufficit, ceſſante actu reſpirandi, conſervari tranſpiratione, non aliter atque uſu venit animalibus terræ latebris aut alibi abditis; è quibus ſi placet, ranam tempore hyberno dum è terra ſuffodias, marcidam omninoque ad ſenſum mortuam videbis: at ſi in aquam mediocriter calentem injicias, continuò moveri & quaſi reviviſcere animadvertas; quam tamen nemo ſapiens aut mortuam fuiſſe, aut ex morte in vitam rediiſſe prædicabit,. multò minus per animæ, corpus informantis, à corpore ſolutionem vel receſſum & actu entitativo interim vel alibi ſuperſtitis reditum in corpus reviviſcere, comminiſcetur:

tantum

tantum abeſt; quod animas ranarum; hirundinum vel muſcarum eſſentias actu entitativo, à corpore, inſtar animæ humanę à corporibus ſeparari, & ſeparatas exſiſtere poſſe, inde probare annixi ſint. Cujus tamen pudendi & veſani dogmatis defenſionem, hos abſurditatum & impudentiæ profeſſores ſuſcipere, atque mendaciis, fraudibus & calumniis palliare & ſcholis obtrudere non pudet.

LXXXVI. Ex his porrò liquet, quid ſentiendum ſit de iis diſtinctionibus, quibus probare annititur, animam eſſe in ſemine. Duas ponit in lib. de format. orig. fol. 115. & tertiam fol. 265. quæ cum ſint contra ipſius naturæ, & veteris, veræ ſanæque philoſophiæ fundamenta, & vertiginoſi atq; inepturientis cerebri frivola & frigida commenta, quâ impudenter adducuntur, eâdem rectiſſimè levitate repelluntur.

Sunt vero hæc: Prima eſt, animam in ſemine primò eſſe actu entitativo: Secunda, ineſſe etiam ei poſtea actu formativo; qui actus ſit duplex, formativus ſimpliciter & ſecundum quid. Actus formativus ſimpliciter rem ita conſtituit, ut poſito hoc actu ponatur ſpecies rei vel res ipſa. Secundum quid actus formativus materiam ad certam ſpeciem determinat. Species vero prout natura illam vult conſtitutam, nondum adeſt; ſeu conſtituit aliquid, ſed non id, quod natura ultimò intendit: edit operationes, ſed nondum tales, quales à ſpecie conſtitutâ natura efflagitat. Quod fol. ibid. 265. ſic explicat: Actum formalem ſecundum quid dici ratione partialis exercitii ſeu officii ſui: Simpliciter dici ratione totalis & plenarii uſus. Vnde elicit ratione totalis officii formæ ſubjectum eſſe corpus organicum, ratione partialis

eſſe ſemen. Pulchra me hercule diſtinctio : Miror quod non rideat Sennertus cum Subornatum videat hujus artificii & inventi applauſorem & magno conatu in aures juventutis incautæ talia proſeminantem. Sed hæc ad Lydium ſolidæ Philoſophiæ lapidem affricta lutum ſunt imo quiſquiliæ & ſiculis gerris vaniora. Siquidem contra naturam formæ ſit alibi informare, ubi non informat totum & totaliter: De natura enim formæ informantis eſt, ut ſit ἐντελέχεια & perfectio rei, quam informat. Forma dat eſſe rei, & nunquam partialiter informat, vel particulatim largitur eſſe, ſed vel nullum vel totum & perfectum largitur, nec facit, ut ſemen ex parte ſit animal, ex parte adhuc ſemen: & forma nullibi eſt neque eſſe vel exiſtere poteſt, niſi in materia ultima & propria & nulla uſquam alia, quod non eſt ſemen.

LXXXIX. Deinde reluctatur naturæ formali: forma enim non habet partem extra partem, & forma quatenus eſt actus primus & entelecheia, nunquam, ubi informat, partialiter & non totaliter informare poteſt. Vnde ſi daretur forma in aliqua re ut forma, neceſſariò illa res dicenda ſit illa ſpecies, quam forma conſtituit. Quæ neceſſitas coegit Scaligerum, ut ſemen canis coactus ſit fateri eſſe canem, ſed carentem articulationibus; & adſtruere, fieri generationem rerum (quod etiam non negat D. Sennertus) non cum ex ſemine fabricatur corpus, ſed cum generatur ſemen. Verum hi à ſuo magiſtro Scaligero in hoc diſcedunt, quod dicant, in ſemine etiam adhuc eſſe formam actu entitativo, ſive formativo neque ſemen eſſe rem ipſam ſeu ſpeciem;

quod

quodque primo illa forma inhærens actu entitativo, actione partiali informativâ determinet materiam ad ſpeciem (& ſic generatio eſt in fieri & motu ſucceſſivo ; quod abſurdum) dein magis magiſque & plenius cum tempore in formando effigiat & abſolvat materiam.

XC. Tertiò repugnat rerum generationi hæc diſtinctio: fit enim generatio per formæ introductionem; illa vero non ſucceſſivè introducitur, ita ut primus actus formativus ſecundum quid ſit determinatio materiæ ad ſpeciem , & pedetentim plenior ſequatur actio actus informativi ſeu formæ informantis, donec ultima totalis perficiatur actio, quâ conſtituatur ipſa demum ſpecies. Deinde falſum eſt quod dicit , formativum actum ponere ſpeciem ſine re, quia ſpecies nullibi eſt niſi in re perfectâ. Actus formalis nunquam actuat partialiter vel ſecundũ quid, ſed de natura ejus eſt quod ſemper perfectè & plenè actuet. Generatio itaque & corruptio Phyſica uti pendet ab introductione & perditione formæ ſubſtantialis, & ea fit in momento, quia forma ſit indiviſibilis, ita actus informans, qui eſt actus primus, non introducitur ſucceſſivè & pedetentim, adeo ut primò informet & agat particulariter deindè totaliter. Vnde Ariſtot. pluribus in locis & ſignificanter ait lib.6.phyſ.auſcult.cap.5. *Id quod corruptum & generatum eſt, in momento eſt generatum & corruptum.*

XCI. Sed ut paucis rem totam declaremus: formæ nullus eſt actus quam primus & ſecundus. Actus primus, quatenus eſt actus primus, *eſt ipſa rei entelechia & perfectio , ita ut informatio non poſſit eſſe ſine perfectione & perfectio ſine informatione , atque*

in hac entelechia tota formæ ratio & eſſentia conſiſtit, ut ſuperius probatum eſt. Vanum itaque abſurdum & barbarum eſt, fingere, formam actu formativo (omnis vero actus formativus eſt actus primus) primò determinare materiam ad ſpeciem, & ſic partialiter agere partialiterque informare, deinde pedetentim procedere; donec totaliter agat, & ſe totam in materiam informando inſinuet, ut plenè & totaliter informet materiam, demumque ſpeciem conſtituat.

Et quid multis? *Tota hæc fanatica opinio, & hæ futiles diſtinctiones pendent à falſis duobus & abſurdis principiis. Primum eſt, quod forma rerum corruptibilium poſſit per ſe exſiſtere actu entitativo. Secundum, quod eadem ſit proprii ſui domicilii architecta & fabricatrix.*

XCII. Nullum dari actum formarum materialium entitativum ſatis ſuperque probatum eſt: Ergo neq; in ſemine hoc actu eſſe poſſunt, ut illi adſtruũt. Priuſquàm enim operentur in ſemen ipſi ineſſe neceſſe eſt. Nõ vero ineſt ei actu primo & informativo, alioquin ſemen jam eſſet ſpecies rei actu primo generandæ. Ergo actu entitativo inerit: ſed actus entitativus non datur; ergo nec operatio in ſemen.

Deinde omnis actus formarum, uti dictum, eſt primus vel ſecundus. Nullus datur actus primus præter perfectionem & ἐντελέχειαν, in qua eſſentia formæ materialis & materiatæ conſiſtit. Actus ſecundus formarum materialium nullus eſt, quin ſit organicus. Anima enim vel forma materialis nullibi operatur niſi per organa. Proinde falſum eſt, animam animantium agere in materiam, ut ex eâ conficiat partes, & ex partibus totum corpus ſui domicilium.

Non

Non enim forma agit in materiam immediatè, ut figulus in lutum, vel per ſolas qualitates, uti calorem, ſine organis debitis, temperie legitima diſpoſitis, neque alibi exercet actus hos ſecundos, niſi ubi primò fuerit actus primus, *ut nunquam actus ſecundus præcedat primum*. Quod ipſe fateri cogitur, cum dicit fol. 80. in tract. de form. orig. *actionem eſſe ſuppoſitorum*. Quapropter anima actu entitativo ſi exſiſtat, nullibi operari poſſet. Deinde calor nativus nunquam eſt vinculum animæ & corporis, ubi anima non eſt actus primus & formativus totius. Vt lepidè Ganimedes nugatur cum fol. 266. dicat, calorem nativum in ſemine eſſe vinculum animæ & ſeminis, quia ſit vinculum animæ & corporis organici. Quæ hic conſequentia lepidiſſime nugator? anima eſt actus corporis organici, in quo calor nativus non conſtitueret vinculum, niſi tale, hoc eſt organicum, eſſet, non enim ad animæ formalem actus præſentiam ſufficit calidum innatum ubicunque ſit, niſi ſit in corpore organico. Alioquin in quolibet corpore animæ animantis vinculum eſſe poſſit. Quin imò non ſola diſpoſitio temperiei in corpore eſt vinculum animæ corporis, ſed ipſa organeitas (parcite mihi manes Ciceroniani) & ſtructuræ organicæ ratio æquale & tam neceſſarium eſt vinculum quam calidum innatum, cum utriuſque apparatus ad animæ receptionem & conſervationem in ſubjecto ſit neceſſarius.

XCIII. Sed hæc opinio, quod anima ſit ſui corporis architecta, ab ipſo D. Sennerto in phyſica ipſius refellitur. Miſtionem enim & generationem in tract. de Galen. cum Chym. conſ. & diſſ. fol. 349.

 parum

parum differre ait, animamque & formam eſſe architectam cujuſque rei, quod opera caloris & ſpiritus inſiti perficiat miſtionem, unde formetur illud formæ & animæ domicilium. In Phyſica ſua mihi lib.5.c.5.fol.230.inquit: primò produci formam miſtionis quam animam, & generationis miſti cauſam efficientem remotam eſſe cœlum; proximam vero duas qualitates activas, agentes in paſſivas, eiſque dominari & formam miſti è ſubjecti materia educere, quæ forma animæ loco ſubjecti ſit. Si itaque miſtio & generatio parum differant, nullaque rei generatio ſine miſtione fiat, ex mente D. Senn. lib. de Gal. cum Chym. conſ. & diſſenſ. c. 12. fol. 349. Et prius producatur forma miſtionis quam anima, certè anima quæ antè formam miſtionis, quam pro ſede accipit, non producitur neque producta fuit, neque advenit nec miſtionis nec per miſtionem ejus corporis architecta, cujus poſteà inhabitatrix & forma eſt, eſſe potuit.

An anima poſſit actu eſſe in ſemine & ibi operari.

XCIV. OMnes actiones animæ in animantibus ſunt organicæ, excepta ſola ratiocinatione quæ eſt inorganica actio in homine. Anima itaque non trahit, non coquit, non alterat, non generat ſine organis, iiſque legitimè diſpoſitis. *Eſt enim omnis actio in genere ab anima, ſpecies actionis ab organo, bonitas à cujuſcunque temperie & conſtitutione, verum his* organis non utitur ut faber ſerra vel ſecuri, ſed quatenus ejus corporis, cujus ſunt partes integrales,

grales, eſt forma. *Actiones enim ſunt compoſitorum non componentium.* Forma animalis tantum operatur iis organis, in quibus eſt quod ſit forma totius, ſic videt in oculo & coquit in hepate, vivificat in corde, quia his omnibus partibus, per id, quod totum informat, formaliter ineſt. *Nunquam enim eſt actus ſecundus ante primum:* actus autem primus eſt ipſa perfectio & entelecheia rei; rei *perfectionem ſequuntur actiones & operationes; ut res ſeſe habet in eſſe, ita in operari.* Hinc D. Senn. in Phyſic. lib. 6. cap. 1. mihi fol. 411. & verè & Ariſtotelicè & eleganter inquit. *Tenendum hic ex Ariſtotele actionem agentis non prodire à ſubjecto ſine forma, neque à forma ſine ſubjecto, alioquin ſubjectum & ejus forma duo eſſent in actu. Quod ſi actio fieri non poteſt a ſubjecto ſine forma, neque à forma ſine ſubjecto, multo minus ſine inſtrumentis ab opifice fieri poterit, è quibus ſequitur, ut actio fiat à compoſito ex materia & forma & inſtrumentis, ita totum compoſitum dicatur principium, ut Quod, cum ſit illud, quod agit; Forma vero principium ut Quo, cum agat. beneficio formæ; Inſtrumenta denique per Quod, cum per ipſa operetur.* Verumenimvero ex his omnibus ſequitur quod anima tantum non poſſit operari, ubi non eſt forma corporis, ſed etiam quod ſine corpore tali, cujus non ſit vel eſt forma, nec eſſe, & in vel cum nullo alio, quam ſuo corpore eſſe queat. Si enim in proprio corpore, cujus forma eſt, manere & durare non poteſt, niſi primo ſalvis ſuis organis, quoad numerum conformationemq; & cætera requiſita, ſimul ſumpta deinde quoad totius & organorum juſtam pro ſervanda anima & exercendis debitè actionibus temperiem legitimam, quæ in calido & humido potiſſimum

conſi-

conſiſtit; ſi, inquam animam à corpore proprio, cujus jam forma eſt deficientibus iſtis conditionibus rationalem decedere, brutalem perire neceſſe eſt, quomodo alibi eſſe poteſt, ubi nec informat, nec ſubjectum & *οἰκείαν ὕλην* obtinet. Etſi enim in ſemine dicatur eſſe temperies calida & humida, vel calidum innatum cum ſuo humido, tamen in tali non eſt illa ibi conditio eaque corporis organici ratio & temperiei proportio, menſura & gradus, qualis ad vitam & animæ præſentiam requiritur. Vita enim eſt actio in corpore organico ritè diſpoſito, ad quam ſervandam utitur corde quod eſt organon, cujus beneficio vivificat totum, vitamque conſervat. Neque poteſt anima ſine hoc organo *animalem dare vitam*, neque ſine ejus commoda quoad organum conſtitutione, neque quoad temperiem, diſpoſitionem eandem ſervare: ut enim ſervetur temperies, opus eſt tali organo, quod per motum trahere aërem & ſanguinem poſſit, ad ſui nutritionem & ſpirituum vitalium regenerationem, & temperiei debitæ conſervationem, quâ operâ ſi per momentum exiguum fruſtretur, temperiem vitalem extingui neceſſe; ſi enim à conſortio communis aëris per morbum cordis organicum in via ſecludatur caloris in corde flammula vitalis, derepentè illam extingui & animal mori videmus. Vt itaque nullibi anima in animalibus dictis poteſt dare vitam ſine organo, in quo facultatem ad vitam neceſſariam procreat, ad organum verò, ut officium debitè præſtet, requiritur juſta conformatio & temperies certa, nullibi anima vivificat ſine opera cordis, aut quod ei ad officium reſpondet & neque cor operari poteſt ſine debita ſtructura & temperie

conve-

convenienti. Vti enim anima non præſtat viſum niſi per oculum, nec ſenſum niſi per nervos, nullaſque in corpore operationes efficit, niſi per peculiaria organa, eaque ritè conſtituta, ita & vivificare non poteſt, niſi in corde & mediante corde aut eo quod cordis vicem ſupplet. *Tria itaque requiruntur ad operationes animæ, Primum eſt, quod anima operetur per nulla organa, quæ non ſint partes corporis illius, cujus anima reipſa eſt forma; Secundum, quod iſta organa neceſſariò quoad ſtructuram organicam oporteat eſſe rite conformata, & quoad temperiem debitè diſpoſita, quorum unum ſi deſit neque anima adeſſe, neque operari poteſt.*

XCV. Quæritur itaque an anima in ſemine eſſe & operari poſſit? Reſpondetur quod non, quia anima nullibi reperitur nec eſſe poteſt, niſi in corpore organico, quod informat, quod ſi eſſet, ubique eſſe queat, & foret omnis anima eſſentia ſpiritualis & immortalis: Neque vero in quolibet organico corpore eſſe poteſt, niſi proprio. Anima leonis aut aſini non poteſt eſſe in homine & contrà, ſic enim ſtatuere Pythagoricum eſt. Deinde non poteſt eſſe in corpore organico, niſi toto & organis, quorum merito vitam procreat & tuetur, ritè diſpoſitis. In his primarium eſt Cor, quod hac ratione & ſuo reſpectu primum eſt vivens, & ultimum moriens. Hujus opera anima ütitur ad vitam tuendam, unde Mors dicitur Galeno cordis ab actione ceſſatio. Actionis ejus integritas à conformatione pendet & temperie: talis vero temperies quæ ad vitam neceſſaria eſt defendi nequit, niſi in organo taliter conſtituto ut ſupra dictum, neque organon taliter operari poſſit, niſi tali temperie calidi & humidi nativi taliter perfuſum & inſtru-

inſtructum. Oritur enim mors per immodicas cordis intemperantias eodem dictante Galeno. Neque vero temperies licet calida & humida in quocunque membro vel parte etiam animata, apta eſt præſtare vitam & facultatem vitalem, ſed requiritur certa in certis organis, ut ſint officinæ facultatum & cauſæ operationum, idioſyncraſia (ſit calida & humida temperies in ventriculo chylificat, in hepate ſanguificat, non vivificat) unde & Averrhoes *dicebat actiones fieri à calore commenſurato;* Quare, licet in ſemine vel ſanguine ſit calor & humor & ſpiritus, tamen in hoc non eſt iſta temperies, quæ ad animalem vitam acquirendam vel tuendam eſt neceſſaria, neque enim vita poteſt ineſſe per calidum & humidum nativum, niſi prius inſit anima ut forma & actus primus, *vita enim eſt actus ſecundus, qui nullibi exercetur niſi ab anima & ubi illa fuerit actus primus.* Ergo in ſemine ubi anima illis fingitur eſſe actu entitativo, non poteſt eſſe inſtrumentum animæ: neque etiam commodum inſtrumentum, quia alia eſt idioſyncraſia calidi & humidi in corde per quam exercetur vita, quam in ſemine. Neque enim ſatis eſt eſſe calidum & humidum ibi: ſed ut vitale ſit & porrò maneat, quia eſt in perpetua conſumptione & fluore, debita aeratio & refectio & regeneratio ex aere & ſanguine ſubtili requiritur, *ejuſque in peculiari organo elaboratio, ut vitalem vim acquirat, quod in ſemine fieri nequit.* Et licet calor & ſpiritus innatus ſit in ſemine, ut id ad animæ præſentiam tuendam nihil facit (actus enim entitativus, quo ipſis anima eſt in ſemine, non requirit diſpoſitionem certam ſubjecti, ut inſit, poteſt enim anima ſcarabæi juxta illos eſſe tam in ſterquilinio,

linio, quam in cadavere equi & proprio ſemine, & ubi non?)ita frivole allegatur à ſubornato in tract.de form. orig. quod ſit vinculum animæ cum ſemine. Statuunt enim philoſophi, qui ſic ſentiunt (non enim omnes hic in una ſunt opinione) ibi eſſe vinculum animæ cum corpore, uti & revera eſt, ubi anima eſt forma corporis;quomodo enim ſubjecti qualitas aliqua & temperies & diſpoſitio pro alia ſervanda forma faciat, quam pro ſua propria. Diſpoſitio ſubjecti eſt formæ propriæ, non alterius in eodem conſervatio. Anima itaque nullibi eſſe poteſt niſi in corpore organico, & non in quolibet ſed proprio, neque in proprio,niſi & rite diſpoſito & debitè temperato, quæ temperatura certam habet latitudinem per omnes animalis ætates, cum qua animal vel ſanum eſſe poteſt; certa enim ad ſanitatem eſt latitudo,& certa cum qua ægrotare,ſed tamen vivere poſſit, & talis etiam cum qua nec vita nec anima in ſubjecto vel animali amplius eſſe queant. Anima itaque eſt cum tali temperatura, quæ eſt in organis & organico corpore, non in alia extra organicum corpus, per quam nec in ulla re, nec in ſemine, in quo præter hoc, quod non ſit organicum, nunquam talis temperatura dari poteſt, quæ ſit pro anima ſuſtinenda; quod enim ſeminis formæ temperamentum naturale & conveniens eſt, id extraneum eſt temperamento & diſpoſitioni ad animæ incolatum.

Sed ulterius alioque modo examinabimus hanc de animâ in ſemine opinionem.

XCVI. QVæſtio erat an anima ſit in ſemine: Hic Subornatus Sennerti à ſuo magiſtro vel ipſe Sennertus à ſeipſo ſub perſona Subornati diſſentit. Ait enim in tract. de form.orig.fol. 100.Non loquimur de ſemine prout in parentum teſticulis,vel etiam paraſtatis glandulosis hæret, ſed illud ſemen animam habere aſſerimus,quod in utero benè diſpoſito legitimè miſtum & ſuſcitatum eſt.

Contra Sennertus in tract.de Chym.cum Galen. conſ.& diſſ.cap.9.fol.212.aſſeverat ſemen quod mas in ſeſe generat, & in uterum fœminæ mittit, animâ non deſtitui: illud verò generat in teſticulis,& in his ac paraſtatis aſſervatur. Deinde ibidem fol.213. marem in ſe ipſo formam fœtus efficere concedit. Tertiò non poteſt forma propagari per ſemen genitoris, uti ſtatuit Sennertus capite allegato, niſi ſit in ſemine, neque cum ſemine aliquid animæ transferri, niſi fuerit in ſemine ante ſeparationem à corpore: atqui antequam ſepararetur erat in paraſtatis & teſticulis parentum. Quartò ait Sennertus,cum & ex Scaligero, fieri generationem arboris cum producit ſemen, non cum arbor ex ſemine pullulat: ergo formam arboris oportuit eſſe in ſemine, quia generatio eſt formæ productio. Quinto,D.Sennertus loco citato fol. 206.animam actu eſſe in ſemine affirmat, non quia in utero miſtum cum alio & ſuſcitatum: Quærit enim ibi, niſi actu inſit, à quo in actum ſit deducendum. Et demum, ſi ſemen ſit ἀπόσπασμα ſecundum animam

animam & corpus à generante,& formæ dividantur ad diviſionem ſubjecti, cum quo transferuntur, neceſſum eſt animam actu eſſe in ſemine, priuſquam in uterum infundatur.

Et demum quid ad rem faciant hæc inepta diverticula, cum poſtea formam eſſe in ſemine actu entitativo aſſeveret, quo actu tàm in ſemine hærente in paraſtatis & teſticulis, quàm in utero exſiſtente eſſe poſſit: quin imò non ſolum in ſemine,ſed & in cadavere exſiſtere poteſt, ut forma ſcarabæi in ſterquilinio & cadavere equi. Et ſi ſemen non habeat animam,cum eſt in teſtibus & paraſtatis parentum, ſed eandem conſequatur , cum aliud alii in utero miſtum,uteri facultate ſuſcitetur,neceſſum eſt animam vel è potentia materiæ educi, vel aliunde immitti.

Hic,Subornatus ſeſe ſuo magiſtro, aut ſe ſibimetipſi conciliet, & purget ſua ſcripta à contradictionibus, deinde pro viribus ſtatuminent ſuas falſimonias & veritatem nequicquam oppugnent.

XCVII. Sed cum ex Scaligero vanam iſtam opinionem de animâ in ſemine delibarit D. Sennertus, videamus porrò ipſum Scaligerum. Dixeram in theſi 26. diſputat. meæ de formar. orig. juxta Scaligerum, animam triplicis valdeque diverſæ materiæ eſſe informativam: primò forma geniti fuit forma generantis, à qua ad materiæ diviſionem ſeparata eſt: ſecundò forma ſeminis eadem illi eſt , quæ animalis ex ſemine naſcituri: Tertiò illa eadem eſt forma animalis ex ſemine nati. Fuit itaque eadem forma, quæ à forma genitoris diviſa eſt in ſemine, forma ſeminis juxta Scaligerum, & demum forma nati animalis ex ſemine.

Ad hanc abſurditatem cum reſpondere conatur veterator Subornatus in tract. de form. orig. fol. 258. Primò antiquam cantilenam accinit, videlicet eandem numero animam in generante nunquam fuiſſe; & ſic putidum ſophiſma reponit, nec elabitur: antequam ab anima genitoris (barbara veſtra opinione) diviſa fuit, una numero fuit. Eſt enim anima canis filii, dicente Scaligero, pars animæ patris ab eâ diviſa, ergo una numero fuit. Ad ſecundum oggannit; non fuiſſe formam ſeminis. Sed contrarium de ſuâ ſententiâ teſtimonium perhibet Scaliger exerc. 6. ſect. 7. dicendo: *Si eſt forma ſeminis eadem nunc, quæ poſtea futura eſt animalis, & quâ animal erit hoc, quod eſt, ſicut animal eſt actu animal per formam in actu, ita ſemen eſt actu ſemen per formam in actu.* Quid clarius dici poteſt? *Poſtea ſubdit, quia ſemen propter animal eſt, diciturque idcirco animal eſſe in potentiâ, ob eam cauſam forma ſeminis dicitur eſſe in potentia, quia eſt in potentia animal, ſed non ad ſemen.* Vnde liquet, quod per quam formam fuit actu ſemen, per eandem eſſe poſtea actu animal: atqui animal non eſt animal per formam actu entitativo ſed formativo; neque ſemen eſt ſemen, niſi per actum formativum. Apage igitur te cum miſello tuo ſyllogiſmo nihil ad rem faciente, nec reſponſione ulteriori digno.

XCVIII. Sed miſer iſte Scaliger nondum intellexit actum formarum entitativum: Quia enim duabus formis ſubſtantialibus ultimatis unam rem conſtare non poſſe norat, non audebat nec poterat, aliam ſtatuere & ponere formam informantem in ſemine, quam animalis è ſemine generandi: *unde poſtea ſemen canis non ineptè dici canem affirmat. Scaligero*

enim

enim abſurdum erat alibi eſſe formam corruptibilem, ubi non informet. Debuit itaque forma animalis ex ſemine nati fuiſſe etiam forma ſeminis. Quod ſi nunc reviviſceret Scaliger, & ex Sennertiano-paracelſica Philoſophia edoceretur de formarum actu entitativo, quam impenſe rideret, & plauderet.

Sed quia nulla forma ultimata ullam, quam propriam & ultimatam informat materiam, forma animalis non poteſt eſſe forma ſeminis, uti ex ipſo Sennerto jam ante demonſtratum eſt; neque anima eſt vel ullibi informat, ubi non eſt actus corporis organici; de quibus ſuperius uberius.

Reſtat igitur ut concludamus ex ſuperioribus, animam nequaquam eſſe vel eſſe poſſe in ſemine tam actu entitativo, quam formativo.

XCIX. Actuum entitativorum formarum, quos antea demonſtravimus nullos dari, novitii veteratores duplicem rationem ſtatuunt; aliam, qua ſunt actus entitativi ante generationem; aliam, qua poſt generationem. Anima actu entitativo ante generationem rei ipſis eſt in ſemine, quod ſi ita eſt, falſum dixit Scaliger, ſemen canis eſſe canem ſaltem articulationibus carentem, quia actus entitativus non conſtituit rem, niſi ſit planè formativus. Semen enim canis non poteſt dici canis, niſi forma canis informet ſemen: formæ præſentia non conſtituit rem niſi informet. Forma ſcarabæi, quæ ipſis actu entitativo eſſe poteſt in ſterquilinio, ſterquilinium non facit eſſe ſcarabæum. Anima actu entitativo ipſis ſupereſt & exſiſtit poſt rei corruptionem. Sed quo fine exſiſtunt & ſunt ſuperſtites animæ animantium? an ut remigrent ex aliis in alia corpora, ſic ſtatuitut me-

 tempſy-

tempſychoſis: an ut redeant in proprium, unde egreſſæ fuerunt? ſic aſſeritur Palyngeneſia: an ut veteri attrito, novum ſibi condant corpus? ſic res eadem numero, quæ fuit, redit, aſſumpto habitu novo & depoſito veteri. Rem autem, quæ ſemel periit, eandem numero redire, hactenus abſurdum eſt. Quin imò generatio fieret non acquiſitione formæ, ſed reparatione ſaltem materiæ ejuſdem naturæ; & ſic generatio non foret ſubſtantialis mutatio. An eant in orcum vel Iliadum Paracelſicum? ſic adducitur ſeſquipedale mendacium, bonis & ſapientibus omnibus ridiculum: an vero exſiſtant alibi inſtar animarum humanarum, quarum quæ in fide & gratia perſtiterunt, & è corpore ad tempus ſeceſſionem fecerunt, ſunt in manu Domini, in ſinu Abrahæ? ſed hoc dicere blaſphemum eſt.

C. Omnis tamen forma & anima, quæ cum re, cujus forma erat, non interit, ſed eſſentiam & exſiſtentiam ſuam tueri poteſt, ea neceſſario inſtar animæ humanæ incorruptibilis & conſequenter immortalis eſt. *Verum enim vero æquè deteſtanda hæreſis eſt, animas beſtiarum dicere immortales, quam ſtatuere animas hominum eſſe mortales.*

Si itaque nullus datur formarum rerum corruptibilium & animarum beſtialium actus entitativus, ſane anima vel forma nulla actu entitativo eſſe poteſt in ſemine, uti volunt novitii veteratores. Et ſi daretur, quod abſurdiſſimum & falſiſſimum eſt, quomodo perveniat in ſemen? an per diviſionem ſui? id clare & digne refutatum eſt: an per propagationem, qualiter in accreatione & generatione nova carnis, anima propagatur, dicente Scaligero? ſed ſic non generatur nova anima, ſed eadem numero ad informatio-

nem

nem noviter accretæ carnis propagatur. Neque etiam dividitur, neque per diviſionem multiplicatur & traducitur de uno corpore in aliud, de individuo in individuum. An eo modo per diviſionem, quo Scaliger ignem & flammam, integro illo manente, & nihilominus alium excitante, propagari & generari vult; neque illud procedit aut fieri poteſt: Ignis enim & flamma ignem & flammam non generant propagando ſuam formam in aliud ſubjectum in ſuam ſubſtantiam convertendo, ſimilemque formam generando non ſuam propriam ex ſua eſſentia communicando. Atque ita non datur actus formarum & animarum entitativus, & ſi daretur, nulla via eſt nullaſque modus, quo in ſemen proveniat, & ſi eo veniant, neque ibidem eſſe vel exſiſtere poſſent, quia non ſunt, vel eſſe poſſunt extra propriam & ultimatam materiam: & ſi exſiſtere ibidem poſſunt actu entitativo, non tamen operari ibi poſſint, aut ullam operationem inchoare, priuſquam ſint formativi. Actus enim ſecundus non præcedit primum, & primus eſt cauſa ſecundi. De vanis iſtis diſtinctionibus, quod anima actu formativo ſecundum quid ſit in ſemine, aliiſque ejus generis, etſi eruditis riſum moveant, planeque futiles & inutiles, quod nec in re nec in ratione fundatæ ſint, tamen ſuperius ſufficienter actum eſt.

CI. Devolvimur nunc ad argumentum, quod ſeptemplicis clypei robur habere putant, ad quod tanquam ſacram anchoram confugiunt, primaque in acie velut inſuperabile collocant. Id vero tale eſt apud Sennertum in tract. de Galen. cum Chym. conſ. & diſſ. cap. 9. fol. 197. Vbi ſunt operationes animæ, ibi eſt & adeſt ipſa anima; in ſemine ſunt propriiſſimæ (bona verba quæſo) operationes animæ: ergo & anima ineſt. Operationes hæ ſunt partium om-

nium corporis efformatio & ſeminis & conceptus vivificatio.

Etſi verò ex ſuperioribus ſufficienter demonſtratum ſit, animam nulla ratione in ſemen, qua tale, pervenire, nec in eodem eſſe nec operari poſſe, tamen cum vel centies ab illis hoc repetatur, reponatur & ad nauſeam occinatur, licet ex eorum non ſit pharetrâ ſed ex Mercato mutuatum, ne ſibi minus ſatisfactum eſſe clamitent, penſiculatius paulò illud deſpiciemus: ſic enim patebit, tale eſſe argumentum, quales illi ſunt argumentatores & dignum patella operculum.

CII. Quod itaque operationem animæ attinet, qua partes corporis formare ajunt, propter rationes, quarum ipſi ſunt architecti, ab anima fieri nequeunt. Si enim anima format & generat partes, tum datur generatio æquivoca: atqui illi omnem generationem æquivocam è phrontiſterio Philoſophię imò è mundo in exilium agunt, nullamque dari aſſerunt. Aut itaque concedenda eſt generatio æquivoca, aut falſum eſt animam operari in ſemine formando, hoc eſt, generando partes earumque formas producendo.

Secundò, partes corporis, ut oſſa, carnem, nervos, &c. non formari ab anima ipſe ſubornatus Sennerti Davus in tract. de form. orig. fol. 165. frivole & nugaciter diſcurrit, & carnem, oſſa, venas, nervos aliaſque partes omnes in ſemine (quod ἀπόσπασμα σώματος, ſit) formam ſuam protinus habuiſſe, quæ poſtmodum certum ſibi domicilium ædificant. Quod ſi ita ſit, anima nec ſui domicilii nec partium eſt fabricatrix, uti ex Themiſtio & Scaligero alio-

quin

quin mordicus propugnant & clamitant; ſed cum quælibet pars habeat formam in ſemine, à qua fabricetur & totum corpus ſint omnes partes ſimul ſumptæ, nec ipſius corporis tanquam domicilii nec partium architecta eſt anima.

Tertiò, ſi formæ partium poſſunt generare partes, vel conſtruere & formare ſua domicilia, aut illæ formæ ſunt animæ, vel animarum propria operatio, non eſt partium formatio. Partium vero formas non eſſe animas, plus ſatis ipſorum etiam teſtimonio liquet. Ergo &c.

CIII. Quarto ex mente D. Sennerti reliquas formas idem operari & præſtare quod anima, ipſe Doctor in tract. de Galen. cum Chym. conſ. & diſſ. cap. 12. fol. 352. docet. Vbi paulo ante dixerat, miſtionem & generationem parum differre, aut certe nullam generationem ſine miſtione fieri, ſubjicit citato folio, formam & animam eſſe cujuſque rei architectam: & primum motorem in miſtione eſſe animam ac formam cujuſque rei. Vbi voculam & non copulativam, ſed disjunctivam interpretatur Subornatus in tract. de form. orig. fol. 347. ſtatuitque omnem animam eſſe formam, ſed non omnem formam eſſe animam. Et D. Sennertus in tract. de Galen. cum Chym. conſ. & diſſ. cap. 9. fol. 232. mineralia, metalla, lapides gemmaſque haud vivere, nec animata eſſe, formam tamen, præter formam miſtionis, habere ſpecificam, quæ ſeſe multiplicandi vim habeat, docet. Vnde ſequitur omne miſtum eſſe animatum vel habere formam ſpecificam; & miſtionem generationemque ex eorum mente fieri tam à forma ſpecifica quam ab anima; poſitaque operatione illa ſeu

partium conformatione, quæ perficitur miſtione & generatione, non neceſſariò poni animam, quia & rerum formæ, ex eorum dictatura, miſceant, forment, generent, ut loco citato ipſe D. Sennertus latius declarat. Proindè operationes illæ, quæ fiunt in ſemine, non fiunt neceſſariò ab anima, ſed à forma ſeminis, ab anima animati corporis ſemini indita, utpote vi plaſticâ. Neque enim anima, uti demonſtratum eſt, in ſemine propriam ſubſtantialem formam habente eſſe, neque operari poteſt. Animam verò tali forma ſemen inſtruere ex eo patet, quod, uti dictum eſt, nulla ferè fiat generatio univoca, niſi mediante æquivoca: Et ſic animalia pluresque res aliæ ſibi ſimile generant in ſpecie, ſpeciemque propagant mediante ſemine, in quod generantis forma nulla ratione venire, nec eſſe, nec operari poſſe, ſufficienter demonſtratum eſt, quod propriam ſuam formam, qua operatur, habet, eamque ab anima accipit, talemque accipit, ut operationes animæ congruentes & dignas efficere poſſit. Quod & ipſe D. Sennertus fieri & uſu venire docet in rebus animatis lib. 5. inſtitut. part. 1. cap. 2. ubi diſputat, animam in corpore animalis generare res alias, quæ quidem animatæ non ſunt, formam tamen ſubſtantialem habeant, uti lac & ſanguinem: *quin imò animam in vegetabilibus generare formam quandam inferiorem, quæ recedente anima proprias animæ operationes perficiat: Quod probare ſatagit exemplo Rhabarbari, in quo ab anima dudum deſerto & jam cadavere facto, ſuperſit forma ab anima Rhabarbari producta, quæ operationes animæ proprias in demortuo Rhabarbaro exercet.*

CIV. An non igitur anima ſemen generans, id tali

tali poſſit inſtruere forma, quæ ad has omnes operationes perficiendas ſit idonea? Id ſanè volunt docentque ſufficienter Philoſophi, cum admirandas in exiguo ſeminis corpore virtutes, recenſent, examinant, depredicant & ſuſpiciunt. Id vult Titelmannus, in falſam à Subornato ſententiam allegatus, fol. 34. in tract. de form. orig. qui quando virtuti ſeminis admirandas operationes tribuit, has non animæ per diviſionem animæ generantis in ſemen defluxæ ibique hærentis fieri, ſed à virtute formæ ſeminis, ſpiritu calidoque inſito & vi plaſticâ pro inſtrumentis utentis aſſerit perfici. Et ſi ex iſto Titelmanni loco, lib. 8. phyſ. cap. 11 ubi prolixe virtutes ſeminis recenſet, probari poteſt, animam à generante diviſam in ſemine harum eſſe cauſam, me cecidiſſe cauſa coram toto literatorum theatro fatebor.

Sed quomodo id ex eo probet, cũ ipſemet in tract. de form. orig. fol. 34. ubi Titelmannum citat, mirabilem ſeminis tantoperè ab eodem deprædicati, naturam & virtutes in hoc conſiſtere inquit, quod omnes formæ, quæ eſſentialiter in toto ſunt animalis corpore, ipſi actu inſint, quas ſibimet proprias ſuas fabricare partes docet eodem tractatu fol. 165. Quod ſi ita ſit, hæc non virtute ſeminis, ut vult Titelmannus, non ab anima in ſemine, ut vult D. Sennertus, fieri neceſſum eſt. Sed quis non has ſcopas diſſolutas & contradictionum & fraudum deteſtetur cloacam? Et ſane nec Titelmanno, nec ulli Ariſtotelicorum, veteriſque philoſophiæ veritatem ſectantium cuiquam vel per ſomnium in mentem *venit unquam in ſemine eſſe formam, per diviſionem formæ generantis, mediante ſemine à generante ſeparatam: vel*

in ſemine omnium corporis partium formas eſſe actu. Deſine nugarum & apage fraudes. Eo itaque, quod reliquis formis cum anima commune eſt, poſito, non neceſſe eſt poni animam. Datis & prolatis operationibus quas tum reliquæ exerceant formæ quam ipſa anima, non ſtatim de animæ præſentia certa fiet concluſio. Et ſic illud monſtroſæ fortitudinis argumentum heptaboeum procumbit humi ſtratum, & exanime atque exangue jacet.

CV. Non itaque omne quod generat vel partes format, anima eſt. [a] Ex Scaligero habes quod anima generat, calor ignis generat, calor ſolis generat. Solis, inquit, calor ſi eſſet anima: anima muris è fimo à ſole generati, eſſet ſol, & muſcæ anima cum illius muris anima, una eſſet anima: ab una ſanè anima non diverſæ generantur. Etſi vero ſatis fractum & enectum ipſorum axioma ſit prima ejus parte cæſu, nihilominus alteram ejus etiam partem nonnihil diſpicere juverit. Animæ præſentiam in ſemine ex hoc concludebat, quod duplices in eo elucerent animæ operationes: prima quam examinavimus, erat partium conformatio, altera, quam percenſebimus eſt ſeminis & conceptus vivificatio.

CVI. Semen per animam in ſemine actu, quem commenti ſunt, entitativo hærentem vivificari, nugaciſſimum eſt. Vita enim non ſequitur actum formæ (ſi daretur) entitativum ſed formativum. Anima enim non vivificat, priuſquam informat, neque informat niſi ſubjectum ſuum proprium, & materiam ultimatam. *Vita enim eſt ab anima, quatenus eſt entelechia & perfectio*: Anima vero non eſt entelechia ſeminis,

[a] *Exerc. 102.*

nis, ſed corporis organici, potentia vitam habentis. Potentiam itaque recipiendi vitam ab anima non habet ſemen, ſed corpus organicum, neque anima alibi eſt, vel ineſſe poteſt, multo minus informare, & mediante informatione vivificare poteſt, quam corpus organicum. Anima animalis ipſis, ut in tract. de form. orig. dicunt actu entitativo eſt in ſemine, anima ſcarabæi ipſis eſt in ſterquilinio, eſt in cadavere equi, nullibi tamen vivificat, nec alibi vivificat, niſi præcedat, ut loquuntur, actus formativus; atqui is *non eſt, nec eſſe poteſt, antequam ex ſemine fiat corpus organicum, quo facto ſemen deſinit eſſe ſemen, perit forma ſeminis & ſuccedit forma animalis*; & ut compendiò dicam: *vita eſt actus animæ, non eſt vero actus primus, ſed ſecundus. Secundus non poteſt dari, niſi præcedat, primus. Primus vero actus eſt entelechia & perfectio: Anima animalis ex ſemine naſcituri non eſt entelechia & actus primus ſeminis; Ergo in eo non datur vita, quæ eſt actus ſecundus, immediatè à primo oriens & dependens.* Deinde eodem vitio laborat illa eorum ratio, quo proximè præcedens. Non enim vivificatio ſolius animæ opus eſt, ſed & cæli ſeu ſolis & ſyderum, ut teſtatur Scaliger exercit. XXVII. & Zabarel. lib. de Ment. hum. cap. 9. Ille enim inquit, *ſi à ſole putreſcunt corpora, putridi caloris auctor erit vitalis calor, neque procedere poterit ad vermiculi generationem, niſi ſibi gradum fecerit per putridum.* Zabarella vero docet ignem nullum generare animal, nec calorem igneum eſſe productivum viventis, ſaltemque formas inanimatorum de materie poteſtate ejus vi educi, *calorem vero cæleſtem duplici modo viventia & animantia generare, idque vel immediate ex putri materia, vel per ſemina: Quæ ex putri*

putri materia generantur, eadem juxta Ariſtotelem vi cæleſtis principii à calore cæleſti & ſyderum vult gigni. Quæ per propagationem ex ſemine generantur, ea tum virtute cæleſti propria, tum facultate generatrice à cæleſtibus corporibus indita, qui ſit calor quidem, non igneus, ſed cæleſtis à cælo impreſſus, referens naturam (quem tamen à calore elementari ſpecie non differre aſſeruit) quinti elementi, videlicet, elementi ſtellarum, produci aſſerit. Seminis autem virtutem, quia ſit elementaris, non ſufficere ad generationem animalis, nihilque poſſe ſine illa, quam à cælo accipit, qui eſt calor cæleſtis, virtute cæli tanquam inſtrumentum cæleſtis agentis directum, à quo cæleſti principio, viventium animæ, excepta ſola rationali de poteſtate materiæ educantur. Quo pertinent loca Ariſtotelis a Scaligero allegata, exerc. XXVII. Primus è duodecimo divinæ ſapientiæ eſt, ubi dicitur: *ſolis ſiderumque calore per hæc diffuſo, atque in hæc infuſo, gigni omnia, quæ non fiunt è ſeminibus.* Nimirum ſemina quoque ipſa ab eodem quoque perfici calore, quo ad actum reducantur. Cætera vide locis allegatis. Quid multis? *Numquid cælum animam è potentia luti educendo vitam largitur ranæ, & pari modo muribus ex quiſquiliis & omnium vermium beſtiolarumque generi ex putrida materia vi cæleſtis caloris producto?* Ex quibus omnibus liquet, non ſolam animam generare, ſed & ignem & cælum, neque ſolam animam vivificare animam novam producendo, ſed & cælum virtute ſua & vivifico calore animas corruptibiles, vitamque rerum corruptibilium mediate & immediate è poteſtate materiæ producere. Proinde poſita operatione tali, quam anima, ſed non ſola, perficit, ſed quæ etiam ab aliis cauſis, uti probatum eſt, pruduci poſſit, non

neceſſum

neceſſum eſt dari vel poni animam, vel animæ præſentiam ſtatui.

An Ariſtoteles ſtatuerit animam eſſe in ſemine?

CVII. PRogrediamur nunc ad examen effati, quo in tract. de form. orig. fol. 43. & ſequent. perſuadere & probare allaborant, ſtatuiſſe veteres formam non educi è potentia materiæ, & actu ipſo animam eſſe in ſemine.

Vt probent animam eſſe in ſemine, producunt locum Ariſtot. 2. de gener. animal. cap. 3. ubi inquit, conceptum inanimatum eſſe nemo ſtatuerit & vita omnibus modis privatum: quippe cum nihilo minus ſemina & conceptus animalium vivant, quam ſtirpes, & aliquamdiu prolifica ſunt. Ex hoc conantur concludere ſemina eſſe animata, reique, cujus ſunt ſemina, & formæ generantis partem juxta Scalig. & Sennert. & formam rei ex ſemine generandæ continere. Verum ipſe Ariſtoteles ſeſe ipſum declarat, & ait in ſemine & conceptibus non actu ſed potentia haberi formam, donec conceptus ſeparati cibum trahant, & officio animæ fungantur. De anima porrò ſenſuali & intellectuali idem dicendum. Omnes enim potentia prius, quam actu haberi neceſſum eſſe. Ex his rectiſſime concluditur animam prout eſt ſubſtantia & forma, reipſa non eſſe in ſemine.

CVIII. Verum pro ſuo more veteratorie hic etiam veram Ariſtotelis mentem corrumpere ſatagit ſubornatus vel ejus magiſter. Ait enim Ariſtotelem opponere δυύαμιν non ταῖς ὀυσίαις ſed ταῖς ἐνεργείαις, adeo

adeo ut actus ſignificet operationem, non eſſentiam animæ. Verum iſta interpretatio repugnat textui Ariſtotelico, & explicationi, quam adducit, Scaligeri & Sennerti. Quod ut demonſtremus, quæſtionis ſtatus ſic eſt formandus: An cum dicat Ariſtoteles animam vegetativam eſſe in ſeminibus potentia non actu, an ibi in potentia eſſe, ſignificet animam eſſentialiter & ſubſtantialiter ineſſe, & actu primo ineſſe, ut ait Scaliger & Sennertus, & hactenus dicendum tantum potentia ineſſe, donec operari incipiat, & tum demum vere dici actu ineſſe. Hic affirmativam tuetur Subornatus, conaturque aſſerere philoſophi mentem eſſe, animam potentia ineſſe, ſignificare idem quod eſſentialiter & ſubſtantialiter & actu primo ineſſe, actu vero ineſſe, idem ſignificare, quod animam operari, adeoque per (actum) ſaltem ſignificari operationem. Verùm illa fraudulenta explicatio repugnat Ariſtotelis menti & textui. Cum enim agit Ariſtoteles de anima, an inſit ſemini, quærit de tali anima, qua res vivat, & qua res dicatur animal. Atque eam triplicem ponit, vegetabilem, ſenſualem & rationalem. Has autem animas eſſe ſubſtantias, & formas rerum, quas informat, certum eſt. Has vero potentia in ſemine ineſſe dicit, non actu? Et porro quærit, cum actu in ſemine non ſint, an extrinſecus accedant, & ſi extrinſecus accedant, an cum corpore aliquo veniant, an per ſe & ſine corpore obrepant? Hanc quæſtionem ſic decidit, quod dicat, illam animam cujus actio corporalis ſit, ſine corpore ineſſe non poſſe, quocirca extrinſecus eam venire impoſſibile ſit. Nec enim per ſe accedere poſſe, quod inſeparabilis ſit, neque cum corpore venire,

venire, quia ſemen ſit excrementum alimenti mutati. E contrario vero illam ſolam animam poſſe accedere extrinſecus, cujus actione corporali, eamque eſſe mentem, quæ divina ſit.

De reliquis vero animabus concludit eſſe à corporibus inſeparabiles, nec extrinſecus accedere in corpus, nec eſſe in corpore, in quo corpoream actionem producere non poſſint, & cum nulla actio corporea perficiatur à corpore virtute animæ, niſi per organa corporis, intelligit corpus organicum, quod indicat, cum dicit ſe intelligere talem actionem corpoream, qualis eſt ambulatio quæ perficitur ab anima pedibus, unde etiam animam definit actum corporis organici.

CIX. Ex quibus ipſa meridie clarius patet, philoſophum, quando dicit, animam actu non eſſe in ſemine, loqui de eſſentia & ſubſtantia animæ, quatenus eſt actus primus, quia primo quærit, quomodo anima veniat in rem animatam, unde ſequitur nondum adeſſe; & quia alias extrinſecus accedere ait, ut animam rationalem, quæ ſi cum ſemine veniret, vel illi actu ineſſet, extrinſecus eam non accerſeret. Deinde magis perſpicuum ex hoc eſt, quod dicat animam à corpore organico, vel à tali corpore, cujus organis ad operandum utitur, eſſe inſeparabilem, nec cum alio dari, nec in alio accedere, adeoque nec cum ſemine venire, & conſequenter, quia organicum non ſit corpus, ſed dicente philoſopho, tantum ultimi alimenti mutati excrementum in eo eſſe non poſſe. Vnde ſatis claret & fulget, quomodo intelligendum ſit illud philoſophi, animam potentia eſſe in ſemine, nempe per potentiam non intelligi ſubſtantiæ ani-

mæ

mæ in ſemine præſentiam, ſed abſentiam, talem vero rationem, quâ ex poteſtate ſeminis educi poſſit forma: quæ forma actu non inſit, neque ineſſe poſſit, neque emergat & educatur è potentia ſeminis, priuſquam ex ſemine & materno ſanguine ſit fabricatum corpus, quod animæ ſit ultima materia & adæquatum ſubjectum talibus inſtructum organis, ut actiones corporeas vitæque neceſſarias edere poſſit: *quæ omnium partium & totius corporis ultima diſpoſitio, philoſophis dicitur animæ introductio, tam in his, quibus anima rationalis vel extrinſecus juxta Ariſtotelem & Theologos aliquos accedit, quam in his, quibus ex potentia materiæ cæteræ corruptibiles educuntur formæ.* Vnde patet, quomodo intelligendum ſit, actu ineſſe formam conceptui, cum agere & cibum trahere, hoc eſt vitales actiones exercere poſſit, nempe hanc actionem eſſe operationē animę præſentis & informantis corpus organicum, quæ non in alio, quam tali corpore, cujus organis ad operandum uti poſſit, eſſe vel exiſtere queat, unde actu ineſſe animam non ſignificat operationem animæ, ſed operatio animæ certum ſignum eſt, jam actu adeſſe animam, quæ antea actu eſſentiali non adfuit, ſed tantum hæſit in potentia ſeminis.

CX. Atque ut hæc res rectius & liquidius demonſtretur, videantur ſinceri interpretes. a Zabarella lib. de ment. human. genuinum hujus quæſtionis, An in ſemine & conceptu inſit anima, philoſophi ſenſum explicaturus ait, *tenendum eſſe, quod omnes animæ partes in conceptu ab utero nondum ſeparato inſunt prius poteſtate quam actu, quia in materia apta ad formam recipien-*

a *Zabarella.*

recipiendam, neceſſe eſt ut forma prius inſit poteſtate quam actu. Secundum verò hoc intelligi poſſe de actu tum primo tum ſecundo: nam embryon antequam accipiat animam, habet poteſtatem reſpectu actus primi, eâ vero receptâ, habet poteſtatem reſpectu actus ſecundi, quia anima illa nondum utitur inſtrumentis propriis, quibus non incipit uti, niſi poſt ſeparationem conceptus ab utero, quare antequam ſeparetur vivit illud animal inſtar membri illius fœminæ, non enim nutritur ſumens ore proprio cibum, nec proprio ventriculo concoquit, ſed per umbilicum recipit à matre ſanguinem, ſicut alia omnia membra illius fœminæ, & hac ratione dicitur etiam habere animam poteſtate, quoniam ejus anima nondum per propria organa operatur.

CXI. Quod autem anima actu non ſit in ſemine, neque cum ſemine venire juxta Ariſtotelis mentem, neque id ex ſupra allegatis probari poſſit, idem Zabarella clarè ex contextu deducit & demonſtrat. Proponit enim ex philoſopho quæſtionem hanc. Quum anima in conceptu nondum ſeparato pro actu primo accepta, prius inſit poteſtate quam actu, undenam adveniat actus? Ad quam reſpondet ex philoſopho, uno ex tribus advenire modo neceſſum eſt. Oportet enim vel omnem animam præfuiſſe & poſtea illi materiæ adveniſſe, quod eſſet eas omnes extrinſecus accedere: vel omnem in illa materia innaſci, quum ante nō fuerit, & ita nullam extrinſecus advenire; vel tandem aliquam innaſci cum prius non fuerit, aliquam vero induci cum prius fuerit. Verum idem ex eodem probat argumento, ab illis quæ organicæ ſunt & per propria organa operantur, ſumpto, nullam excepta mente vel anima rationali, quæ ſola divina ſit, extrinſecus advenire, cæteras præter

X hanc

hanc ita in illa materia innaſci, ut de illius poteſtate educantur, quod Ariſtoteli dicitur ab agente naturali attingi, hoc eſt, produci.

Si enim, inquit, extrinſecus accedunt, vel cum corpore aliquo adveniunt, vel ſine corpore: Non ſine corpore, quia cum ſint organicæ, operari ſine corpore non poſſunt, & ſic eſſent otioſæ & ſine operatione, quod dicendum non eſt. Eas igitur extra corpus ſine ullo corpore præfuiſſe impoſſibile eſt, quum ſine corporeo organo non operentur. Sed neque cum corpore extrinſecus advenire poſſunt, quia nullum aliud corpus apparet, cum quo advenire dicantur ſanguini menſtruo, *niſi ſemen: cum hoc tamen advenire nequeunt, quia tales animæ partes non poſſunt eſſe ſine corpore habente organa quædam ſtatuta, quæ ad ſingulas requiruntur; ut facultas ambulativa non poteſt eſſe ſine pedibus, nec viſiva ſine oculis. At ſemen non eſt hujuſmodi corpus his inſtrumentis præditum, ſed eſt ſimilare quoddam, imo excrementum ultimi alimenti ex cibis genitum. Ex quibus patet has animas nec in ſemine eſſe, nec in eo operari, nec cum eo venire poſſe; ut magna ſit inſolentia & audacia torquere verba Philoſophi contra illius mentem & textum.* Vnde liquet, quam abſurdum ſit ſtatuere, cum dicitur *animam actu primo ineſſe ſemini, Ariſtoteli idem eſſe, quod potentia ineſſe.* Sed operæ pretium fuerit hæc D. Sennerti verba ex Scaligero deſcripta, & à ſuo ſubornato allegata impenſius cribrare.

CXII. D. Sennert. in tract. de Gal. cum Chym. conſ. c. 9. ait. Verba Ariſtotelis, quibus dicitur ſemen potentiâ ſolum habere animam, non intelligenda de eſſentia animæ, ac ſi actu primo non ſit animatum,

ſed quia careat inſtrumentis & apparatu organorum ad operandum idoneo, & ſic intelligendam potentiam ſecundam quæ perficitur actu ſecundo, nimirum operationibus &c. Verum enim vero hanc interpretationem eſſe textus Ariſtotelici corruptionem, eique è diametro adverſari patet ex hoc, *quod Ariſtoteles probet hoc argumento actum primum non eſſe in ſemine, quia non ſint in eo organa, quibus exerceat actum ſecundum, adeoque ex negatione actus ſecundi, & defectu organorum, quorum merito & inſit & operetur actus primus, procedit ad negationem actus primi.* Quod autem maximus in eo etiam laboret Scaliger, humanæ fragilitati dandum. Quæ enim ſubtilitas eſt, dicere in poteſtate ſeminis eſſe formam canis, quia ſemen continet eam, eamque dare poſſit? Si actu continet eſſentiam & ſubſtantiam formæ, actuque dat, ſane actu ineſt. quod ſubdit: Educi vero eam de potentia remota, qui eſt actus primus, ad potentiam propinquam qui eſt actus ſecundus, tanto (ignoſcite mihi divi manes Scaligeriani) Philoſopho indignum eſt effatum. *Potentia enim propinqua & remota actum ſubſtantialem reſpicientes ſunt propriè potentiæ paſſivæ, principium non agendi ſed patiendi conſtituentes. Actus primus nunquam eſt in remota potentia, & omnis remota potentia eſt paſſiva, totoque genere differt ab activa, ideoque mira hæc primò eſt potentiarum confuſio. Deinde nulla forma unquam dicitur eſſe in potentia, ubi conſtituit actum primum, qui eſt ſubſtantialis.* D. Sennertus vero animam actu primo ineſſe, eoque animatum eſſe ſemen dicit. *Verumenimvero actus primus eſt forma informans & ἐντελέχεια & perfectio rei,* quocirca ſi animalis forma eſt in ſemine,

eaque animal, ſemen eſt animal: atqui ut actus primus& informans & ἐντελέχεια ineſſe nequit, quia ſemen non eſt adæquatum & ultimatum ſubjectum (quod eſſe debet corpus organicum) ultimatæ animalis formæ & quomodo *juxta Scaligerum poteſt eſſe anima è ſemine emerſio; cum ſit ejus forma & ſimul poſtea forma animalis?* Verum tandem alio actu ſemini ineſſe formam dicunt, videlicet entitativo. Sed ex Ariſtotele ſuprà auditum, nullam exceptâ mente, animam actu alibi dari, quam in corpore organico: & nullum actum corporis organici eſſe ſeparabilem, ideoque animalis forma actu entitativo, qui eſt ſeparabilis, & ſeorſim illis exſiſtere poteſt, in ſemine quod organicum corpus non eſt, eſſe nequit. Et ſi, *(quod falſum eſt) ineſſet, tamen non ineſſet actu primo, quia actus primus eſt formativus*, & quo, ut Sennertus dicit, animatum ſit ſemen. Si eo animatum eſt, etiam informatum eſt, & ſic non ineſt actu entitativo (uti anima ſcarabæi in ſterquilinio) ut nec animat, nec informet. Nec enim animare poteſt, priuſquam informet.

CXIII. Demum turpiter etiam ſibi contradicunt in hoc, quod animam potentia in ſemine ideo dicant, quia non operetur propter defectum & ineptitudinem organorum, ſeminis conceptus vel embryi, & ab operatione ceſſet, dum ea plenè conſequatur, cum tamen ex operatione animæ in ſemine, præſentiam ejus in ſemine, quod pro maximo habent argumento, demonſtrare ſatagant. Neque hic obſtat alia eorum ratio, cui, ſi objiciatur promtiſſima ad manus eſt reſponſio. Sed quis Æſculapius has animorum

morum barbaras intemperies ſanet, aut has diſſolutas ſcopas recolliget.

Supereſt ut videamus an Formæ ex nihilo fiant:

CXIV. ID Veterator & corruptor cæleſtis & philoſophicæ veritatis in tractatu de Formar. orig. fol. 61. affirmat, preſſus ſequentibus ratiociniis ibidem fol. 58. extantibus. Forma ſubſtantialis, quæ eſt diſtinctum quid à materia, aut fuit aliquid ante generationem, aut nihil fuit: ſi fuit, tollitur generatio; ſi non fuit itidem tollitur generatio, & ſtatuitur creatio. Neque ergo formæ ſunt antequam fiunt, neque inducuntur per creationem: Ergo educuntur è potentia materiæ.

Id refellere tentat hoc reſponſo: neceſſariò formas ex nihilo fieri: quia ſi ex aliquo fierent, non principia, non formæ, ſed principiata, formata & compoſita eſſent. Aſſerere, formam ex eo, quod potentia eſt, fieri, ait eſſe dare ſine mente ſonum & relegat lectorem ad ſupra poſitam theſ. 4. concluſ. ubi 1. Creationem, quæ dicitur productio rei ex nihilo, ait non eſſe metuendam, quod in illa ad duo reſpiciatur, videlicet 1. ad producentem, qui ſit ſolus Deus, 2. ad producendum, quod eſt corpus vel ſpiritus: at utrobique eſſe diſparitatem. Bella ſanè argumenti ſolutio.

CXV. Hæc reſponſio peſſima ad argumentum optimum, pluribus belluata eſt fanaticarum & impiarum opinionum monſtris, quam comprehenditur verbis. Nam primo, quod concludit ex hoc, ſi

forma fuit aliquid ante generationem, tolli omnem generationem, id vanum eſt. Procederet equidem argumentatio veteratoris, ſi forma ante generationem actu fuiſſet forma; quia vero neque forma, neque nihil fuit, ſed aliquid videlicet in ſubjecti potentia fuit, è qua educta eſt, generatio non tollitur, ſed maximè confirmatur & datur. Ideoque ſic ponenda erat propoſitio hæc: Si forma actu fuit ante generationem, generatio tollitur & hoc modo D. Sennert, cum ſuo Ganymede tollit generationem, quia huic omnis res & omne ens eſt actu, nullum in potentia; & cum D. Sennerto nulla forma fiat ex nihilo, neque ex potentia materiæ eliciatur, & non generetur per novæ eſſentiæ productionem, ſed tantum propagetur per diviſionem formæ generantis actu exiſtentis, à qua ſit pars avulſa, neceſſario actu fuit, & quæ eſt in genito, eadem actu fuit in generante, inevitabili neceſſitate ex probato axiomate ſequitur, tolli hoc dogmate Sennertiano omnem generationem. Deindè ſi non fuit forma ante generationem, pari modo ait tolli generationem, & ſtatui creationem, ſed eadem eſt reſponſio, quæ ſuperius data: Non fuit actu, ſed in potentia, ex qua ſi virtute agentis naturalis educatur, non ponitur creatio.

CXVI. Audiamus nunc reſponſum ad argumentum alioquin bonum, ſed male ab ipſo allegatum: Neceſſario, inquit, principia ex nihilo fieri, quia ſi ex aliquo fierent, non forent principia ſed principiata, formata & compoſita. Verum & hæc reſponſio ridendo in proſcænium procedit ſchemate. Omnes omnium rerum corruptibilium formæ corruptibiles ut ex ſacro codice, omni exceptione majore, in exami-

examine operis Sextiduani vidimus ex elementari materia productæ ſunt: ſpirituales autem animarum immaterialium eſſentiæ ex nihilo à Deo creatæ, uti ex nullius materiæ ratione eductæ, ita quoque incorruptibiles exiſtunt, neque in ullam ejuſdem potentiam reſolvuntur & corrumpuntur.

CXVII. Id itaque nec naturæ formali, neque principio quicquam derogat, quod formæ ex materiæ potentia, quæ eſt eſſentia ſimplex, educatur ſimplex ſubſtantialitas: Eductio eſſentiæ formalis ex potentia materiæ non importat compoſitionem. Neque ortus formæ ex potentia materiæ infringit rationem principii: quia forma eſt principium reſpectu corporis naturalis, ejuſque potiſſima pars conſtituens: & principia eſſentialia corporis naturalis faciunt corpus naturale non per ſui converſionem in corpus, ſed per ſui conjunctionem tanquam partes eſſentiales illud conſtituunt. *Hoc modo materia non eſt principium formæ, quia non conſtituit formæ partem, neque uti materia eſſentiam formæ perficit, ſed per converſionem eſſentiæ potentialis, cujus inexhauſtus eſt in materia prima abyſſus, forma vi efficientis educitur.* Atque ſic materia non conſtituit formam ut principatum ſui vel materiale, neque eſt pars formæ, neque hæc compoſitum quid ex materia, ſed forma & materia ſunt principia corporum naturalium, quorum eſſentiam conſtituunt, & partes eſſentiales exiſtunt. *Ideoque nec forma materiæ, nec materia formæ ut forma principium eſt ſed utraque corporis naturalis eſt principium, neque alia ab altera conſtituitur, & utraque diverſam ab altera habet eſſentiam & naturam, ut neque forma ſit eſſentia materiæ, & materia eſſentia formæ, & res ſit per & propter formam,*

quod eſt, aliamque capiat eſſentiam & rationem, quam à materia habet, imo potiorem eſſentiæ rationem & quidditatem, & ut in certo entis genere collocetur.

CXVIII. Sed ſi principiorum rationem per ſe inſpiciamus, non eſt propriè de principiorum, quatenus ſunt principia, requiſitis, ut ſint ſimplicia, & ut ex nulla alia re orta & ex puro nihilo producta ſint; non eſt neceſſarium, elementa, ut principia fiant, quod ex nihilo fiant. Siquidem nec vocabuli nec rei ratio hoc importat. Vocabulum principii eſſe æquivocum D. Sennert. in tract. de Gal. cum Chym. conſ. & diſſ. c. 9. ex Ariſtotele docet, aitquè ex eodem lib. 1. metaphyſ. c. 1. omnibus principiis commune eſſe, primum eſſe, unde aut incipiat, aut fiat, aut cognoſcatur aliquid. Quocirca ſtatuit rectè nominari principia ex quibus fiunt res naturales, & principiorum nomen & jus rectè accommodari tribus chymicorum vulgo dictis principiis: de his vero principiis prædicat, quod elementis ſint poſteriora, quod illa potius in elementa, quam hæc in principia reſolvantur, unde ſic ex elementis orta eſſe ait, ut ſint prima miſta. Cum itaque hæc D. Sennerto verè veniant pro principiis, & tamen ex elementis ſint per miſtionem nata, & nec prima neque ſimplicia neque ex nihilo primò condita, & elementa Ariſtotelicis ſint rerum principia materialia, ex quibus omnia ſublunaria corruptioni obnoxia generentur, neque tamen ſint ſimplicia, vel ita prima, ut non ex nihilo ſed ex aliquo producantur, non video quomodo ratio principii deroganda ſit his, quæ quidem principia ſunt, ſed ex nihilo orta non ſunt. Sed pergamus in quæſtione, an formæ ex nihilo fiant.

CXIX. For-

CXIX. Formas ex nihilo fieri in tract. de form. orig. fol. 61. auſu plane bardo & rationibus Chriſtiano & Philoſopho indignis probare annititur. Verum ut calumnias & mendacia hujus ſectæ, ejuſque architectorum evidentius demonſtremus, paulo momentoſius rem expendemus.

CXX. *Creatio eſt immediatè opus Dei, Generatio, cujus vi producuntur rerum formæ corruptibiles, immediatè eſt opus naturæ.* Creatio eſt duplex; alia eſt prima, alia ſecunda: prima creatio eſt factio rerum ex nihilo, uti ſupra probatum eſt, & *non fit in tempore*, ut loquitur Scalig. exerc. 6. num. 14. *Et eſt opus infinitæ virtutis*, ſeu ſolius omnipotentiæ, *quia inter aliquid & nihil eſt infinita diſtantia.* Secunda creatio pariter eſt opus infinitæ virtutis, & eſt factio ſeu productio rerum ex præexſiſtente, & ex jam antè à Deo creata materia. Sic ex elementis rerum omnium corruptibilium tam inanimatarum quam animatarum formas corruptibiles produxit, eiſque virtutem omnipotenti benedictionis verbo indidit, per jugem & indeſidem generationis ſeriem eaſdem ex ſinu ſuo emittendi, & proferendi excitata in iis potentia, ex qua operâ generantis univerſalis & particularis ac proximi educi poſſint. Hac ſecundæ creationis operâ Deus, uti ex Elementari materia formas rerum omnium corruptibilium produxit, ita ex quolibet poteſt facere quidlibet, ex lapidibus panem & filios Abrahæ: Et hæc tam infinitæ virtutis opus eſt, quam factio ex nihilo, ſiquidem *divina virtus à creaturarum poteſtate maximè differt, quod harum potentia ſit determinata negatione & privatione; quapropter ex nihilo non poſſunt facere aliquid, aut aliquid in nihilum*

 redi-

redigere , deinde ex quolibet , non poſſunt facere quidlibet.

CXXI. Ex quibus abunde liquet factionem alicujus rei ex nihilo eſſe omnino infinitæ virtutis,quæ ſolius Dei eſt opus. Quicunque ergo ſtatuit generatione naturali, produci formas ex nihilo,is primo in omnipotentiam Dei , qui gloriam ſuam nulli alii concedet,blaſphemus eſt;quod naturæ finitæ & virtutis finitæ infinitam adſcribat virtutem ; quod naturamDeo exæquet,(ut res ſe habet in operari,ita & in eſſe; infinitæ virtutis operatio, eſt infinitæ eſſentiæ actio) & generationem cum creatione turpiter confundat. Generatio eſt mutatio utroque incluſa termino:quod enim generatur , aliud fit & aliud, manetque ſub utroque termino.

CXXII.Barbaræ audaciæ eſt,futilibus quibuſdam diſtinctionibus velle blaſphemam hanc opinionem munire , & incautis rudioribuſque inſtillare. Hoc molitur cum lib.cit.fol.61.inquit; non eſſe metuendam creationem , quod cum hæc dicatur productio ex nihilo, reſpiciatur ad duo, primo ad producentem, qui eſt ſolus Deus, ſecundo ad producendum, quod eſt corpus vel ſpiritus. Prima ratio debet eſſe talis : Cum productio rei ex nihilo fit operâ Dei dicendum eſſe creationem , cum vero fit operâ naturæ, non eſſe creationem ſed generationem : Videte nugatoris infrunitam impudentiam, illud pro vero ſupponit; & pro fundamento jacit, quod ſane, abſurdiſſimum & falſiſſimum eſt , & alioquin crinomenon,videl:quod natura vel formam vel aliquid ex nihilo producere queat.Deinde ſi in naturæ poteſtate eſſet, aliquid ex nihilo facere, utique hæc factio, dicen-

dicenda eſſet creatio, quia hæc eſt factio ex nihilo, quocunque modo & à quacunque cauſa ex nihilo aliquid factum ſit, *quin imo illud eſt ex natura facere Deum*; & ſic infinitæ & Divinæ potentiæ opus eſt & manet factio ex nihilo ſeu creatio.

CXXIII. Secunda ratio ducitur ex producendo vel producto, quod ait eſſe corpus vel ſpiritum: an utriuſque productionem ſoli Deo aſſignet, an vero utrique, videlicet Deo & naturæ, veterator non addit. Sed Deus Optim. Maxim. ex nihilo produxit corpora, produxit ſpiritus: idem ait ſubſannator fol. 8. in tract. de form. orig. formas rerum corruptibilium primas originem ſuam creationi debere. Creantur itaque vel ex nihilo vel producuntur vi divina ex materia elementari, ut veriſſimè docent ſacræ literæ. Geneſ. 1. An itaque natura tanto ſuperior eſt Deo, quod huic fuerit neceſſum ex præexſiſtente facere materia has formas, quas natura facit cottidie ex nihilo. Et quid ſibi volunt iſta verba, quibus amplius vult probare, factionem ex nihilo non eſſe creationem, aut formas fieri ex nihilo, cum inquit: Non ſolum Deus, ſed & natura & ars effecta ſua de novo producunt; An de novo productio eſt factio ex nihilo? Natura per generationem, non producit novas ſpecies & alias, quam à Deo ab initio ſunt conditæ, ſed has per novorum individuorum generationem conſervat, *quæ generatio non fit per formarum ex nihilo productionem*, uti abunde probamus. Neque eſt in ulla arte producere ſuo Marte & virtute formam ſubſtantialem: neque enim cum ex lapide vel ære format ſtatuam, aliquid ex nihilo, multo minus formam ex nihilo ibi producit,

cit, quia ſaltem artifex quantitatem confuſam, & quaſi interminatam (nulla enim quantitas artis hoc pacto interminata eſt) reducit ad talem figuræ modum, ut fiat ſtatua vel aliud quid; ubi ſane nec ulla generatio dari, nec factio ex nihilo aſſeri ulla ratione poteſt.

CXXIV. Et ſane miſerrimum eſt, iſtos novæ ſectæ architectos ita diſſidere in principiorum conſtitutione, ut alter alteri planè contradicat. D. Sennert. in tract. de Gal. cum Chym. conſ. & diſſ. cap. 9. fol. 194. *ait abſurdum eſſe, ſtatuere formas ex nihilo oriri: Subornatus vero Sennerti propugnator mordicus vult originem formarum ex nihilo* defendere, ſed cum ea arrogantia & temeritate, plus quam puerili, ut quicquid vel ipſo vel Sennertus contrà veritatem & ſolidæ immobiliſque philoſophiæ fundamenta proferat, ſe tueri poſſe turpiter ſibi imaginetur, putat ſe hoc ipſo elapſurum, & ſi quæ ſit contradictio, ſublaturum, quod uti fecit in tract. de form. orig. dicat formam idcirco eſſe ex nihilo, quia etſi per diviſionem generantis in generatum, fiat forma generati, tamen cum in generante nondum erat forma generati, & in generato jam non eſt amplius forma generantis, à qua per diviſionem ſeparata, & in generatum traducta eſt, deduci & defendi poſſe, formam ex nihilo eſſe. Verum ruſticæ abſurditatis hæc eſt conſequentia. Quærebatur enim an illa forma, quæ eſt in generato ex puro ſit nihilo, ita ut nihil fuerit priuſquam forma generati fuerit. Si hoc affirmet, ne quidem in generante fuit aliquid, tantum abeſt, quod ab ea tanquam particula per diviſionem abſcedere potuerit: pari ratione forma ex potentia materiæ educta

poſſet

poſſet dici ex nihilo facta; verum licet non fuerit forma antequam è potentia materiæ educeretur, tamen ex nihilo orta dici nequit, cujus origo fuit ex aliquo. Verum illas ſimileſque ineptias, quas eruditi rident, & in quibus refellendis me tempus terere pudet, novatores verò pro ſingularibus ſubtilitatibus ſuis & initiatis artium propinant, iiſque eos ſaginant, ſeducunt: hæc novæ ſectæ fundamenta jaciunt, & his venerandæ antiquitatis veritatem temerario & futili auſu evertere moliuntur.

CXXV. Verum uti ex Sennerto apparet, nunquàm ipſi in mentem venit aſtruere vel defendere formarum ex nihilo productionem: quia ipſemet inquit in tract. de Gal. cum Chym. cap. 9. fol. 149. abſurdum eſſe, quod ſtatuantur forma ex nihilo oriri: paulo poſt provocat ad ſacrarum literarum teſtimonia, atque ex iis docet formas (videlicet primas) in prima creatione vi divinæ benedictionis factas eſſe, cum diceret Deus: Germinet terra germen: & eaſdem à generante propagari indita virtute per divinam benedictionem: Creſcite & multiplicamini. Ex quibus Sennerti verbis liquido demonſtratur, formas per creationem divinam conditas, aut per generationem propagatas ex nihilo non oriri. Deus enim Opt. Max. etſi non ex nihilo creavit formas rerum corruptibilium creatione prima, tamen eas creavit creatione ſecunda ex materia ex prima creatione reſultante; idque eâ vi qua ex quolibet poteſt facere quidlibet, quod & omnipotentis & creatoris opus eſt. Proindè creavit principia generationis ex nihilo vel immediatè vel mediatè. Immediate materiam primam in abyſſo dicta & nominata primo Geneſ.

Geneſ. ex hac mediatè elementa ceu materiā ſecundam, ex qua omnipotente ſuâ virtute eduxit rerum omnium corruptibilium formas.

CXXVI. Vndè primo liquet, ne ab ipſo quidem Deo ex nihilo creatas eſſe rerum corruptibilium formas; Quales vero formæ ſunt à Deo primo creatæ, tales, juxta Sennert. vi generationis rebus indita, ſunt propagatæ, & quidem juxta eundem eædē, quales primò ſunt conditæ, per diviſionem ſuæ eſſentiæ, (quâ ipſi perficitur generatio) in omnem poſteritatem multiplicantur & propagantur. Ergo formæ ut ſunt rerum principia nec in prima creatione à Deo ex nihilo, neque vi generationis à natura ex nihilo producuntur.

CXXVII. Verum ingenui & candidi viri non ſatis mirari poſſunt impudentem confidentiam Subornati defenſoris Sennertiani, qui forte cæteros omnes eruditos pro betis & fungis & quercubus habet, dum vulgo perſuadere ſatagit, ea quæ plus quam nigra ſunt, eſſe candida, cygnum eſſe corvum, & oletum eſſe ambroſiam; id quod facit, dum formas ex nihilo negativo fieri contendit, & ſimul eas à generante per communicationem ſuæ eſſentiæ generari aſſerit. Sic enim ait in tract. de morb. ſubſt. quæſt. 4. in tract. de form. orig. fol. 21. Quicquid facit alterum, quale ipſum, illud facto & genito communicat ſuam eſſentiam; Generans facit alterum, quale ipſum. Ergo Generans genito communicat ſuam eſſentiam. Ex hoc deinde infert: Quicquid genito ſuam communicat eſſentiam, illud etiam ipſi communicat ſuam formam: Generans genito ſuam communicat eſſentiam. Ergo communicat ſuam formam:

mam: Quia, inquit, ſine communicatione formæ non poteſt fieri communicatio eſſentiæ; forma vero communicatur juxta D. Senn. per diviſionem formæ generantis, & diviſæ traductionem in generatum.

CXXVIII. Ex quibus omnibus irrefragabiliter ſequi neceſſum eſt, id quod generat per communicationem ſuæ eſſentiæ non generare ex nihilo, & ſi communicatio eſſentiæ efficientis ſit productio & generatio formæ, formam non fieri ex nihilo, & quod generatur ex eſſentia efficientis non generatur vel producitur ex nihilo; Forma vero generati illis producitur per diviſionem ab eſſentia vel à forma generantis. Ergo non producitur vel fit vel generatur ex nihilo. Ex eodem patet, non eſſe de neceſſitate & ratione principii, ut ex nihilo fiat. *Si enim forma ideo non ſit pro principio admittenda, quia ex potentia materiæ non ſit oriunda; multo minus principii rationem tueri illa forma poterit, quæ ex eſſentia efficientis per diviſionem ſuæ formæ producta eſt: neque enim hæc ex nihilo ſit.*

CXXIX. Quia vero res, de quarum formis agimus, tali corruptioni ſunt obnoxiæ, quod in individuis non perpetuentur, quod non poſſident per exſiſtentiam ſingularium perpetuam, id conſequuntur per ſpecierum conſervationem ex jugi individuorum generatione. Quocirca *divinâ benedictione ſuperius allegatâ eſt data naturæ poteſtas conſervandi ſpeciem, non per ſingularium æternitatem & exſiſtentiam perpetuam, ſed jugem ſingularium & individuorum generationem. Non itaque ſpecies haut pereunt, quia individua jugiter exiſtant, ſed quia naturæ eſt indita poteſtas univocè vel æquivocè generandi, & ſic conſervandi ſpeciem.* Natura

tura

tura itaque generat res ex principiis à Deo ad generationem earundem ordinatis & creatis. *Quæ principia in natura ſunt actu vel potentia. Quocirca natura, quoties genarat ex principiis, non de novo ex nihilo facit principia, ſed à Deo per creationem facta principia ad rerum generationem aſſumit.* Proindè quotieſcunque generat, non formam aliquam novam, quæ in potentia rei naturalis non præfuerit, ex nihilo, neque toties novam materiam ex nihilo, ut principia producit; quo ſenſu etiam verê dici poteſt, *principia non fieri, ſeu de novo ſemper produci, nec corrumpi, ſed ex iis generari omnia, & per corruptionem in eadem redire.* Et eodem reſpectu ex nihilo nihil fit, ſcilicet per generationem, & nulla res in nihilum corrumpitur vel interit.

CXXX. Hic vero accuratè eſt notandum, novatores in pleriſque velle imitari regulas & modum diſputandi Scaligeri, ſed quam rectè, videamus. Scaliger animæ rationalis immortalitatem demonſtraturus, ait ipſam, ſi perire debeat, neceſſe eſſe, ut reſolvatur in principia unde ſit orta, vel abeat in nihilum. Illud fieri non poteſt, quia ſimplex eſt, nec ex elementis compoſita, *nullumque eſſendi principium habet præter Deum.* In nihilum corrumpi nequit, quod id rerum natura non admittat; *quâ enim lege quicquam in nihilum abeat, eâdem ex nihilo viciſſim aliquid fieri poſſet.* Vnde deducit hoc, quod anima, quia ex elementis compoſita non eſt, in elementa reſolvi nequeat. *Quod itaque ſimplex eſt, & nullis conſtat principiis ſui conſtitutivis, id in principia reſolvi nequit:* unde ſi interit, neceſſum eſt in nihilum corrumpatur, ſed hoc æque impoſſibile eſt per naturam atque ex nihilo aliquid fieri. Cum vero animæ cottidie fiant, neque

que fiant ex præexſiſtentibus principiis ſui conſtitutivis, ex nihilo eas neceſſario fieri aſſerit. Sed factio ex nihilo eſt naturæ impoſſibilis. Ergo neceſſariò animas creari, ſeu divina potentia cottidie ex nihilo fieri concludit. Ex quo ſequitur, quod nulla forma naturalis generetur ex nihilo, quia factio ex nihilo non eſt generantis, ſed creantis. Generatio fit vi naturæ, Creatio virtute omnipotentis Dei; & quod ille qui ſtatuit rerum formas & animas unà cum anima rationali ex nihilo fieri, formas rerum inanimatarum incorruptibiles, & animas beſtiarum, cum anima rationali immortales faciat. Et præterea rerum naturalium generationem omnem è medio tollat, ſiquidem formæ non generentur ſed creentur, cum generatio non fiat ex nihilo, ſed ex re præexſiſtente, creatio vero ex nihilo. Quod ſi aſſerat Scaliger, ſubtilitatem miramur, ſed veritatem philoſophicam amiſſam, & cæleſtem impugnatam eſſe, dolemus. Vnis enim & iiſdem argumentis, quibus animæ humanæ immortalitas convincitur, ad probandum cæterarum rerum formas eſſe quintas, & non ex elementis ortas eſſentias utitur. Quæ res occaſionem præbuit novatoribus ſtatuendi formas rerum corruptibilium pariter cum anima humana ex nihilo produci, & comminiſcendi actum entitativum animarum beſtialium, quo, peſſum eunte materia exiſtere & eſſentiam tueri, hoc eſt, incorruptibiles & immortales æquè atque illa eſſe & exiſtere poſſint.

CXXXI. Si itaque ex eorum opinione formæ & animæ rerum corruptibilium ex nihilo fiunt, & tamen in nihilum non reſolvantur, quia non ſunt ex elementis, erunt immortales & incorruptibiles, &

quia ex nihilo fiunt, non erunt generatæ, quia generatio fit ex præexſiſtente materia, ſed creatæ, & ſic rerum naturalium vel formarum omnium tollitur generatio, omneſque de novo immediatè creantur & immittuntur. At nec Scaligeri, ſi hoc velit, autoritas, neque ſubtilitas, ſed ſacrarum literarum veritas nobis erit potior & charior. Expendamus igitur philoſophica libertate & Chriſtiana pietate teſtimoniis ſacrarum literarum ducti argumenta magni iſtius ſcientiarum Nimrodi.

CXXXII. Primum eſt, Animam (putat rationalem ex nihilo creatam à Deo) eſſe *ἐντελέχειαν* corporis & actum materiæ: materiam nihil aliud quam elementa quatuor: unde concludit animam eſſe naturam quintam. Id vero illi ſic concedimus: Verum ex his progreditur & porrò deducere conatur *omnem formam* cujuſcunque perfectè miſti, etiamſi non ſit anima, *naturam eſſe quintam*, longe aliam à quatuor elementis. Vnde Herculeum ſatagit deducere argumentum adverſus Alexandrum, propoſitis, quas poſtea vibebimus, rationibus. Nunc reſpondebimus ad argumentum propoſitum opponendo Moſen Scaligero, quin imo ipſum Scaligerum Scaligero. Moſes creata omnia animata, & inanimata omnia, divina virtute ex elementis ſic producta eſſe docet, ut juxta materiam & formam ex elementari materia conſtent, & hanc potentiam huic porrò inditam per verbum Producat & Creſcite & multiplicamini, uti ex eadem materia, ex qua per creationem erant producta, per continuam deinceps generationis ſeriem, prognaſcuntur; quod effatum, divinæ veritatis regu-

la,

la, & omnium orthodoxorum Theologorum ſententia eſt.

CXXXIII. Neque contra hanc ſententiam valet exceptio, quam ſubornatus advocatus Sennerti profert, in tract. de form. orig. quâ quidem concedit formas in prima creatione à Deo ex elementari materia productas, cæterum ex hoc non concludi per ſequentem generationem ex iiſdem eas educi. Quæ exceptio non infringit ſed aſtruit ortum formarum ex elementis. *Nam eas quas ex materia elementari creando produxit eas ex eadem omnipotente verbo (creſcite & multiplicamini) multiplicando & in innumeras generationes ſeſe propagando creſcere voluit.* Quod ex D. Sennert. ſententia, quam defendere conatur, omnino ſequitur. *Tales enim formæ per diviſionem in generatione neceſſariò propagantur, quales à Deo per creationem erant productæ*, uti ex Senn. tract. de Gal. cum Chym. conſ. & diſſ. c. 9. patet. *Atqui illæ formæ concedente & negare non potente ullo mortalium, erant ex materia elementari.* Quocirca formas rerum corruptibilium promiſcuè omnes, exceptâ animâ rationali, *oportet elementares & corruptibiles, & non quintas eſſe eſſentias.* Et ſic Moſes Scaligero dignè ſatisfecit.

CXXXIV. Scaliger vero Scaligero ritè & rectè opponitur, quando ſtatuit formas omnes & cumprimis animas eſſe quintas eſſentias ex elementari materia non oriundas, & tamen animalia eorumque formas vi cæleſti cum ex materia elementari putrida ſeu ex putredine, tum ex imputrida generari profitetur. Vnde exerc. 26. ex Ariſtotele docet ſolis aliorumque ſyderum calore per hæc infuſo, gigni omnia, quæ non fiunt ex ſeminibus. Nimirum ſemina quo-

que ipſa ab eodem quoque perfici calore ut ad a-ctum reducuntur, vide ibidem latius. Et ſect. 6. num. 2. *cæleſtes poteſtates dare formas, & quæ formas ſequuntur:* formas vero quæ in æquivocis reperiuntur materiis, qualis eſt forma muris, quæ navalibus quiſquiliis putrefactis imponitur, non eſſe in materiæ ſeu fimi aut ſordium poteſtate, ſed in agentis vi: & ibidem inquit, Forma fabricans in fimeto eſt nobilior, quam forma informans: Eſt enim principium movens & efficiens & dans hanc illa. Gignitur autem mus in quiſquiliis & in luto rana, ſicut inter ſaxa metallum: hoc pacto murem & alia, quorum generatio è fimo vel limo æquivoca eſt, Solis aut Veneris filium nuncupat. Ex quibus liquet Scaligerum in locis citatis & aliis compluribus, ſtatuere cælum æquivocâ generatione è potentia materiæ elementaris producere formas tam animantium, quam rerum aliarum perfectè miſtarum, quæ ſane ſi ſunt, uti omnino ſunt, ex elementari materia productæ, pro quintis eſſentiis venire non poſſunt. Cælum cum generat æquivocè animalia & anima cum facit oſſa, nervos, carnem, nec per participationem & diviſionem ſuæ formæ juxta Sennert. generant, neque ex nihilo formas producere poſſunt: proinde nihil aliud ſupereſt, quam potentia materiæ, ex qua eas educant. Ringantur & inſaniant, nihil aliud invenire poſſunt. Quod cum animadverteret D. Senn. omnem æquivocam generationem, ſed nimis frivolè & frigidè è rerum natura proſcribere annixus eſt.

CXXXV. Alterum argumentum pro quintarum eſſentiarum probatione hoc eſt: In animæ poteſtate eſt, quod nunquam fuit in poteſtate elementi

cujuſ-

cujuſquam. *At nihil eſt in quapiam re, quod non fuerit actu in ſuis principiis; principia namque ſunt actus eorum, quorum ſunt principia.* Harum aſſertionum veritatem examinabimus, ab ultima initium facientes: ubi excutiendum an omne principium ſit actus ejus, cujus eſt principium; intelligit autem principia rei interna vel eſſendi principia, videlicet materiam & formam, ſi ambiguitatem vocabuli actus tollas, & proprietatem uti in termino Metaphyſico uſurpatur, ſerves, falſum eſt omne principium rei, eſſe actum rei, ſiquidem materia tam eſt principium eſſendi & eſſentiale internum rei, quam forma, & tamen non eſt actus rei. Forma rei eſt actus rei totius & actus materiæ, & facit ut materia actu hoc ſit & exiſtat, Forma actuat materiam & largitur toti quidditatem. *Res enim ex actu & potentia conſtat, nam ex duobus actibus non fit actu unum, ſed ex actu & potentiâ.* Nullus materiæ conceditur actus quam entitativus, quo à nihilo differt, qui impropriè philoſophis actus dicitur: cujus reſpectu verè actum poſſidere non dicitur, *ſed ſibi ipſi hoc eſt, quod non nihil eſt.* Neque ideo materia, quia ſubjectum præbet formæ & actu ineſt rei, cujus eſt materia, actus eſt rei neque actum præbet, nam actu ineſſe ibi revera & realiter, hoc eſt materialiter non formaliter vel actualiter, adeſſe ſignificat: Neque quia ſubjectum formæ præbet, mutuus formæ actus eſt, nam materia formam actuat, ſed ab eadem actuatur, & formam non tam ſuſtinet, quam ab ea ſuſtinetur, & ut exſiſtat, & ſit hoc aliquid ab ea accipit. *Omne itaque principium non eſt actus rei cujus eſt principium,* quo principio vel enuntiato omnem è natura rerum potentiam proſcribere annitebantur,

 bantur,

bantur,& nullum ens potentiale, vel in potentia dari novatores probare annitebantur, qua de re latius agitur in loco proprio.

CXXXVI. Progredimur ad examen alterius iſtius effati, quod eſt, Nihil eſſe in quapiam re, quod non fuerit actu in ſuis principiis, & ſic ait eſſe in animæ poteſtate, quod nunquam fuit in poteſtate elementi cujuſquam. Ad hoc ut commodè reſpondeamus, iterum ad animum revocandum eſt, aliud eſſe, eſſe in rei vel principii alicujus poteſtate, & aliud eſſe actu in principiis, Quod in poteſtate alicujus eſt, id non protinus actu ipſi ineſt, Cæli, (inquit Scalig. exerc. 6. numer. 2.) ſunt omnia poteſtate efficiendi: & cæleſtes poteſtates dant formas & quæ ſequuntur formas, non tamen hæ formæ ſunt in cælo, neque demittuntur à cælo in materiam inferiorem, neque per diviſionem abſcinduntur à cælo, neque ſunt apoſpaſmata ſyderum. Quocirca neceſſariò è potentia materiæ peculiaris & determinatæ peculiares educuntur formæ generatione æquivocâ, ita è quiſquiliis & fimo mus & non rana, ex limo fit rana & non mus, ex equo ſcarabæi, ex vitulo apes, ex aſino crabrones &c. Ita vi animæ ex ſanguine fit caro, non os vel nervus, ex ſemine non caro ſed oſſa & nervi. Ex quo ſequitur, quod illud quod actu non fuit in cælo, nihilominus fiat à cælo ut cauſa efficiente, & quod actu non fuit in elementari materia, nihilominus è potentia elementaris materiæ educatur, & ſic aliquid fit in re, quod non fuerit actu in quopiam ejus principio.

Quod ut amplius demonſtremus, inſpicienda

nobis

nobis erit vitæ animantium natura, Hanc Scalig. exerc. 102. ſect.5. definit actum animæ in corpore, ſeu vim ejus per unionem utriuſque, id quod ſic explicat, vitam eſſe unionem animæ cum corpore ſecluſa omni operatione, à quo deinde proficiſcatur operatio. Interim vitam non eſſe in anima corruptibili, ſed ab anima: Sic motum non eſſe in anima, ſed ab anima. Ex quo ſane ſequitur non omne quod eſt in re, id actu eſſe vel præfuiſſe in quopiam principiorum ex quibus res eſt nata. Vita animalis, teſtificante Scaligero, non eſt in anima ſeorſim, nec in corpore, ſed ex conjunctione animæ cum corpore reſultat. Hic vero accuratè notandum aliam eſſe vitam animæ rationalis, & aliam hominis, quâ animal eſt, cæterorumque animalium: in homine vita illa quæ eſt ex conjunctione animæ cum corpore, per ſolutionem alterius alio exſtinguitur, ut inquit poëta Mantuan,

De fragili velox anima fuga corpore mors eſt.

Et ut per conjunctionem animæ cum corpore in animalibus cæteris æquè uti in hominibus vita oritur, ita & pari modo ex diſſolutione utriuſque moriuntur, cum cætera animalia tum homines, hoc excepto, quod anima humana ſeparata à corpore, extinctâ quidem illâ vita, quam ex conjunctione cum corpore produxerat, per ſe & in ſe nihilominus vivat, & ſit immortalis, cum cætera animalia & viventia, quoad animam & corpus penitus intermoriantur, niſi quis juxta impia, abſurda & blaſphema novatorũ deliria aſſerere, animas brutorum & beſtiarum ab obitu

animalium ſupereſſe, caſque immortalitate beare velit.

CXXXVII. In eſſentiis vero ſpiritualibus uti operationes non differunt ab eſſentiis ipſis, ſed ſunt ipſa eſſentia, ita vita animæ eſt ipſa anima, longeque diverſa ab illa vita animalium, quæ eſt ab anima; illa eſt vita eſſentialis, *hæc accidentaria, & virtualiter ab anima propendet, neque ſubjectivè eſt in anima, eſtque ab ea ut effectum à cauſa, & Scaligero quadam perpetuata ſeu continua generatio.* Vita animæ eſt actus primus, & Entelechia, vita animantium eſt actus ſecundus: illa vita eſt ipſa anima, *hæc vero non in anima, ſed ab anima.* Proinde *aliud eſt ineſſe per formam vel animam, & aliud eſſe ab anima.* Quod ineſt per animam, illud actu eſt in anima, ſeu ipſe actus, ut vita animæ eſſentialis & intellectus. Et hic nihil differt actus & actio ab eſſentia; & ſic verum eſt, illud neceſſariò eſſe in re, quod actu fuit in quoquam ejus principio. Quod eſt à forma, illud ab eadem dependet *tanquam à cauſa efficiente & formæ actu non ineſt.* Sic vita animalis virtualiter & effective dependet ab anima tanquam cauſa, non vero, ut loquitur Scaliger, *actu eſt in anima.* Sic qualitates dependent à forma, & formæ ſunt cauſæ qualitatum earum in materia quia largiuntur quidditatem & ſpecificam differentiam, & propria accidentia, neque tamen hæ qualitates erant in forma actu neque in materia, ſed inſunt ſubjecto vi formæ, ut vita corpori & toti animali.

CXXXVIII. Deinde nihil poteſt fuiſſe actu in principiis, niſi principia actu extiterint, & priuſquam actu facta ſint rerum principia, quod ab ipſis negari nequit cum expuncto & proſcripto ente potentiali

omnia

omnia in actu ponunt. Quocirca ea omnia, quæ actu inerant principiis, antequam res è principiis generaretur, & ob id neceſſariò inerant rei jam ex principiis genitæ, ea quoque cum res per interitum in principia reſolvitur, in principiis actu remanere & ſupereſſe æquum eſt. Sed quia falſum eſt hoc axioma ſeu principium, falſa nectitur conſequentia; neque enim vivit anima brutorum extincto animali, neque ſupereſt in anima viſio, auditio, ſenſatio, motus antrorſũ, retrorſum; quin imò, nec ipſa anima ſupereſt aut ſupereſſe poteſt, ſeu actu illo cõmentitio, & à nugivendis confiсto entitativo, neq; ullo modo. Prudenter itaq; diſtinguendum eſt inter formas inanimatorum & animatorum; longè alia eſt ratio animæ humanæ, vel animæ & formæ brutorum. Vim vegetativam & ſenſitivam actu quidem non poſſident, quia quicquid in iis eſt, actus & eſſentia eſt. Et quod de vita & potentia animæ intellectiva & voluntate verum eſt, id quoque de potentia vegetativa & ſenſitiva, ſi eidem actu ineſſet, verum eſſe neceſſum foret. Animæ vero humanæ immortalitas & eſſentiæ incorruptibilitas, ſpiritualitaſque ex hoc demonſtratur, quod actiones quaſdam, ut in corpore, quando eſt ejus forma, ſine organis corporeis, ita & pariter ſeparata eaſdem edat; Hæ vero actiones ſunt ipſe animæ actus & ab eſſentia ejus nihil differunt. Cæteræ actiones vegetandi, ſentiendi, quas ut perficiat, organis indiget corporeis, ſunt actus ſecundi, quæ ab anima proficiſcuntur, non immediatè ut eſt actus ſui ipſius & eſſentia ſpiritualis, ſed quia eſt entelechia, & perfectio & forma corporis, quæ mediante informatione è potentia corporis & vitam

&c has educit facultates. Vnde patet eas non eſſe de eſſentia animæ rationalis veluti potentia intelligendi & vita animæ eſſentialis.

CXXXIX. Nec qualitates animæ fiunt à formis, ut ex ſubſtantia formarum educantur, quia formæ ſunt eſſentiæ ſimplices indiviſibiles, actus puri ſine potentia paſſiva ad præſtandam accidenti materiam generationis, & quodcunque ab his promanat, non accidentale ſed ſubſtantiale eſſe neceſſum foret, adeo ut qualitatem & accidens promanare ex eſſentia formæ abſurdum. Dependent itaque qualitates omnes à formis, non ut ex eſſentia earum promanent, vel ut ipſis inſint, tanquam in ſubjectis; ſed effectivè & virtualiter, quatenus fiunt ab illis in ſubjecta materia: neque fiunt in materia à forma, niſi quatenus forma entelechia ejuſdem fuerit. Non eſt qualitas & potentia viſiva in oculo, priuſquam anima ſit forma corporis. Quocirca hæ operationes ſunt actus ſecundi, virtualiter pendentes ab anima, quatenus illa actus primus. Et in genere ſimul omnes dependent ab anima. Sic actio omnis in genere eſt ab anima: ſpecies eſt ab organo, bonitas vel pravitas à conſtitutione & temperie organi; Vnde ſi oculus eſſet in pede videret in pede; & ſenex ſi oculum juvenis haberet, videret ut juvenis. Ex quibus intelligitur porrò, quod uti illæ facultates, quæ ab anima exercentur ſine organis corporeis, & in anima manent ſeparata à corpore, demonſtrant animæ immortalitatem, & ſint unius cum anima eſſentiæ, & unum cum anima, ita hæ, quæ nec ſine corpore exercentur, &

cum

cum corpore pereunt, dum non (ut in brutis) dependeant ab anima rationali effectivè & virtualiter, ſed ſint actus animæ inferioris & corruptibilium animantium vegetativæ & ſenſitivæ, demonſtant animas hás eſſe ex materia eductas & ab illa dependere & cum ea corruptibiles & conſequenter per ſe mortales.

CXL. Ex his patet in anima rationali actu eſſe poſſe id omne, quod per animam corpori vel toti compoſito, non quod ab anima, ineſt. Quia illa poſſet exſiſtere, antequam corpus informet, & neceſſariò exſiſtit, quando officio formæ defuncta ſit; Animæ vero cæterorum animantium, quia antequam ſunt formæ, hærent in potentia materiæ, neque actu ſunt vel eſſe poſſunt principia, niſi ſiant formæ informantes, nihil quod in principiato eſt, in ipſis tanquam principiis eſſe vel præfuiſſe potuit, prius quam fierent actu principia, quæque ſunt in toto, uti qualitates formales & alia non præfuere in forma; priuſquam informaret ſubjectum; ſed à forma in ſubjecto & materia propria, ut à cauſa efficiente genita ſunt: *quin forma eſt cauſa efficiens qualitatum in ſubjecto non venientium cum forma in ſubjectum; tanquam ipſa forma ſit ſubjectum inhæſionis qualitatum; ſed factarum à forma tanquam cauſa efficiente qualitatum in materia ſubjecti.*

CXLI. Et uti ex conjunctione formæ & materiæ, quæ ſunt partes eſſentiales & conſtitutivæ oritur aliquid, quod non erat actu ſeorſim in ulla harum partium; ideo enim conjunguntur hæ partes, ut fiat aliquid tertium ex his duabus, quod harum

harum neutra pars per ſe & ex ſe erat, vel eſſe poterat; & prætereain animantibus vita & potentiæ, quibus regitur totum, & accidentia propria & formalia ex eadem conjunctione, quæ neutri conjungendarum partium inerant, oriuntur, ita in mixtis præbentibus materiam & ſubjectum formis ſpecificis per mixtionem reſultant qualitates & alia, quæ nuſquam aut uſquam erant in ullo ſimplici elemento & principio materiali ſeorſim, in quorum numero eſt ſanitas animantium & morbi, & qualitas lætificans in ſanguine, furioſa in bile, melancholica in humore terreſtri, & ſexcenta alia, imo & colores, ſapores, odores, quod in Phyſicorum omnium libellis abundè probatur, & tyronibus Philoſophiæ plus quam cognitum eſt; neque refert, quid de his & earum cauſis Neoterici ſuo more blaterent; abundè enim illa ab aliis confutata ſunt, & ſi opus ſit, accuratius caſtigari & refelli poſſunt.

CXLII. Ex his plenè planeque probatum eſt, *falſa eſſe hæc principia, quicunque etiam auctor eorum extiterit: nihil eſſe in re quapiam, quod non actu fuerit in principiis.* Et, Quod principia ſint actus eorum, quorum ſunt principia. Quia non eſt neceſſe id actu eſſe in principio ſeu materiali ſeu formali, quod ex his in conjunctione & conſtitutione totius principiati emergit & reſultat. Et ut ad nauſeativam ſatietatem ipſis impleatur reſponſionis menſura, neve nimis protervè veteri philoſophiæ inſultare moliantur, aut Herculea contra illam argumenta, quæ vix dum ſtraminea ſunt, texuiſſe videantur, tenendum, *elementa concurrere ad rerum corruptibilium generationem, ut continent materiam univerſalem ſic affectam ſub elementorum*

naturis,

naturis, ut rerum omnium ſpecies, quot qualeſque Deus Opt. Max. ad mundi inferioris complementum & ornamentum voluit exſiſtere, ex ejus potentia tanquam locupletiſſimo, & nunquam exhauſto penu & copiæ cornu educi & ad mundi durationem propagari poſſint. Quo nomine cælum vi tam generali, quâ rerum omnium generationem & corruptionem promiſcuè moderatur, excitat & dirigit, quam ſpeciali, quâ immediatè etiam æquivocas in inferioribus perficiat generationes, inſtruxit. Et materiæ indidit, omnipotente ſuo verbo: Producat, & Creſcite ac Multiplicamini, ut ex ea vi naturali æquivocè & univocè agentis educi poſſint formæ ad conſervationem ſpecierum mundi cum mundo durantium. Secundo modo concurrunt elementa ad rerum generationem, quatenus ſunt materia mixtionis, & ſubjecta commoda formarum. Atque hac ratione formæ ſpecificæ non fiunt per mixtionem vel compoſitionem ex elementis.

Quomodo vero formæ rerum corruptibilium vi naturæ à ter. Opt. Max. ipſi indita è potentia materiæ, ad hoc pariter à Deo inſtructæ, ut ſit earundem mater, per generationem educantur, ut ſint virtute eâ, quam exercent, præditæ, æque tibi mihique cum acutiſſimis philoſophis & naturæ ſcrutatoribus in hac rerum caligine obſcurum, quam ipſa formarum & ſubſtantiarum natura interior ignotiſſima eſt. *Eſſe vero illas ex corruptibilium Elementorum materiæ potentia oriundas, cum ex prima eorum ex his creatione & porro propagatione, tum ex corruptibili earum ſtatu & reditu in materiæ potentiam, unde eductæ erant, ſiquidem nec in nihilum redigi, neque extra materiam per ſe aliquid eſſe & exſiſtere poſſint, ſatis perſpectum & contra Novatores & diſciplinarum juventutiſque corruptores probatum eſt.*

Forma

Formarum origo non latet, & in Dei verbo nobis manifeſtata, obſcura eſſe nequit: ad interiorem verò ejus naturam & eſſentiam mentis acumine non penetramus, contenti ex poſteriore & effectis, de iis ſentire & putare, ut *revera maxima pars rerum in natura exſiſtentium quas cognoſcimus, minima pars ſit earum, quas ignoramus.* Et ſane quam formarum, tam & materiæ inexhauſtam potentiæ abyſſum continentis obſcura eſt nobis natura: *quarum ut originem creator nos haut latere voluit*, ita in verbo patefacto interior eſſentia ſimul patefacta non eſt, ut omnis ad hanc indagandam induſtria & exercitatio, ſine ſacrarum literarum luce, ſit miſerabilis quædam erratio.

FINIS.

De

De paradoxis & erroribus novæ Sectæ Sennerto-Paracelſicæ

DISPVTATIO QVARTA,

Continens differentias formarum novas & pluſquam monſtroſas in moroſophorum cerebellis noviter natas, una cum anatome opinionum quarundam ejuſdem ſectæ inſolentium; quas pro defenſione errorum Sennertianorum quidam ſubornatus M. IOHAN. SPERLINGER novitius Academiæ Wittenberg. Profeſſor, libro de formarum origine contra primam hujus operis diſputationem edito, comprehenſas in faciem literatorum impudenter projecit, & doctrinarum phrontiſteriis obtrudere connixus eſt, quam

PRÆSIDE

IOHANNE FREITAGIO M. D.
& in celeberrima Illuſtrium Groningæ & Omlandiæ Ordinum Academiâ ejuſdem facultatis Profeſſore P.

defendit

BVRCHARDVS NEBELTHAVIVS
Bremenſis.

THESIS I.

DOlendum eſt, Amice Lector, quædam proterva ingenia eò deveniſſe petulantiæ & infrunitæ audaciæ, quòd principiorum veriſſimorum, toto antiquitatis ſincerioris & eruditiſ-

ſimæ

ſimæ conſenſu celebratorum & cuſtoditorum, & in hunc diem rectè uſurpatorum doctrinam & baſin, contra quæ cuilibet ſano & pio vel hiſcere religio fuerit, evertere, è ſcholis profligare, ſua verò paradoxa, abſurda, falſa, rancida, hæretica & blaſphema ſubſtituere, & ex hoc omnes bonas diſciplinas corrumpere, artium ſtudia peſſumdare, barbariem reducere, & cum hac extrema mundi inclinantis fæce veram rerum ſcientiam, & antiquitatis ſolidam ſapientiam è medio tollere non erubeſcant. Id ſanè etjam atque etiam faciunt, qui recepta æternumque vera venerandæ antiquitatis principia negare, labefactare, averrūcare & eruderare, ſua verò inepta, Ianuario frigidiora, frivola, impia, falſa, hæretica, dudum damnata, aut recens in ſycophantarum cerebellis nata, & contradictionibus implicata dogmata & paradoxa, pro principiis reponere necquicquam moliuntur. Quid fiet, ſi antiquæ veritatis non ſit ſtandum principiis? ſi cuilibet ſycophantę aut nugatori, arroſis, irriſis & ſpretis veteris ſapientiæ fundamentis liceat inepta & frivola comminiſci, eaque in Academiis & Orcheſtris publicis enarrare, declamare, & prurientibus ſolidæque veteris philoſophiæ expertibus juventutis ingeniis inſtillare? Sapientiæ veteris eſt regula: *Contra negantem principia non eſſe diſputandum*, ſiquidem, ut dicit Riolanus contrà Harvetam, unus aſinus & ſcurra plus poſſit negare, quam decem Philoſophi probare, ſi apodicticas regulas cuilibet ſycophantæ convellere fas fuerit. Vbi nunc Melanchthones, cæterique majorum Gentium doctores, antiquæ & invictæ veritatis philoſophicæ reſtauratores & profeſſores? quid fieret, ſi in veſtris

pul-

pulpitis talia audiatis abſurda, & abſona promulgari, veriora vetuſtatis dogmata conculcari, à vobis immenſo labore ibidem feliciter proſata & fundata, à tam ineptis magiſtellis & ridiculis ſycophantis convelli, corrumpi? audiant Medicinæ ſtudioſi venerandi quondam ſenis & ſupra eruditionis & experientiæ aleam poſiti Medici, Iohannis Heunii de modo & ratione inſtituendi ſtudium medicum ſeriam regulam, quæ exſtat in ſic dicto libello cap. VI. Moneo ut ab eorum ſcriptis abſtineatis, qui ab antiquorum ſententia temerè abeunt. Plato in Epinomide plebejos quoſdam Deos cum referret, ἀνοργιάςους hos appellabat: neſcio an eo nomine quid aptius adaptari his innovatoribus poſſit. *Vtinam eâ mente omnes ſcriberemus jam, quâ olim Hippocrates, & poſt eum Galenus! ſtudio nimirum juvandi. Nunc neque hoc facimus plerique, & benè à veteribus etiam excogitata & ſcripta demoliri, & rebus claris tenebras affundere conamur; receptiſſimorumque auctorum auctoritatem elevamus, ut reponamus noſtram, dubiam ac titubantem pro exiſtimatiſſimâ.* Si quis reclamet, ilicò nos inter nos (qui conſpirare contra externos debebamus) domeſticum bellum depugnamus ac χαλεποὶ πόλεμοὶ ἀδελφῶν. Id ipſum D. Senn. ſui tamen præcepti ipſemet & immemor & violator maximus, inculcare videtur lib. 1. inſtitut. medic. c. 4. cum inquit, licere medico interdum loquendo ſeſe ad forum ſuum accommodare: *tamen idcirco abſurdas opiniones inducere & cum principiis philoſophiæ pugnantia proferre non licere* quod ſua principia à phyſica mutuatur, neque alia habet principia quam quæ phyſicus ſuggerit, *& propterea ſi phyſicis principiis contraria profert vera non profert.* Hactenus

nus D. Senn. qui non tantum à doctrina Phyſicæ ab antiquis tradita in potioribus capitibus & fundamẽtis recedit, ſed & ſuo à ſe conſcripto Phyſices compendio multoties contraria tradit, & à ſe ipſo recedit & diſſentit.

II. Mihi in animum nunquam veniſſet contra hos abſurdos paradoxorum magiſtros & diſciplinarum corruptores ſumere ſtylum: quod ſe ſuamque doctrinam ſatis evertat, quicunque contra receptæ veritatis principia diſputat, verùm cum viderem ipſos fraudibus & malis artibus aliquem affricare fucum, veritatiſque ſpeciem ſuis dogmatis appingere, & juvenilia hinc inde, nec melioribus adhuc diſciplinis exculta ingenia circumvenire & ineſcare, & hæc ſua inſana dogmata longe lateque diffundere, *ac novam ſtultitiæ ſectam auſu plane bardo & Paracelſico condere velle*, eoſque omnes, qui eam amplecti recuſent, acerrimè inſectari & convitiari; Imo quod impudens & malè ſignatus ille magiſtellus tantum prę ſe ferat infrunitæ perſuaſionis faſtum, quod nihil tam abſurdè dici poſſe putet, nihil tam notoriæ falſitatis excogitari, quin ſe defendere poſſe confidat, idque calumniis, mendaciis, elenchis, ſarcaſmis, recenſque excogitatis ineptis & nuſquam receptis principiis & diſtinctiunculis: volui primaria totius illius novæ ſectæ capita & principia examinare (ad ſingula enim teretiſmata & ineptiarum quiſquilias nemo ſapiens reſpondebit) eorumque falſimoniam, ineptitudinem & inſaniam in clara luce ponere.

III. De omnium *formarum ſubſtantialium corruptibilium origine* inter D. Sennert. & me eſt orta controverſia ex eo, quod ipſe deſerens venerandæ antiquitatis

tatis ſententiam, novam abſurdamque comminiſceretur opinionem, de earum per diviſionem ſui generatione, ortu & propagatione. Quæſtio itaque & diſputatio inter nos eſt, quomodo omnes formæ rerum corruptibilium materiatæ à Deo primitus creatæ per generationem propagentur. Ego omnes, excepta anima rationali, ex potentia materiæ oriri, ſubnixus ſacrarum literarum infallibilibus teſtimoniis, & venerandæ antiquitatis principiis ſtatui & demonſtravi: Doct. Senn. è contrario nullam formam oriri è potentia materiæ aſſerit; ſed originem & generationem ſui habere, per multiplicationem ſui. Quod autem omnis forma ſit multiplicativa ſui, id pro fundamento generationis & propagationis formarum ponit lib. de Galenic. cum Chym. conſenſ. & diſſ. fol. 195. 196. & fol. 232. propagari vero per diviſionem ait & dividi ac transferri mediante ſemine, vel aliquo medio quod ſeminalem rationem habet; unde concludit *omnem omnium rerum generationem eſſe univocam, & nullam dari æquivocam: omne ſimile generari à ſuo ſimili, & generans cum generato eſſe ſemper ejuſdem ſpeciei; unde ait metalla habere ſua ſemina & ſeminarias rationes, & eorum formas eſſe ſui multiplicativas.* idem dictitat de gemmis & lapidibus *& lapidem generare lapidem* &c. Etſi vero ex ejus opinione hęc neceſſariò deducantur tamẽ dubitanter & meticuloſè affirmat fol. 344. & nihilominus in ſequentibus aſtruit, & probare annititur, omne id quod ex ſemine vel ſeminalem rationem habente generatur non generari ęquivocè. Et ſanè (ut poſtea videbimus) ſi admittatur æquivoca generatio, neceſſario corruit iſta regula, quod omnis generatio fiat per multiplicationem

formæ generantis. Pro opinione itaque ſua de formarum per diviſionem multiplicatione, nova & inaudita commentus eſt principia, rationeſque abſurdas & inutiles, & nec in rei natura, vel ratione fundatas diſtinctiunculas. Ex horum cenſu pro defenſionis ſuæ fundamento novas, & veræ philoſophiæ & antiquitati ignotas & eruditis omnibus execrabiles, & à ſe ſuoque Ganymede excogitatas ponit formarum rerum corruptibilium differentias quatuor, dicendo; *formas alias eſſe ſpecificas, alias ſubordinatas, alias accidentarias, alias partiales.* Omnes vero has eſſe ſubſtantiales, nec ille negat, neque ſanus quiſpiam negare debuit, quia de earum origine agimus.

IV. Specificæ illi ſunt, quæ actum largiuntur ultimum & conſtituunt ſpeciem mundi, & dant eſſe, diſtinguere, & operari ut habet Subornatus Ganymedes in tract. de form. orig. fol. 3. Has *duntaxat eſſe ſui multiplicativas & ſe propagare, ut omnis generatio ſit univoca,* tradit in tract. de form. orig. fol. 116. & fol. 164. *has mundi ſpecies habere in ſeſe multiplicandi potentiam,* non ſpecierum partes. *Subordinatæ ſunt* quæ certis animalium ſpeciebus inſunt & ſub ſpecificæ formæ dominio latitant, & factâ anomaliâ, dominio quaſi excuſſo ad officium formale veniunt, & domicilium conſtruunt, has ait ibidem fol. 27. in & cum ſpeciebus mundi eſſe à Deo creatas & cum iiſdem propagari. *Quin imò non ſolum formas ſed corpora cum ſuis formis, & in & cum ſpeciebus quibus ſubordinantur naſci & propagari ibidem aſſerit. Accidentarias,* ait, vel cum ſpecificis vel cum ſubordinatis origine convenire. Partiales dictitat eſſe, quæ certam partem in-

tegrantem corporis humani vel animalis alterius conſtituunt. Sic caro (inquit) in macello licet animâ tanquam ſpecifica forma deſtituta ſit, non minus propriam habet formam ibid. fol. 5. per quam ſit caro. Hanc vero formam eſſe ſubſtantialem fatetur & concedit fol. 163.

V. Hic primo diſpiciendum, an formæ partiales & ſubordinatæ, à ſpecificis ipſis ſic dictis eo ipſo differant, quod hæ non tribuant actum ultimum rei cujus ſunt formæ, & non conſtituant ſpecies mundi, & non largiantur eſſe, diſtinguere & operari, & non ſint ſui multiplicativæ. Quod ſi negat & nihilominus concedat, uti facit, formas partiales & ſubordinatas eſſe ſubſtantiales ultimatas, vaniſſimus & ridendus eſt philoſophiæ immotorum principiorum obtrectator. *Omnis enim forma ſubſtantialis, qua dat actum ultimatum, illa etiam largitur eſſentiam, differentiam & operationem.* Eſſentiam, quia per formam res eſt id, quod eſt: Differentiam, quia largitur eſſentiam talem, quâ ad certam ſpeciem rei naturalis contrahitur, ſpecificeque differat à cæteris omnibus ſui generis, & reliquis mundi ſpeciebus. *Operationem, quia ut res ſeſe habet in eſſe, ita etiam in operari.* Quæritur itaque an formæ ſubſtantiales ſive ſint partium, ſive tales, quas ille ſubordinatas vocat, non largiantur formam ſpecificam & conſtituant ſpeciem mundi. Sennertus ſanè *omnem rem naturalem, & corporis partem unamquamque habere ſpecificam ſuam formam,* quæ det eſſentiam & nomen, affirmat lib. de Galen. cum Chym. conſ. & diſſ. cap. 12. fol. 358. Verba ejus ſunt clara, ait enim: Verum cujuſque rei formam ſpecificam, quæ rei dat ſuam eſſentiam & no-

men, ab elementis provenire, nego. Eſt enim in unaquaque re naturali & partibus corporis præter materiam , quam elementa ſuppeditant, divinius quoddam principium & natura quinta, qua ſunt id, quod ſunt,& in certam ſpeciei naturalis familiam reducuntur. Elementa enim materia ſunt, ideoque actum dare non poſſunt. Proinde certum eſt & indubitatum principium,omne corpus naturale conſtare ſubſtantiali forma & materia: Rem autem omnem naturalem, uti loquitur D.Sennert.ſeu corpus naturale,ſeu partem corporis naturalis habere ſpecificam formam,qua in certam ſpeciei naturalis familiam reducatur,affirmat. Formas autem ſubordinatas ſeu animas ſcarabæorum, veſparum, apum & ſimilium, non conſtare ex elementaribus formis conſarcinatis, neque ex potentia materiæ educi, jam ex ipſo Sennert.qui mixtum, quà mixtum, tantum formis elementaribus,loco proximè citato informari, & nullam formam ex potentia materiæ vult oriri, aſſerit Ganymedes.Ex quo ſequitur,formas,quas ille vocat ſubordinatas,eſſe ſpecificas,neque per hoc ſtare,quo minus ſpecifica ſit forma,quia ſit (uti illi nominant & vanè comminiſcuntur) ſubordinata.Et an negat ſubordinatas formas veſpæ,ſcarabæorum,ſimileſque conſtituere ſpeciem mundi, cum ne muſcæ hoc Scaliger deneget exerc.250.n.5.

VI. Deinde directè contra Sennertum ipſum ejuſque mentem eſt, formas ſubordinatas non eſſe ſpecificas. Ipſe enim lib.de Gal.cum Chym.conſenſ. & diſſenſ. cap. 12. fol. 336. ſpecificas formas aliis etjam ſubordinari tradit; ita ſemen tritici poſſe continere & ſuam & lolii formam docet, quarum altera

prout

prout dominetur, ſui generis ſpeciem conſtituat: ibique ait in uno ſemine plures poſſe eſſe formas, ſed ſubordinatas, ita ut una ſit princeps & domina, reliquæ quaſi miniſtræ, quæ ſibi mutuò ſuccedant, dum ad formale officium tendunt. Ita ut una harum modo ſit princeps cæteræ ſubordinatæ principi, & hæc viciſſim ſubordinata, & ex miniſtris, alia viciſſim princeps & domina, uti ibidem videre eſt apud D. Sennert.lib.de Gal. cum Chym. conſ. c. 12. fol. 336. Lolium vero & triticum habere formam ſubſtantialem & conſtituere ſpeciem mundi, nemo eſt qui neget. Falsò itaque diſtinguuntur ſpecificæ à ſubordinatis. Quin imò hic notanda D.Senn.& ſubornati diſconvenientia. Ille enim principem, ſub qua cæteræ latitant, etiam refert ad ſubordinatas; hic principem ſub qua cæteræ ſint ſubordinatæ, ab his diſtinguit nec ſpecificas poſſe eſſe aſſerit: & in hoc etiam diſſentire diſcipulum à præceptore, ſubornatum à dictatore & magiſtro evidentiſſimum eſt, quod ille velit formas ſubordinatas concreatas & connatas eſſe certis ſpeciebus corporum naturalium & latitare ſub formis ſpecificis, quæ nunquam fiant ſubordinatæ: hic ſubordinatas fieri ſpecificas & contra ſpecificas fieri ſubordinatas largitur; Neque enim ut ex tritico fit lolium & contra (juxta D.Senn.) ita ex ęquo ſcarabæus & ex ſcarabæo equus; qua de re poſtea liberius & latius.

VII. Primò itaque demonſtrandum eſt ex Sennert. omnem rem naturalem & partem corporis naturalis habere ſpecificam formam. Verùm ſubornatus addidit, nullam rem habere ſpecificam formam, quæ non conſtituat ſpeciem mundi. Partes autem

corporum naturalium non conſtituere ſpeciem mundi, ſed eſſe partes ſpecierum mundi, in tract.de form. orig. fol. 164. & forte idem de crabronibus, ſcarabæis ſimilibuſque animalculis ſentiet. Cui reſponſum velim aut falſum dicere Sennertum, cujus ille defenſionem in ſe recepit, aut dari corpora naturalia habentia ſpecificam formam, quæ non ſint ſpecies mundi. Et quis oſſa, carnes, venas & arterias neget eſſe ſpecies corporum naturalium. Etiamſi enim ſint partes corporum animantium, & habeant communem cum toto formam, tamen illa forma totius ſpecifica, non eſt ſpecifica oſſis ut os eſt, nec carnis, ut caro eſt, alioquin os vel caro eſſet animal, ſed harum quælibet, uti ſupra demonſtratum eſt, habet propriam & ſpecificam, qua eſt id, quod eſt, formam, quę recedente totius corporis forma, per quam cum eodem conſtituitur animal, manet, pereunte animali, non pereunte formâ ſpecificâ oſſis, carnis, venæ. Forma itaque oſſis ut ſubſtantialis, ita & eadem ſpecifica eſt ſubdita formæ animantis, & rationi ſpecificæ formæ oſſis æquè minus derogat, quod ſit ſubdita formæ animalis, quam id quod forma terræ & cæterorum elementorum, quæ ſpecifica eſt, ſit ſubdita formæ oſſis. Vide autem elegantem diſtinctionem ſuperius in ſecunda diſputatione de forma prout reſpicit totum & partem annotatam.

VIII. Quod autem demum addit omnes formas eſſe ſui multiplicativas, atque id etiam eſſe de natura & requiſitis formarum ſpecificarum, reſpondeo formas ſubordinatas & partiales juxta ipſorum mentem, æque eſſe ſui multiplicativas, & ſui generis ſimiles producere, ut hæ, quas ille inter ſpecificas

memorat. Scarabęum enim habentem formam ſubordinatam generare ſcarabæum, & os os, & carnem carnem habentes formam partialem certius demonſtrari ex iis poteſt, quam lapidem & ferrum, quibus ille ſpecificam tribuit formam, generare lapidem & ferrum.

IX. Formas ſubordinatas ſibi generare ſimiles cum fiunt principes, & ſeſe multiplicare affirmat D. Sennert. Forma enim lolij ſub tritico & tritici ſub lolio eſt ex tritico & lolio orta; ſic forma ſcarabęi quę fuit ſub equo conſtituit ſcarabæum, qui viciſſim alios generat, ſic apis, apem; veſpa veſpam generant, licet ex aliis animalium corporibus, eorumve partibus ortæ ſunt: ſic ex ſterquilinio ortos ſcarabæos ubertim generare aliorum ſui ſimilium phalāges, ipſa docet obſervatio ſenſualis, uti & apes ex bobus natæ &c. Et horum animalium formæ, cū aliis ſubordinarentur, juxta D. Sennert. non erant aliter generatæ, quam per multiplicationem & diviſionem à generantibus ſibi ſimilibus, omnis enim forma illi eſt ſui multiplicativa, ideoque quando ex tritico generatur lolium, forma lolii, quæ fuit ſubordinata formæ tritici, illi non aliunde venit, quam à lolio, *ſic enim univocam generationem defendere annititur.* Formas vero partium etiam generari à ſui ſimilibus aſtruit ſubornatus in tract. de form. origin. fol. 34. ubi ait, quicquid formarum ſit in toto animalis corpore, actu eſſe in ſemine, & formam carnis, oſſis, venæ cæterarumque partium omnes eſſe in ſemine, quod ſit avulſum videl. ſecundum materiam & formam, Definitur enim ſemen D. Sennerto lib. de Gal. cum Chym. conſ. & diſſ. c. 9. fol. 212. juxta Epicurum

ψυχῆς ἢ σώματ⊕ ἀπόσπασμα: hanc ait ſibi fabricare domicilium, hoc eſt formas partium, ceu oſſis, venæ cæterarumque cum ſemine tranſlatas formare ſibi ſuum corpus: Quando vero generatio eſt univoca & generans formam actu in ſemine hærentem produ-cit, quæ ſibi domicilium ſeu proprium corpus formet Subornato producitur ſpecies mundi habens ſpecificam formam, uti videre eſt in tract. de form. orig. fol. 117.

X. Hic, amice lector, nota ingens contradictio-num & abſurditatum chaos. Subornatus in tract. de form. orig. fol, 164. ſpecies mundi habere potentias ſeſe multiplicandi, non vero ſpecierum partes, ſpecierum nutrimenta aut excrementa: mox eadem pagina ſui temulentè immemor rabioſe effutit, carnem, oſſa, venas habere ſuam formam in ſemine ſibi ædificantem domicilium; Vnde verò actu in ſemine forma oſſis, carnis, venæ & quænam illa forma? anima eſſe non poteſt, quia recedente anima, ut ait Subornatus in tract. de form. origin. fol. 5. nihilominus manet in carne macelli vendibili forma ſubſtantialis, de qua dicit, fol. 165. quod fuerat in ſemine & fabricaverat corpus. Sunt itaque diverſum quid ab anima, unde igitur forma illa oſſis, carnis, venæ ſibi ædificans domicilium? ubi forma cum ſemine transfertur, & eſt in ſemine, ibi juxta Sennertum & Subornatum eſt univoca generatio. Mediante enim ſemine, illis dividitur forma generantis & conſtituit generatum, formatque ſibi domicilium, uti ex ante prolatis eorum abſurdis opinionibus liquet: os itaque generat os, & caro carnem & vena venam; falſum proinde fuerit, eo ipſo dictante ſpe-

cierum,

cierum, quas vocat, partes, non habere potentias ſeſe multiplicandi; ubi notandum partes corporis animalis impropriè dici partes ſpecierum: ſiquidem Anima ſeu forma ſpecifica & corpus propriè ſunt partes eſſentiales animalis ſpeciem totam conſtituentes, oſſa verò & carò venæque ſunt partes corporis, & harum quævis æquè habet ſuas partes eſſentiales, videlicet ſpecificam & ultimatam formam & materiam, quam totum animal. Hac itaque ratione quod partes vocentur & ſunt, non ſunt partes ſpecierum, ſed partes corporis habentes peculiarem formam & materiam, ſuntque corpora peculiaria ſubſtantiali formâ, quâ inter ſe ſpecificè differunt, conſtantia. De hac forma unde oriatur & generetur erat quæſtio, hanc dicebat eſſe in ſemine & formare corpus, unde oſſis forma neceſſario in ſemine illis eſt ab oſſe, & carnis à carne, ſi velint defendere omnem generationem eſſe univocam, uti id molitur in tract. de form. orig. fol. 163. & ſeqq. Atqui turpiter iterum in hoc ſibi & Sennerto contradicit, quod ipſemet in tract. de form. orig. fol. 295. dicit animam generare partes, & Senn. lib. de Chym. cum Galen. conſ. & diſſ. c. 9. fol. 116. juxta Scalig. ſtatuat animam domicilii ſui, hoc eſt, corporis ſui quod informat, architectum eſſe, totum autem corpus, nihil aliud eſt quam omnes partes ſimul ſumtæ, unde fol. 217. inquit *animalis corpus ex pluribus conſtare partibus, quas anima partim ex ſemine, partim ex ſanguine materno fabricat. Falſum proinde eſt peculiares partium quarumvis formas in ſemine hærentes ſibi conſtruere ſua domicilia.* Et præter has contradictiones illa eadem opinio meris fundatur petitionibus principii, quales

ſunt

ſunt hæ, quod formæ rerum actu ſunt in ſemine: formæ organicæ ſine organis corporeis operantur; formæ dividuntur & transferuntur cum ſemine & ſimilia abſurditatum plauſtra.

XI. Vides itaque, amice lector, fruſtra diſtingui formas ſubordinatas & partiales à ſpecificis, omneſque ſubſtantiales actum ultimatum largientes, ſive illis novatoribus nominetur partiales ſive ſubordinatæ; eſſe ſpecificas etiam juxta eorum regulas. Deinde etiam falſitas paradoxi & effati novitiorum novatorum in hoc notanda eſt, quod putant ſpecificam nullam eſſe formam, niſi quæ à ſui ſpecie ſimili ſit per multiplicationem formæ generantis producta, cujus contrarium apparet in animalibus ex putredine ſeu re putreſcente natis. Ait enim D. Senn. lib. de Chym. cum Gal. conſ. & diſſ. c. 12. fol. 349. animalia ex putredine genita ab iis, quæ ex ſemine fiunt, ſpecie non differre, ſed ejuſdem eſſe ſpeciei, fimus vero ex quo mus naſcitur, ut inquit ibidem fol. 346. non eſt ejuſdem naturæ ſpecificæ cum ſemine maris & fæminæ murium. Si itaque mus ex fimo natus ſpecie non differt à mure ex ſemine nato, æquè habebit ſuam formam ſpecificam is, qui ex ſpecie ſimili generatus eſt, quam qui ex putredine; in utroque mure enim reperimus eaſdem paſſiones, proprietates, figuras, accidentia & operationes. Nihil dicam de ranis tum ex luto, tum ex aqua, in pluviis ranarum, teſte Scalig. genitis, deque cæteris verè æquivocè generatis animalculis. *Faſitas iſtius effati eſt manifeſtior in anguillis ex lutoſa colluvie generatis*, hæ enim habent ſpecificam formam & conſtituunt ſpecies mundi, & non generantur

tur ex ſui ſimili per multiplicationem formæ generantis, neque per multiplicationem formæ ſuæ propagant ſpeciem, non generantur univocè neque ſpeciem, neque formam propagant. Tolet. in comm. l. 2. de An. c. 4. text. L. quæſt. xi. ait, quædam ſemper ex putrefactione generantur, ut & alia animalia, quorum meminit Ariſtot. 6. hiſt. Anim. cap. 15. & 16. quædam modo ex putrefactione, modo ex partu vel ſemine (videlicet univoco) fiunt ut veſpæ, mures & alia quorum meminit Ariſtot. 7. Metaphyſ. cap. 7. Quæ ex putrefactione ſunt, alia nunquam generant, ut anguillæ & alia, ut docet Ariſt. 6. hiſt. anim. cap. 16. quædam generant ſed ſibi diſſimile in ſpecie, ut bombyces producentes papiliones Ariſt. 6. hiſt. anim. c. 16 Plin. lib. 10. c. 68. Quædam ſibi ſimile in ſpecie generant, ut mures & veſpæ, quæ ex putrefactione ſunt, iterum veſpas ſibi in ſpecie ſimiles generant, ut docet Philapon. ſuper text. 34. *Vnde craſſa apparet abſurditas regulæ & fundamenti Sennertiani: omnem formam eſſe ſui multiplicativam; & ſubornati præter mentem ſui domini & præceptoris volentis defendere nullam formam eſſe ſpecificam, quæ non ex multiplicatione formæ ſuæ ſpeciei ſit nata.*

XII. Ad demonſtrandam verò iſtius regulæ falſitatem, qua ſtatuitur omnem formam eſſe ſui multiplicativam, objeceram non uno in loco diſputationis meæ, De formarum origine, inde ſequi ſanguinem generare ſanguinem & generari à ſanguine, chylum à chylo, ovum ab ovo, ſemen à ſemine. Hic adeo conſtrictus eſt, ut quo ſe vertat, neſciat, nam in tract. de form. orig. fol. 116. reſpondet D. Sennertum intelligere hanc regulam de formis ſpecierum mundi

mundi ſpecificis & univocè generantibus, unde inquit chylum non generare, quia non ſit ſpecies mundi fol. 117. Verum hæc reſponſio & D. Sennerto & ipſi ſubornato eſt contraria, ut demonſtratum eſt. Tam enim ſubordinatæ & partiales formæ, juxta illos, ſunt ex ſimilibus ſpecie generatæ & ſpecificæ, quam quas illæ ſpecificas vocat, & ab illis diſtinguit, adeo ut de omnibus formis ſubſtantialibus naturæ vi generatis, deque omni generatione hoc intellectum velit D. Senn. quemadmodum ex ipſo liquidiſſime patet. Cum itaque nihil habet bonus ille ſocius Subornatus, quod pro ſui Væjovis axiomate in maximo periculo falſitatis poſito reſpondeat, cavillatur fol. 116. mutare me ſtatum controverſiæ, illudque quod Senn. pronunciavit de formis ſpecificis ſeſe univocè propagantibus, trahere ad formarum aliarum non ſpecificarum generationem & propagationem, quaſi nulla forma ſit ſpecifica, niſi quæ univocè ſit generata, & D. Senn. de omnibus omnium rerum formis illud intellectum non voluerit; Hoc autem voluiſſe D. Sennertum jam ante abunde demonſtratum eſt. Subjicit igitur Subornatus ex deſperatione in beſtialem obbruteſcens ſenſum hanc objectionem à me prolatam eſſe luſum puerilem, non quæri (ait) an omnis corporum naturalium mutatio ita fiat, ut faciens & factum ſint ejuſdem ſemper rationis & ſpeciei, ut forſan panis fiat à pane, cereviſia à cereviſia, calceus à calceo. In qua reſponſione plura hærent abſurda quam verba; Calceus enim ut formam non habet ſubſtantialem per generationem, naturæ vi productam, ſed artificialem & accidentalem vi artificis factam, differtque à corio, ex quo conſutus

ſutus & factus eſt, ſaltem figuraliter, ita etiam non generatur à ſutore, neque generat alios calceos. Sic piſtor & coctor cereviſiarum aut artocrearum non generat panem vel cereviſiam, nec architectus domum, neque artificiales formæ, quæ impropriè ſibi formarum nomen vendicant, ſuntque accidentia, ſeſe propagant, neque cum de ſubſtantialibus quæritur de artificialibus reſpondendum, niſi quis barbarè & rabioſe cavillari velit,

Sed pudeat ſaltem, te puduiſſe nihil.

XIII. Ideoque etſi chylus non generat chylum, quemadmodum calceus non generat calceum, tamen non ſequitur chylum non generari naturaliter, ſed fieri artificialiter ut calceus & cereviſia. neque tamen illud, quod non generat, forma ſubſtantiali & ſpecifica privandum fuerit, uti ſupra demonſtratum eſt. Non enim omnis forma licet ſubſtantialis, eſt ſui multiplicativa, ita ut à ſimili generetur & ſimile generet. Anguilla generatur & non generat, gemmæ generantur & non generant, chylus, ſanguis, lac, ſemen, ovum generantur & non generant ſimile, & tamen habent ſuam formam ſubſtantialem ultimatam, per quam ſunt id, quod ſunt & diſtinguuntur & in certam corporum naturalium claſſem reducuntur, teſte ipſo D. Sennerto non unis in locis, ut poſtea demonſtrabitur: ideoque etſi non generent, tamen corpora naturalia eſſe, & ad eorum ſpecies referri debere, minimè inficiandum. Vani itaque ſunt & inanes latratus Subornati in tract. de form. orig. fol. 117. cum vociferatur; Chylus, chymus, quid ad generantia? ovum quid ad corporũ naturalium ſpecies?

XIV. Verum cum videat ipſe ſubornatus hiſce cavillis

villis non ſatisfieri argumento à me propoſito(quod tale fuit: Si omnis forma ſubſtantialis eſt ſui multiplicativa, tum ſanguis generabit ſanguinem, chylus chylum; forma enim, quæ ſeſe multiplicando, generat, aliam ſemper univocè generat, & ex hoc defendebat ſubornatus cum Sennert. omnem generationem eſſe univocam, in tract. de form. orig. fol. 163.) aliam pari barbarie, audacia, impudentia & malitia profert reſponſionem, in tract. de form. origin. fol. 165. nutrimenta, qualia ſunt ſanguis, chylus, ſemen & lac, negat habere formas ſubſtantiales, & non generari ſed concoqui ait, Quæ coquuntur, inquit, non generantur, aliud enim (inquit) eſt coctio, aliud generatio. Conſidera, lector, reſponſum hoc & videbis vel ex deplorata malitia, infrunita impudentia, vel barbara ruditate eſſe profectum.

Primò enim hoc ipſo emittit crepitum fœdiſſimum in nares ſui præceptoris, cujus defenſionem in ſe recepit, ipſumque falſi & mendacii arguit. D. Sennertus enim lib. 5. Inſtit. Medic. part. 1. cap. 2. inquit, multæ aliæ ſubſtantiæ ſunt in corporibus animatorum, quæ quidem animatæ non ſunt, neque tamen mera elementa ſunt, aut eſſentiam ſuam à craſi elementorum obtinent, ſed formas ſuas ſubſtantiales, quas ab anima in corpore animato accipiunt, habentque, per quas ſunt, quod ſunt. Tales ſubſtantiæ ſunt lac, ſanguis, *quæ procul dubio omnes ſuas formas naturales, per quas conſtituuntur obtinent, eaſque ab anima accipiunt, quia producuntur & generantur ab animato corpore*, hactenus ille. Ex quibus diſertè patet Sennertum lacti, ſanguini, cæteriſque corporibus inanimatis ab anima genitis tribuere formam ſubſtantialem,

iiſque

iiſque competere generationem, eamque quam anxiè alioquin inficiatur, æquivocam. Sic porro idem D. Senn. lib. de Gal. cum Chym. conſ. & diſſ. c. 12. fol. 354. *ex chylo ſanguinem, ex ſanguine carnem per generationem miſtionemque novam fieri fatetur.* & ſane rabioſæ malitiæ argumentum eſt, quod objicitur non generari ſanguinem ſed coqui: barbara primò eſt locutio, ſanguis dum coquitur jam generatus eſt, & coctione vertitur in humorem corpori aſſimilandum: ſi vero velit hoc innuere, ſanguinem fieri per concoctionem, atque ideo non generari, falſum & quod abſurdum eſt, loquitur. Materia enim ſanguinis dum coquitur, non generatur ſanguis. Chylus eſt materia ſanguinis, hic coquitur & coctione præparatur, ut forma ſubſtantialis acquiri queat; præparatio perficitur in tempore, idque per alterationem & motum. *Generatio & formæ introductio non fit per partes, neque motu ſed in momento. Coctio perficitur actione & dominio caloris nativi in qualitates paſſivas humidum cum ſicco determinando, ſervitque naturæ docente Ariſtotele quarto Meteor. ut vel acquiratur nova ſubſtantia, vel novus ſubſtantiæ generatæ modus concilietur.* Dum igitur chylus concoquitur ut fiat ſanguis, non generatur forma ſanguinis ſubſtantialis, ſed diſponitur & præparatur ad hanc recipiendam & acquirendam. Etiamſi itaque ſanguis non generetur, niſi materia, ex qua generari debet, per convenientem coctionem ita diſponatur & præparetur, ut formam ſanguinis acquirere & recipere apta ſit, tamen *coctio non eſt ſanguinis generatio.* Omnis autem coctio fit determinatione humidi cum ſicco, in qua actione, dum perfecta fiat concoctio, fit vera miſtio, ita ut nulla

 perficia-

perficiatur concoctio ſine exquiſita miſtione, licet non omnis miſtio fiat concoctione, quamvis in omni generatione quæ fit per miſtionem aliquam concurrere coctionem arbitrentur aliqui; Miſtio, quâ tenditur ad ſanguinis generationem, perficitur coctione, non verò illa, quâ ad generationem lapidis. Et cõctio vera perficitur à ſolis animatis, quia eſt vegetatricis animæ operatio. Tranſigat itaque ſubornatus primò cum præceptore ſuo dicente, dum ex chylo generatur ſanguis, ex ſanguine caro, fieri novam miſtionem novamque generationem, & ſanguinem atque lac aliaque in corpore animato generata habere ſuam formam ſubſtantialem.

De formarum recens à novatoribus inventarum differentiis abſurdis, diſcurſus ſecundus.

XV. CVm videret Sennertianus Ganymedes vel etiam ipſe Sennertus ſua dogmata nõ poſſe defendi, ſi ad Lydium principiorũ antiquitatis lapidẽ examinarentur, iis irriſis & rejectis nova ipſimet excogitare & ſic comparare annixi fuere, quæ in recenti ſua Schola pro apodicticis habeant, ad quæ provocent tanquam recepta & vera, & quibus ſuppoſitis omnia ſua paradoxa ſuperſtruunt, & veritatis argumenta refellere & ſolvere ſatagunt, uti in progreſſu videbitur. Id ut luculenter demonſtremus, ſciendum diſputationem & litem inter me & D. Sennertum ortam eſſe de formarum ſubſtantialium, quę generationi & corruptioni obnoxiæ ſunt, origine: has ego è potentia materiæ oriundas eſſe, & à materia ſecundum eſſe & fieri dependere cum veneranda anti-

antiquitate aſſerui. D. Senn. autem contrà, eas ortum ex hac non aſſequi ait, quod omnis forma ſit ſui multiplicativa, & multiplicetur per diviſionem efficientis & generantis in generatum, ut omnis forma ſit ab efficiente, & pars formæ efficientis & generantis in generatum diviſa & propagata.

X VI. Hanc abſonam & erroneam opinionem cùm ſolidis ex antiqua philoſophia fundamentis à me conquaſſari & everti videret, ipſa principia æternùm vera, negare, convellere & criminari non erubuit, maluitque contra divina & humana oracula ad interitum & corruptionem veriſſimarum, hactenuſque inconcuſſarum diſciplinarum, nova & abſurda pro defenſione ſuorum errorũ comminiſci & ſcholis ac inerti adhuc juventuti & ſimplicioribus obtrudere, & ad deſperata petulanter deſcendere conſilia, quam veritati cedere aut locum dare. Ad defenſionem originis formarum à Sennerto excogitatæ formas corruptibilium corporum omnes (de ſubſtantialibus earumque ortu noſtra lis eſt) in tr. de form. orig. fol. 3. Subornatus propugnator Sperling dividit in ſpecificas, ſubordinatas, accidentarias & partiales. Specificas ait eſſe, quæ materiæ actum ultimum & ſpecificum largiuntur, certamq; mundi ſpeciem cõſtituunt: De his intelligendũ illud; Data forma, dantur tria. 1. eſſe. 2. diſtingui. 3. operari. Tales formę (inquit) ſũt anima hominis, anima canis, anima quercus, forma auri, forma Solis: ubi initio notabis contradictionem, quod hoc loco fol. 3. corpori ſolis aſſignet corruptionem & inter corruptibilia ponat corpora, & tamen fol. 9. inter incorruptibilia referat. De auro cum Scaligero, qui illud incorruptibile ſtatuit,

tranſigat ipſemet. Planum verò eſt dari formas ſpecificas in mundo corporum etiam incorruptibilium, quod hoc exemplo teſtatur, quas male corruptibilium corporibus propriè aſſignat. Sed miſſis & in tranſitu notatis leviuſculis hiſce, conſiderabimus primò naturam & requiſita formarum ſpecificarum quatenus illa traduntur à Ganymede ſubornato. Pro rato accipimus illas eſſe formas ſpecificas, quæ materiæ actum ultimum & ſpecificum largiuntur, & quibus competat dare eſſe, diſtinguere & operari. Alterum quod addit, formam ſpecificam certo conſtituere mundi ſpeciem, etſi non negemus, tamen cum eo utatur pro fraudium & omnium impoſturarum velo atque operculo, quo ſuos errores & barbariem palliare nititur, momentoſius ponderandum & intimius diſpiciendum eſt. Decuiſſet illum ſi candidè & non fallaciter agere voluiſſet, primò explicaſſe quas res ipſe intelligat per ſpecies mundi, vel mundum conſtituentes, verum cum latitet ſtatim in principio & nihilominus in eo unicum reponat perfugium & fundamentum ſuæ fraudis, ex propriis ſcriptis plenius eruenda ipſius ſententia.

XVII. In tract. de form. orig. fol. 116. intelligit per formas ſpecierum mundi eas, quæ ſeſe ipſaſmet multiplicare & propagare poſſint, ita ut omnis generatio ſit univoca & in generationibus cauſa principalis ſit ejuſdem ſpeciei cum genito, & generans non nudam materiam cum aliqua potentia communicet, ſed formam ipſam actu in ſemine hærentem & latentem producat. Hinc ſequitur quod formæ ſpecificæ ſint iſtarum tantum rerum, quæ ſeſe per formarum ſuarum multiplicationem (quod juxta

Sen-

Sennertum fit diviſione) propagent, & iſtas eſſe ſpecies mundi, quæ ex ſpecie ſimilibus ſint generatæ. Vnde neceſſariò deducitur 1. omnem generationem, quâ producitur forma ſubſtantialis ſpecifica, illis eſſe univocam, & nullam rerum, habentium formam ſpecificam eſſe æquivocè generatam.

XVIII. 2. Quod omnis forma ſpecifica ſit à generante ſpecie ſibi ſimili producta, & quod vera generatio ſit tantum inter ſimilia ſpecie & res ejuſdem ſpeciei. 3. quod nulla res æquivocè generata, quam nos ita produci aſſerimus, habeat ſpecificam formam vel ſit ſpecies mundi. 4. quod illæ res, quæ ſunt ſpecies mundi & ſpecificā formam habent, generentur ex ſemine vel mediante ſemine, in quo actu forma ipſa hæreat & lateat, quæ ſibi corpus proprium ex ſemine fabricet. His ita conſtitutis cæteras formas, quæ non à ſpecie ſimilibus generantur neque per ſemina generantur, neque (uti ait) ſpecies mundi conſtituunt, aſſerit non eſſe ſpecificas, & has diſtinguit in partiales, ſubordinatas & accidentarias.

XIX. Primo autem hic notanda fraus & cauſa cur hanc faciat diſtinctionem formarum Ganymedes. Ipſe D. Sennertus nullam formam ex potentia materiæ oriri volebat, ſed ex hoc quod omnis forma ſit ſui multiplicativa, idque per diviſionem ſui propagetur, unde & dicebat lapidem generare lapides: quo jacto fundamento aſſerebat omnem generationem eſſe univocam, nullam dari æquivocam, & quod omnis forma generans ſibi corpus ſit in ſemine, in quo & plures eſſe poſſunt formæ, inter quas una poſt aliam ſit princeps, cæteræ dicantur ſubordi-

natæ, & quia aliæ poſt aliam veniant ad opus conformationis corporis, accidit ut ex ovo fiat eruca, ex eruca bombyx, ex hoc necydalus &c. Huic omnis ſubordinata eſt ſpecifica, quia eſt actu in ſemine, & ex ſemine ſibi fabricavit corpus. Alia itaque eſt ratio formarum ſubordinatarum apud Sennertum, alia apud ejus Ganymedem, qui modo ait formas eſſe concreatas & dein congeneratas animalibus grandioribus, adeo ut remaneant in cadavere, & ex hoc fabricare queāt corpora: & poſtea ſubdit ipſa corpora ſuis formis conſtantia ipſis concreata eſſe, in tr. de form. orig. fol. 27. Sennertus vero omnes formas ab univoco generante eſſe productas docet lib. de Gal. cum Chym. conſ. & diſſ. fol. 344. nullam dari æquivocam generationem, & ſi alterius generis animal producatur, à quopiam animali diſſimili ſpecie, id fieri, quia in uno ſemine plures ſint formæ, quę ſub multis mutationibus integræ maneant, & nihilominus ab univoco generante productæ fuerint. *Nam ille vult probare formas ſubordinatas latere in ſemine: harumque generationem nihilominus eſſe univocam, quia nihil niſi ex ſemine vel rationem ſeminalem habente generetur.* Quod itaque ad formarum ſpecificarum, ſpecies mundi conſtituentium generationem reſtringit Ganymedes, illud D. Sennertus omni generationi aſſignat. *Quamobrem D. Sennertus omnem prorſus rerum omnium generationem eſſe univocam docet in tract. de Gal. cum Chym. conſ. & diſſ. fol. 344.*

XX. Vnivoca illi eſt primò, quia omnis forma ſui eſt multiplicativa, unde neceſſariò ſequitur univoca generatio omnium; Secundo quia nihil generatur niſi ex ſemine, vel eo quod ſeminalem rationem habet,

bet, ut docet Ibid.fol.345.ſemina verò alia eſſe analoga, alia ambigua, alia ad plures formas diſpoſita, alia univoca. In analogo ſemine eſſe ſeminale principium, ex quo animal vel planta producatur. Vnde animalia, quæ ex putredine, & quæ ex perfecto ſemine fieri dicuntur ſunt ejuſdem ſpeciei apud Sennert. Ib. fol.347. Seminale vero principium illi forma eſt, ſeu principium formale in tract. de Gal. cum Chym. conſ.& diſſ.c.9.fol.236. Semina ambigua ſunt, quæ plures in ſe formas includant, in quibus aliæ dominentur, aliæ ſerviant; alia ſunt ad plures formas diſpoſita, alia quæ confuſa continent principia ut in eo ex quo fit mulus.

XXI. Quæritur jam unde iſtæ formæ animalium in ſemine, & unde hæc generationis diverſitas, ut modo mus ex mure, modo ex re putrida & fimo oriatur. Reſpondetur ex D.Sennerto l.c.omnem formam eſſe ſui multiplicativam, & per ſemen vel illud quod ſeminalem rationem habet, vel conſtituat ſeminale principium generari, unde metallis & lapidibus ſeminalia principia aſſignat, & per ſemina propagari eorum formas ait, ita ut lapis generet lapidem & metallum metallum fol.236. Omnem generationem eſſe univocam, etiam rerum earum quæ ex ſemine analogo, ambiguo & confuſo naſcantur, quia rerum formę variæ non tantum in aliis atque aliis ſeminibus actu eſſe, ſed etiam multarum rerum eſſentia in multis mutationibus integra & ſub alterius formæ dominio deliteſcere poteſt, uti docet lib.de Gal.cum Chym. conſ. & diſſ. fol.345. exemplo lactis nutricum purgantis, quo ipſo vult demonſtrare formas rerum in aliis corporibus ſub aliis formis

delitescentes, naturamque ſuam ſervantes, non ab aliis quam ſuæ ſpeciei ſimilibus propagatas eſſe, licet ſub aliis variorum corporum formis per multas mutationes deliteſcere queant, & hoc pacto dum ſui juris factæ fuerint, generationem perficiant, quæ pariter uti omnis alia ſit univoca, quod omnis forma ſit ſui multiplicativa.

XXII. Formæ itaque ſubordinatæ in ſemine ambiguo juxta D. Sennert. pariter generantur à ſpeciei ſuæ ſimilibus per multiplicationem & propagationem ſuarum eſſentiarum. Quia omnis generatio ſit univoca & omnis forma ſui multiplicativa, quod forma in ſemine, ſub alterius dominio hærens oriatur ab alia ſui ſimili; & cum ſui juris ſit, ſimilem ei à qua avulſa eſt, ſpeciem producat, hoc pacto ex eruca fit bombyx, ex bombyce necydalus. Quæ vero generantur ex ſemine analogo utpote mures ex putredine ſeu fimo & animalia ignobiliora ex nobiliorum partibus atque excrementis, quomodo illorum univoca generatio defendi poteſt? Reſpondet D. Senn. fimum, plantas putreſcentes, & partes animalium putridas continere ſeminale principium, & vim ſeminalem ad certam ſpeciem producendam, unde animalia ex putredine genita non differant ſpecie ab iis, quæ ſemine propagantur. D. Senn. loc. cit. fol. 349.

XXIII. Vide nunc, amice lector, quid de formarum ſubordinatarum origine inaniter & frivole pro Sennerto contra Sennertum blateret Ganymedes Sennertianus Sperlingius, cum ait formas ſubordinatas ſpeciebus mundi à Deo concreatas eſſe, & cum iis porrò propagari, undè quercui, equis, bobus, balænis

læmis non una data forma in initio creationis, ſed variæ, quæ ſub primariæ dominio lateant: factâ vero anomaliâ, videl. pereunte primariâ, excuſſo dominio ad officium formale ſeſe accingant & corpus fabricent, uti habet in tract. de form. orig. fol. 3. cui mox ibid. fol. 37. diverſa & contraria ſubjicit, aitque non ſolum formas animalculorum magnis iſtis corporibus concreatas, ſed varia & infinita corpuſcula ſuis formis conſtantia, quod repugnat prioribus, ſi enim corpuſcula ſunt formis conſtantia, non ſunt nudæ formæ, quæ ſibi opus habeant formare corpora. Pugnat itaque primò ſecum, ſecundò cum Sennerto, qui formas ſubordinatas non cum ſuis corpuſculis ſubordinat principalibus formis, ſed nudas eas ibi ſolaſque ponit. Deinde D. Sennert. formas ſubordinatas non vult concreari vel concreatas eſſe ſpeciebus mundi & cum illis perque illas propagari, ſed eas quæ in ſemine ſunt ambiguo à ſui ſimilis ſpeciebus univocè generatas & productas eſſe, ut verum illi maneat, omnem generationem eſſe univocam & fieri per multiplicationem formæ. Tertiò rei foventi ſemen analogum concreatas eſſe actu formas animalium ex iis natorum, primo eſt abſurdum, quod videl: fimo habenti ſemen analogum muris unde mus generetur ſpecie non differens à mure ex ſemine animalis genito, Deus concreaverit formam muris, ſeu principium ſeminale muris quod ipſis eſt forma.

XXIV. An animalium, quæ ex nobiliorum animalium partibus & excrementis generari ait D. Senn. lib. de Gal. cum Chym. conſ. cap. 12. fol. 347. formæ à Deo iſtis primis concreatæ? has vero ſubor-

dinatas eſſe eorum formis ibid. aſſerit. fol. 358. & quare formas ex rebus putreſcentibus ortas ſubordinatis accenſet. Deinde repugnat hoc ipſius Ganymedis regulæ quâ ait ſpeciebus mundi cōcreatas eſſe formas ſubordinatas. *Fimus vero non eſt ſpecies mundi.* Quartò ſi animalia ex putredine nata ſpecie non differunt, ut ait D. Senn. l. de Gal. conſ. fol. 347. ab iis quæ ex ſemine propagantur, *formæ ſubordinatæ etiam ſunt ſpecificæ, quia certam ſpeciem conſtituunt.* Si vero forma muris ex putredine, in eaque deliteſcenti ſemine analogo nati, non ſit forma ſubordinata, & neque vel ad accidentalem vel ad partialem referri queat, neceſſe eſt, ut ſit ſpecifica, aut ad nullum genus formarum à Ganymede numeratarum referri poterit. Si ſit ſpecifica tum falſum eſt, omnem ſpecificam formam à ſuæ ſpeciei ſimili per multiplicationem & diviſionem ſui propagari. Non enim fimus ex quo mus naſcitur, eſt ejuſdem naturæ ſpecificæ cum ſemine maris & ſemine murium, uti ipſe D. Senn. in tract. de Gal. cum Chym. conſ. & diſſc. 12. fol. 346. ex Scalig. lib. 1. de plantis diſertis verbis docet.

XXV. Et ut de formis ſubordinatis, quas veterator dicit concreatas ſpeciebus mundi latius diſpiciamus, ſtatuendum concreatas has propagari, vel quod eædem quales ab initio conditæ & concreatæ ſunt, ſub & in ſpeciebus, vel deſtructis illis rebus; quibus concreatæ erant, ſeſe propagent. Nam ſcarabæus aut veſpa aut vermis, cæteraque animalcula, aut eorum formæ cum ſe ſuaſque ſpecies producunt juxta Ganymedem, non generant alia animalcula, quam ſui ſimilia. Et Sennertus ait omnem formam vel

prin-

principium ſeminale ut generet, eſſe in ſemine univoco, ambiguo vel analogo & diſpoſito, omnem formam generare, quod ſibi fabricet corpus: nulla vero poteſt ſibi fabricare corpus niſi ex ſemine vel ex eo, quod ſeminalem rationem habet, uti mordicus defendere conatur D.Senn.l.de Gal.cum Chym.conſ. c.9.& c.12. Vnde non ex qualibet materia fit quidlibet, ita ut quævis ſeminalem rationem habeat ad rem quamlibet; ſed ad certam tantum, ut generentur certa ex certis, ut ibid. c.12. fol.347.& ſeq. copioſe explicat. Sic forma ſcarabæi facit ex ſterquilinio & ex cadavere equi ſibi corpus. Sed hæ formæ ſubordinatæ aliis ſpeciebus, ſunt vel eædem, quales ab initio creaturæ iiſdem erant concreatæ, idque nudæ, quæ uno corpore deſtructo, aliud ex alio novum ſibi fabricent & ſic ſpeciem ſuam in mundo conſervent, vel non nudæ ſed cum corporibus ſuis concreatæ ſpeciebus mundi, ut vult Ganymedes in tract. de form. orig. fol. 19. atque ſic perdurent, vel deſtructo corpore novum fabricent, vel quod formæ (juxta illorum regulam) ſeſe multiplicent & propagent, idque per ſui diviſionem; ſive id fiat in ſpeciebus, quibus connaſcuntur; ſive extra eas, cum ſui juris factæ corpora fabricent. Si primum ſtatuas duo ponis abſurda vehementiſſima,. videl: omnem ſcarabæum, veſpam, & ejus cenſus animalium formas ab initio mundi fuiſſe, nullumque ſcarabæum, veſparum, vermiumque aut ullum ejuſmodi animalium ſubordinatorum unquam generatum, ſed quale ab initio fuit creatum manſiſſe, idque mutato ſaltem corporis habitu materiali & veſtimento & ſubjecto eorumque cultu, vel aſſumpto & fabricato

cato ex materia novo corpore, quod opinionis monſtrum tollit rerum generationem, cum generatio non ſit fabricatio corporis ex materia, ſed productio formæ ſubſtantialis in materiam vel è materia. Neque enim illis generatur res, cum fabricatur corpus ex materia, ſed cum producitur ſemen continens formam, uti D. Senn. ſtatuit ex Scalig. exerc. VI. fabricantem ſibi corpus.

XXVI. Forma vero illis generatur per diviſionem generantis formæ mediante ſemine, vel eo quod ſeminalem rationem habet. Sed cum illis nulla abſurditas ſit abſurda, videntur hanc abſurditatem concedere & aſtruere, quia dicunt rem omnem eſſe actu. quod actu eſt, non generatur. Omnis generatio ipſis fit, per diviſionem formæ: quod dividitur actu eſt, quod actu eſt, non generatur, *Generatio enim eſt nova formæ productio, non ejuſdem quæ in efficiente actu fuit per diviſionem actu multiplicatio.* Sed generatur planè nova, quæ quidem quoad ſpeciem, unius naturæ, quoad individualem eſſentiam efficientis alia ſit. Aut itaque Ganymedes Sennertianus formas ſubordinatas docet eaſdem eſſe, quæ ſpeciebus mundi ſunt ab initio concreatæ & ſubordinatæ, vel cum D. Sennerto dicet novas generari per multiplicationem formarum, quod quælibet forma ſit ſui multiplicativa, aut eas ex nihilo fieri. Quodcunque horum aſtruit abſurdus & falſus eſt: primo contradicit D. Senn. qui omni conatu omnem formam, quæcunque ſit, ſive ſubordinata, ſive cujuſcunque generis ſit, ſui multiplicativam eſſe aſtruit, & licet ſæpe ſubordinentur formæ aliæ aliis, tamen ſubordinatas eſſe à ſui ſimilibus ſpecie propagatas docet. Si dicit formas

formas ſubordinatas concreatas, eaſdem ab initio creaturæ manere,& deſcendere cum & ſub omnibus ſpeciebus è quarum corruptione proſiliunt,tollit omnem iſtorum animalculorum generationem. Secundo magis abſurdum eſt,omnes eorum animalium formas, quæ ex corruptis plantis & animalium partibus putreſcentibus & animalium excrementis juxta D. Senn. oriuntur, ipſis eſſe à Deo concreatas & hac ratione homini & cæterisanimalibus ex quorum corporum per putredinem corruptione, talia naſcuntur animalcula, horum à Deo ter Opt. Max. concreatas eſſe formas, qualesſunt non tantùm ſcarabæorum, veſparum, omniſque generis indicibilium vermium,ſed & lacertarûm & bufonum & ſerpentum. Sed & longè abſurdiſſimum eſt, quod in tract. de form. orig. fol. 27. dicit,Deum non ſolum concreaſſe vel ſubordinaſſe ſpeciebus mundi formas horum animalium, ſed ipſa integra animalcula ſuis formis conſtantia. Et ne videar ipſi inutili blateratori aliquid affingere, videat benevolus lector in tract. de form. orig. fol. 27. ubi inquit, formas in & cum ſpeciebus mundi à Deo eſſe creatas. Quum enim(inquit ibi) Deus quercum, equum, immania cete &c. fecit, *non unam ſingulorum animam fecit, ſed egregia corpora variis & infinitis ferè corpuſculis, ſuis itidem formis conſtantibus gaudentia creavit, quæ demum animalia introducta ſeſe oſtentant, ſuumque alacri ſtudio concelebrant creatorem.*

XXVII. Vides, amice lector, effrontis frontis impudentiam & abſurditates. Deus ter Opt. Max. non tantum formas beſtiolarum & peſſimorum venenatorum animalculorum hominibus & animalibus ab initio

initio concreavit, uti ajunt, ſed ipſa animacula; quid enim aliud ſunt corpuſcula ſuis formis conſtantia, quæ anomaliâ factâ ſeſe oſtentant, quam ipſa animalcula & beſtiolæ? ſanè non ſunt ſolæ earum formæ. Quale igitur monſtrum eſt homo, quale quodvis animal grandius? tot tantiſque imò infinitis beſtiis concreatis aut connatis, & ad conſtitutionem ejus conſervandam ut ait fol. 28. inſitis, conſtans & prægnans. Sic enim nullus homo, nullum animal à Deo creatum & ex creaturis natum fuit vel eſt ſanitate præditum. Quantis enim vexantur cruciatibus, qui ſolis laborant lumbricis ſeu vermibus minus venenatis ſaltem in inteſtinis hærentibus? quæ illis oboriuntur ſymptomata? inter quæ cardialgica, epileptica, aliaque funeſta mala. Quid fiet de his animalibus, quæ adeo infinitis beſtiolis fœta & repleta ſunt? Et ſane cum mendacem oporteat eſſe memorem ille ſibi in propriam faciem contradicit fol. 3. cum inquit, formas ſubordinari & ineſſe ſpeciebus & ibi ſub formarum ſpecificarum dominio latitare, donec anomalia facta excuſſo dominio ad officium formale ſeſe accingant, & domicilium (quod ipſis eſt corpus) exſtruant, fol. vero 27. dicat Deum corpora egregia, ut quercus & animalium majorum veluti equi, balenæ, in quibus infinita corpuſcula, ſuis formis conſtantia concreaverit, creaſſe, quæ anomalia facta ſeſe oſtentent. Ergo non nudæ formæ ſunt ſubordinatæ quæ facta anomalia ſibi demum generent corpora. Nec minori laborat abſurditate, ut cætera taceam, quod inquit in tract. de form. orig. fol. 31. de fine harum formarum cum ſuis corporibus latitantium in & ſub ſpeciebus adhuc ſalvis & integris, quod

vide-

videlicet faciant ad conſtitutionem corporis. Eguit, enim, inquit, tali corpore equus, canis, leo. Ergo ad corporum noſtrorum conſtitutionem faciunt corpora ſerpentum, ſeu ſerpentes, ranæ, bufones, lacertæ, vermes, & ex iiſdem conſtituuntur, his indigent ad ſui conſtitutionem. Ex iis igitur actu conſtituimur, quæ noſtræ naturæ ſunt deleteria & lethalia, quibus ſi inſint, continuo perimus. Hæc, inquam, iſtis bardis & impiis Dei & pietatis calumniatoribus dicuntur noſtra corpora unà conſtituere, his ad conſtitutionem indigere. *vah! pudeat tantum te puduiſſe nihil.* pudeat in creatorem & in ſanam philoſophiam mendaciorũ. Sane in hac opinione nihil inveni veri, quã quod ejus qui eam cõmentus eſt, cerebrũ & caput innumeris vermibus ſcateat, & vermiculatũ ſit, & infinitis crabronibus repletũ miſerè agitetur ſive ita vermiculet à prima origine, cõgenitis ſibi vermibus & veſpis, ſive ex ſemine. Verumenimvero hæc animalculorum & beſtiolarum cæteris animalibus concreatio, uti per ſe, veluti demonſtratum eſt, abſurda eſt & blaſphema, ita prorſus repugnat ſacrarum literarum decretis. Deus enim rerum omnium uti plantarum & animalium genera & ſpecies abſolutè initio creavit ita, nec ulli ſpeciei formas alias vel alterius generis animalia concreavit. Ait enim Gen. c. 1. verſ. 24. producat terra animam viventem in genere ſuo & jumenta & reptilia & beſtias terræ ſecundum ſpecies, & factum eſt ita: Et fecit Deus beſtias terræ ſecundum ſpecies ſuas, & jumenta juxta ſpecies ſuas & omne reptile terræ in genere ſuo. Porro de animantibus ex aqua creatis idem dicitur: Reptilium itaque & omnium animantium ſpecies creavit

vit Deus in ſpecie adeo ut exiſterent, non concreavit alia ſub aliis ſpeciebus latitantia, ſed talia, quæ in ſpecie juxta ſuum genus ſingula prodirent, qualiter omnis ſpecies animæ viventis ad Adamum eſt adducta à Deo, & ab Adamo nominata, Gen. 2. verſ. 19. & 20. inter hæc animalia fuiſſe ſcribitur ſerpens, cujus tamen genus tunc fuiſſe creatum conſtat, licet ex animantium corruptorum corporibus etiam ſerpentes naſci queant, ex quibus ſane non naſcuntur, quia his concreati ſint ab initio.

XXVIII. Sed priuſquam impudens illud figmentum de formis concreatis & connatis dimittamus, operæ pretium eſt conſiderare, quomodo concreata corpora vel formæ propagentur cum ſpeciebus, quibus initio concreatæ erant. Eaſdem numero, quæ ab initio creatæ erant, cum & per ſpecies ſingulas propagari abſurdum eſt, quod hæc opinio tollat generationem, deinde repugnat ſacris literis. Vult enim Deus omnem animam viventem & omnem creaturam animæ viventis creſcere & multiplicari. Adeo ut nulla ſtirps vel animalculum tam vile ſit, quod non multiplicetur & multiplicando conſervetur ſpecies. Non enim Deus conſervat rerum ſpecies per individuorum æternitatem vel perpetuitatem, ſed per novorum individuorum continuam jugemque generationem. Quæ ſententia ſacrarum literarum pariter expungit abſurdum commentum, de formarum ex nihilo productione. Quærere itaque reſtat, quomodo illæ formæ ſubordinatæ propagentur cum ſpeciebus. Propagantur itaque cum ſpeciebus vel viventibus, vel per eorum excrementa, vel cum corporibus ſpecierum demortuis. Cum vivis propa-

propagabuntur cum ſemine de ſpeciei individuo in individuum ejuſdem ſpeciei, quia D.Senn.ait plures formas ſubordinatas poſſe eſſe in uno ſemine, & ſic forma ſcarabæi eſt in ſemine equi ſubordinata formæ equi, quæ eſt ibi forma principalis. Tranſit autem vel nuda forma vel corpus ſcarabæi ſuâ formâ conſtans, ut vult Ganym.in tract. de form. orig.fol. 27. ſed hoc eſt abſurdum, quod ſic alioqui innumeri actu ſcarabæi tranſirent cum ſemine; ſi ſolæ formæ, tum vel illæ eædem numero quæ ab initio concreatæ fuerunt primis, è quorum individuis tranſeunt, & ſic ſtatuitur earum animarum metempſychoſis, tolliturque generatio, & animarum viventium divinitus ſancita multiplicatio. Si novæ formæ producuntur per generationem, nulla forma producit aliam formam niſi in corpore, quod actu informat, ſic redit prior difficultas quod actu ſcarabæi ſint in equis, in quibus formas generent, & reſtat primò quærere, quomodo hæ formæ ſcarabæorum in equis generentur à ſcarabæis, an quia dividantur juxta Senn. & diviſione multiplicentur? & cum diviſio formarum fiat juxta diviſionem ſubjecti, quod eſt ſemen vel aliquid ſeminalem rationem habens, à quo ſunt formæ, an tale quippiam generent in equis, quo mediante ſuam formam mittant ad teſtes equi, ibique ſemen ſcarabæorum cum ſemine equi miſceatur, & forma ſcarabæi equinæ ſeſe ſubordinet & ſubmittat? Sed cum generare non poſſint ſcarabæi, priuſquam formæ eorum actu ſint formæ ſui corporis, neque fabricent ſibi corpus priuſquam anomaliâ factâ liberentur à jugo & dominio formæ ſpecificæ, planum eſt nullam formam ſcarabæi poſſe in equo generari

 vel

vel cum ſemine ſcarabæi propagari, & ſic falſum eſt formas animalium ſubordinatas propagari cum ſpeciebus mundi, aut illis ſubordinari. Hoc verò etiam notandum *nullam formam actu entitativo exiſtentem, ſiquidem talis daretur, poſſe producere ſui ſimilem, niſi fiat formativa.* Forma enim ſcarabæi entitativa, aliam ſcarabæi formam producere non poteſt, quam per ſcarabæum. *Individua enim gignunt individua, non vero individuorum formæ generant individuorum formas extra individua.*

XXIX. Per excrementa propagantur formæ ſubordinatæ, vel quando ſunt in excrementis animalium, hæ formæ & juxta eorum phantaſticam philoſophiam fuerunt ſubordinatæ formis ſpecierum animalium à quibus hæc excrementa ejiciantur, vel quando formis excrementorum ſubordinantur, verum forma muris in fimo & ranæ in limo, uti nec cæterorum innumerorum vermium & animalculorum ex quiſquiliis natorum nunquam ſunt ſubordinatæ, nec congenitæ, nec ab initio concreatæ quiſquiliis ex quibus oriuntur. Et formæ animalium ex putreſcente materia ortorum, ex ſemine analogo illis oriuntur, quod non eſt ejuſdem naturæ ſpecificæ cum ſemine animalium univocè natorũ, licet unius ſpeciei animalia ex utroq; generentur, uti dicto loco inquit Senn. & quando cum cadavere animalium propagantur formæ ſubordinatæ, ita ut ex equi cadavere ſcarabæi ſive crabrones generantur, quomodo forma ſcarabæi ex cadavere equi format corpus, *cum actus entitativi illis ſic dicti nulla ſit operatio, priuſquam fiat formativus*, quando Sennerto nulla forma exiſtat, niſi in propria & ultima materia, nõ vero in quacunque.

Sed

Sed inepti ipſmet ſumus, qui his opinionum quiſquiliis diu immoramur. *Semel probatum eſt nullam rei corruptibilis formam alibi exſiſtere poſſe quam in materia propria & in corpore illo quod informat vel animat, & nullum dari actum entitativum multo minus formam, extra proprium ſuum corpus, cujus organis ad operationem opus habet, poſſe eſſe vel quicquam operari.* Nulla enim forma actu entitativo eſſe poteſt in proprio corporis, cujus forma eſt, ſemine nec cum ſemine dividi, & ſic neque propagari, nulla in alieno, nulla ulli ſpecificæ ſubordinari, ita ut ſit extra propriam, quam informat, materiam, *nulla extra eam vel eſſe vel exiſtere vel operari poteſt.* Nulla itaque datur forma ſubordinata, neque hoc pacto à ſpecifica diſtinguenda eſt, quæ eſt ſub ſpecificæ dominio. Forma terræ in rebus eſt ſub dominio ſpecificæ, ſed in propria eſt materia, & retinet naturam formæ ſpecificæ, etiamſi alii ſpecificæ ſubeſſe poteſt. Non eſt forma ſpecifica rei, cujus formæ ſubeſt, ſed eſt forma ſpecifica materiæ, cujus eſt forma, cum qua manet, venit, recedit.

XXX. Hic notandum quod inſolenti audacia & authoritate propria, quæ ſane ſtercorea eſt, audeat non ſaltem terminos receptos alieno ſenſu corrumpere, ſed & nova ſimul cũ iis principia reducere. Quis cauſas ſubordinatas & rerum ſubordinatarũ formas è numero ſpecificarum formarum unquam excluſit? Cauſæ eſſentialiter ſibi ſubordinatæ à ſe mutuo ſic dependent, ut poſteriores ſine prioribus nec eſſe nec agere poſſint, pendentque, dicente Scaligero, à ſuperioribus propter æquivocam connexionem, non propter univocam effectionum cummunicationem, quia ſuperiora ſunt cauſæ conſervatrices inferio-

rum: quia illa cauſa cauſarum tuetur ea, quæ fecit, per ea quæ fecit. Formæ harum cauſarum aliis ſubordinatæ ab aliis conſervatæ & dependentes nihilominus ſunt ſpecificæ; & longe aliter hic à veris philoſophis uſurpatur terminus & res ipſa. Formæ etiam, quod ſunt in uno corpore ſub alterius dominio, non amittunt vim ſpecificam ſed manent formæ ſpecificæ iſtius ſubjecti, cujus formam conſtituunt. Sic oſſa, caro, nervi & alia ſervant ſui corporis proprii formam ut ſubſtantialem ita ſpecificam, quemadmodum paulo poſt demonſtrabimus, has formas, quas ille nominat novo in nova ſcurrili philoſophia termino, partiales tam eſſe ſpecificas quàm ſubſtãtiales, quamvis ille illas à ſpecificis diſtinguat. Demonſtratum eſt hoc ſenſu, quo veterator ille uſurpat formas ſubordinatas nullas dari, in rerum natura, *quia nudæ formæ ſub aliis nec generentur, nec inſint, nec ineſſe poſſint.* Vanam ideoque apparet illam eſſe differentiam formarum ſubordinatarum nullibi in natura exiſtere potentium.

XXXI. Accedimus propius ad examen formarum ſpecificarum. Omnem formam eſſe ſui multiplicativam docet & omni conatu convincere conatur D. Senn. in tract. de Gal. cum Chym. conſ. & diſſ. c. 9. fol. 169. & ibid. fol. 212. & fol. 232. cum dicit omnem formam, intelligit ſubſtantialem nulla excepta, quia nullam vult ex potentia materiæ educi ſed omnem generari ex communicatione eſſentiæ generantis in generatum, neque enim illi ex nihilo generantur, ib. fol. 194. Aut igitur forma ex potentia materiæ eſt, aut ex nihilo, aut ex participatione eſſentiæ generantis. Ex potentia materiæ oriri cap. 9. fol. 194. negat,

gat, ex nihilo fieri ait eſſe abſurdum ſtatuere. Ergo etiam per communicationem eſſentiæ generantis fiunt formæ partiales & ſubordinatæ, niſi illas ingenerabiles, aut res iis conſtantes non generari affirmare velis. Deinde omnis generatio eſt æquivoca vel univoca: nullam dari æquivocam diſputat D. Senn. lib. de Chym. cum Gal. conſ. & diſſ. c. 12. fol. 344. Ideo vero omnem generationem eſſe univocam aſtruere conatur, ut defendat regulam, quam poſuit, quod omnis forma ſit ſui multiplicativa. Si enim omnis generatio perficitur multiplicatione formæ per diviſionem ſui, neceſſario ſequitur, quod omnis generatio ſit univoca.

XXXII. Tertiò nullam fieri generationem ſine ſemine, vel re ſeminalem rationem habente docet ibid. cap. 12. fol. 344. quod requiratur ad formarum & plantarum propagationem certo modo diſpoſita & οἰκεῖα ὕλη, per quam forma ſeſe propagare poſſit, hinc tradit varios propagationis formarum modos, & explicat quomodo multarum rerum eſſentiæ ſeu formæ aut ſeminalia principia in multis mutationibus integræ & ſub alterius formæ dominio deliteſcere poſſint, quocirca ibid. fol. 336. tradit, in uno ſemine poſſe eſſe plures formas, ita ut una ſit princeps & domina, cæteræ quaſi miniſtræ, quas ſubordinatas vocat, unde deducit ex ovo fieri erucam, ex eruca bombycem, hinc nycedalum. Hoc autem ſemen ambiguum vocat, quod plures in ſe continet formas, aut ad plures diſpoſitum ſit, fol. 347. ſed & ibidem recenſet ſemen analogum, ex quo oriuntur res, quæ vulgo ex putredine naſci dicuntur, in quo revera ſeminale principium contineatur, unde animal vel

planta producatur, & non ex putredine ſimpliciter. Et ut omnem formam ſui multiplicativam eſſe & ſeſe multiplicare & propagare impenſius demonſtret, non tantum formas plantarum & animalium eſſe ſui multiplicativas & per ſemina ſeſe propagare, ſed & formas mineralium, lapidum & metallorum, atque ita omnem cujuſque rei formam, ſeſe multiplicandi vim habere exiſtimat in tract. de Gal. cum Chym. conſ. & diſſ. cap. 9. fol. 232. illiſque ſemina & ſeminarias rationes ſeu ſeminaria principia, quibus formæ ſeſe propagent, eadem ratione, qua animalibus & plantis aſſignat ibid. fol. 236. Ex quibus omnibus liquet D. Sennert. omnem generationem ſtatuere univocam, eamque fieri quia omnis forma ſit ſui multiplicativa & communicativa ac diviſiva, & quod dividatur & transferatur mediante ſemine, vel aliquo quod ſeminalem rationem habeat. Quæcunque itaque res generatur ex multiplicatione formæ ſeſe propagantis mediante ſemine, ita ut generatio illa ſit univoca, illa res ſpecificam habebit formam, ut tradit Ganymed. Senn. lib. de form. orig. fol. 116. & erit ſpecies mundi. D. Sennertus omnem generationem ſtatuit eſſe univocam, fierique per multiplicationem formę generantis mediante ſemine, ex quo neceſſariò ſequitur omnem formam rei ſeu corporis naturalis eſſe ſpecificam.

XXXIII. Hanc vero planè eſſe mentem Sennerti, ſi forte ipſius Ganymedes Sperlingianus illa, quæ pro demonſtranda ea hactenus ex eodem probata ſunt, cavillari velit, luce meridiana clarius & irrefragabiliter patet ex his quæ ſcribit in lib. de Gal. cum Chym. c. 12. fol. 352. miſtum (ait) qua miſtum formis

mis

mis elementaribus informari non repugno: verum cujuſque rei formam ſpecificam, quæ rei dat ſuam eſſentiam & nomen, ab elementis provenire nego. *Eſt enim in unaquaque re naturali & partibus corporis, præter materiam quam elementa ſuppeditant, divinius quoddam principium & natura quinta, quæ ſunt id, quod ſunt, & in certam rei naturalis familiam reducuntur. Elementa enim materia ſunt, ideoque actum dare non poſſunt*; hactenus ille. His poſitis liquet omnem formam quæ non fit ex potentia materiæ, vel formarum elementarium coalitu nata, quâ res ſit id quod eſt, & in certam ſpeciei naturalis familiam reducatur, ſeu quæ det rei eſſentiam & nomen, eſſe ſpecificam. Formæ rerum ſubordinatarum, ut crabronis, erucæ, nycedali, formæ item partiales, uti oſſis, carnis, nervi &c. non ſunt illis ex potentia materiæ, neque ex elementorum formis & ſunt formæ ſubſtantiales, dant eſſentiam & nomen & in certæ rei naturalis familiam rem, cujus formæ ſunt, collocant: Ergo ſunt formæ ſpecificæ. Eſt enim omne corpus naturale ſubſtantia corporea ex materia & forma compoſita; Forma illa ſubſtantialis, quæ rem conſtituit in eſſe, illa etiam diſtinguit & differre facit ab aliis omnibus rebus, & per illam eſt, quod eſt, & ut res ſeſe habet in eſſe, ita in operari. Os per formam oſſis & caro per formam carnis ſunt id quod ſunt, non per animam animantis, ſiquidem illa utriuſque & cæterarum partium eadem eſt, neque differentiam iis largitur, eaque recedente ſunt manentque id quod ſunt per propriam formam. Quæcunque itaque formæ largiuntur actum ultimatum & eſſe & diſtingui & operari (quod operari largiantur ipſe teſtatur Ganymed.

med. tract.de form. orig.fol.5.) illæ ſunt ſpecificæ, hoc faciunt illæ,quas Ganymed. partiales,& eæ quas ſubordinatas vocat.

XXXIV.Longè vero evidentiſſimè demonſtratur ex ipſius Ganymedis verbis formas partiales eſſe ſpecificas. Carnem, venas, & oſſa habere formas ſubſtantiales aſſerit in tract. de form.orig.fol.165.habere autem illa ſuas formas in ſemine, quod ſit ἀπόσπασμα σώματος, hoc eſt avulſum à corpore generantis juxtà materiam & formam, ut docet D.Senn. in lib.de Chym.cum Gal.conſ.& diſſ.cap.9.fol.204. quæ formæ in ſemine certum ædificent domicilium. In ſemine verò actu ineſſe, quicquid formarum eſſentialiter & in toto corpore eſt, ait Ganymed. in tract.de form.orig.fol.34.formæ illæ carnis,oſſium, venarum &c. in ſemine illis fabricant ſua domicilia, hoc eſt os,carnem,venas. Quia vero formæ illæ ſunt ἀποσπάσματα formarum oſſium,carnis, venarum, & ſunt exiſtuntque illis in ſemine & ibi fabricant ſibi corpus ſimile ei, unde avulſæ ſunt,neceſſariò corpora ſic generata habent formam ſpecificam, quia hæ formæ ſunt propagatæ per multiplicationem formæ generantis, inque horum generatione principalis ejuſdem eſt ſpeciei cum genito, à quo forma actu in ſemine hærens producta eſt, at taliter productæ formæ ſunt ſpecificæ, & res ſic genitæ habent formam ſpecificam, ut in tract. de form.orig.fol. 116. ipſe docet. Si vero velit oſſa, carnes & partes corporis non eſſe ſpecies mundi, cogetur juxta D. Sennerti ſententiam ſuperius recenſitam, qua ille docet partes corporis naturales habere ſuam ſpecificam formam,tum etiam propter rationes jam allatas concedere

dere omne quod habet ſpecificam formam non ſtatim eſſe ſpeciem mundi. Deinde cum ad conſtitutionem ejus, quod dici debet ſpecies mundi, requiritur ſpecifica forma, & an omne quod habeat ſpecificam formam non ſit ſpecies mundi, an res habens formam ſubſtantialem, largientem actum ultimum ad eſſe, diſtinguere & operari, adeoque conſtituens corpus naturale non ſit ſpecies aut non pertineat ad ſpecies mundi, definiat per ſuum Ganymedem D. Sennertus. Formæ vero ſubordinatæ cum deſcendant & propagentur ab aliis ſeſe univocè multiplicantibus (ex mente D. Sennerti) & mediante ſemine propagentur & ex ſemine, juxta D. Senn. forment ſibi corpus, & ſic fiant ultimata, & eſſe, diſtinguere & operari largiantur, cur non ſint ſpecificæ? poſitis omnibus formæ ſpecificæ requiſitis propriis, neceſſario & illæ ponuntur. Nulla vero nugacior & frigidior & miſerabilior eſt forma, quam illa, quam accidentalem nominat, cum hic de ſubſtantialium differentiis agamus, quatenus ſubſtantiis inter ſe, non quatenus accidentibus differant, & quod forma accidentalis non conſtituat ſpeciem ſub genere accidentalium. Sed ab his, quia examen non merentur, revertimur ad ſubordinatarum cribrationem ulteriorem.

XXXV. Subordinatæ formæ Sennerto ſunt, quæ ſub alterius dominio ſunt; ſunt vero tales in ſemine, in quo plures ſunt formæ, ita ut una dominetur, reliquæ ſint miniſtræ. Subordinatæ Sperlingero ſunt, quæ certis ſpeciebus corporum naturalium inſunt, & ſub ſpecificæ dominio latitant, donec fiat anomalia. Fit autem ſucceſſio harum formarum dum una eſt princeps & fabricat corpus, aliæ ſerviunt. Quæ

princeps eſt facit corpus, ſub qua cæteræ latent, ſic in ovo ſunt formæ erucæ, bombycis, nycedali juxta D. Sennertum. Vbi primo in ſemine dominatur forma erucæ, cui cæteræ ſunt ſubditæ, donec hac exeunte prodeat bombycis, hinc nycedali. Vbi conſidera D. Senn. fol. 336. dicere, vel fieri variorum animalium ex ſe ordine generationem, ſi una forma ſub diverſo ſchemate corporis in naturæ theatrum prodeat, vel ſecundò ſi in unò ſemine ſint plures formæ, quarum una ſit princeps & domina, reliquæ quaſi miniſtræ: perpendantur (inquit) bombyces, in quibus una anima diverſa induit corpora & ut lib. 5. de hiſt. anim. c. 19. & Plin. l. 11. hiſt. nat. c. 22. habet, varia fit formarum ſucceſſio, primò ex ovo fit eruca, deinde bombyx, hinc nycedalus. vide hic ingentes abſurditates, petitiones principii & contradictiones. Primo abſurdum eſt res alias ex aliis generari, ideò quod una forma diverſa induat corpora, *quia generatio non eſt habitus corporei mutatio ſub una eademque forma, vel materiæ alteratio aut nova aſſumptio, ſed novæ ſubſtantialis formæ productio. Secundum enim materiæ naturam & ſubſtantiam res ſunt eadem, ſecundum formam ſubſtantialiter differunt.* Deinde etſi forma una & eadem varia induat corpora non tamen diverſas conſtituit ſpecies rei, quod non à materia dependeat, nec una forma propter diverſum habitum diverſam conſtituit ſpeciem. Secundo, contradictio eſt in verbis D. Sennerti: ſi enim una forma diverſa induit corpora ut generentur diverſa ordine animalia, *certe non fit varia formarum ſucceſſio*, nam ubi una forma manet in diverſis corporibus, non fit diverſa formarum ſucceſſio. Tertio eſt inſignis petitio principii,

cipii, formam in ſemine eſſe actu, imo durior & magis falſa hypotheſis plures eſſe formas actu in uno ſemine, & obeſum figmentum novæ philoſophiæ in uno ſemine plures natare vel deliteſcere, inter quas una ſit princeps, reliquæ miniſtræ. Talia otioſorum hominum figmenta ſcurrilibus fabulis ſimilia iſti novi philoſophi pro principiis artium & ſcientiarum, ac ſi nova ſit cælitus per Ganymedem effuſa ambroſia, obtrudere non verentur juventuti & rudioribus. Quartò tandem diſſonantia magna eſt & contrarietas inter iſtos Cadmæos fratres de iſtis formis ſubordinatis. D. Sennert. vult inter ſubordinatas unam eſſe principem & dominam, cui cæteræ ſubordinentur, ut miniſtræ, veluti in ſemine tritici, eſſe tam tritici, quam lolii formam, illam principem, hanc miniſtram: verum contingere poſſe, ut hæc fiat domina & illa miniſtra, & hoc pacto ex tritici ſemine fieri lolium. Quæcunque enim formarum ſubordinatarum eſt domina, illa fabricat corpus & conſtituit ſpeciem; & rurſus ea, quæ antea fuit miniſtra rurſum ad dominium veniente, alia fit ſpecies. Sunt itaque formæ ſubordinatæ, quæ ſibi mutuò ſuccedunt & conſtituunt ſpecies rerum in mundo, triticum ſane nemo è ſpeciebus mundi excluſerit, ejuſque formam è ſpecificis. Tritici tamen forma poteſt ſubordinata eſſe formæ lolii & nihilominus fieri & eſſe ſpecifica, neque quod ſubordinetur, rationem ſpecificæ formæ illi adimit dum vel deliteſcit, vel ad actum dominii reſurgit. Contra barbarus ille Ganymedes Sperlingerus ſubordinatas à ſpecificis diſtinguit, aitque ſubordinatas latitare ſub dominio ſpecificarum formarum & ineſſe ſpeciebus corporum naturalium,

facta

facta vero anomalia (hoc eſt pereuntibus illis) has dominio excuſſo venire ad officium formale. Quæritur itaque quando veniunt ad officium formale, an non tunc conſtituant animalia ſpecificas formas habentia, & res ſpecie differentes à cæteris, & an triticum ex lolii ſemine genitum non conſtituat ſpeciem & habeat formam ſpecificam. Falſum itaque eſt, juxta D. Senn. illam formam, quæ eſt & fuit ſubordinata, non eſſe ſpecificam, quia alteri fuit ſubordinata, & ob id etiam non conſtituere ſpeciem mundi, adeo ut hoc pacto à ſpecificis ſit diſtinguenda.

XXXVI. Vide Lector, quam pulchra nobis cudunt ad ſubvertēdam veterem philoſophiam principia, ex quibus per omnia falſis & ipſis authoribus ambiguis (vide Senn. fol. 336. & 343.) & verè abſurdis inter ſe pugnantibus, contrariis, antiquam veritatem bruto planè auſu evertere annitantur. Sed & his ſubordinatis annumerat animalculorum formas ex nobiliorum animantium partibus putreſcentibus & excrementis natas. D. Senn. fol. 348. quarum catalogum ibidem recenſet, atque animalia ex putredine nata ſpecie non differre ab iis, quæ ex ſemine naſcuntur. (ubi primum nota, ſi ſpecie non differunt, ſpeciem habent, & inde, uti ipſe concludit ſuam ſpecificam formam, & ſunt ſpecies mundi) & Ganymedes in tract. de form. orig. fol. 27. enumerat ex D. Senn. varias generationes ex rebus putrefactis ortas, & inde concludit juxta eundem formas ſubordinatas in & cum ſpeciebus mundi creatas & cum illis propagari. Subſume nunc pediculos, mures, ranas ex re putrida & quiſquiliis natas, & vide an formę hæ ſpeciebus mundi concreatæ ſint, cum Senn. dicat hęc

animalia

animalia eſſe ex putredine nata, quatenus cum illa eſt quidam calor benignus ſeminalem vim excitans. Ex iis enim verbis vult duo concludere, primo ſpeciebus mundi & animalibus grandioribus ab initio formas ſubordinatas concreatas, ſed quid dico formas? imo ipſa corpuſcula his formis conſtantia eſſe concreata, & cum illis univerſim propagari. Et ex hoc diſtinguit formas ſubordinatas à ſpecificis, illaſque negat eſſe ſpecificas. Primo falſum eſt, hoc ſequi ex prolatis & allegatis ab illo D. Sennerti verbis, neque ex ullis prioribus hoc deduci; unaque eſt conſequentia & argumentatio à baculo ad angulum. Deinde falſum & affictum eſt D. Sennerto quod ſtatuat formas ſubordinatas eſſe concreatas mundi ſpeciebus & illas non poſſe eſſe ſpecificas, quia Deus creavit (uti ait ſcriptura) plantas & animalia, & horum quorumlibet in individuo & ſecundum ſpeciem ſuam, neque tritico concreavit formam lolii, & ſi maximè hoc factum foret tamen ſubordinatę formę juxta D. Sennert. ſunt ſæpè ſibi mutuo ſubordinatæ, ita ut diverſa occaſione, confluxu & conſpiratione, alterius alia ſit domina, alia ſerva, neque ob id illa vel hæc magis vel minus ſpecifica ſit, quod ſerva fuerit, neque enim in illa rationem ſpecificæ formæ à ſubordinatis diſtinguendæ ponit D. Sennert. cum enim ex ſemine tritici fit lolium, vel contra lolii forma nec tritico, nec tritici lolio ſubordinata amittit rationem formæ ſpecificæ, qua ſpeciem mundi, ſi dominæ vices arripiat, conſtituere poſſit. Deinde D. Senn. inſectorum & animalium formas certas certis animalium & plantarum formis ſubordinari ſcribit lib. de Conſ. & Diff. fol. 338. & ibid. fol. 347. inquit

ignobiliora

ignobiliora ex nobiliorum partibus & excrementis generari, ſed tamen certa ex certis. Contra Ganymedes Sperlingerus ait in tract. de form. orig. fol.27. Deum cum ſpecies mundi fecit, utpote cum equum vel cete creavit, non unam ſaltem formam equi vel cete elaboravit, ſed illa egregia corpora variis & fermè infinitis corpuſculis ſuis itidem formis conſtantibus gaudentia creavit, quæ anomalia introducta (hoc eſt pereunte illa ſpecifica forma) prodeunt, & ut fol.3. ait, excuſſo dominio ad officium formale veniunt. Deinde citat D. Franzium contra mentem D. Senn. Hic D. Senn. enim in tract. de Gal. conſ. fol.349. concedit animalia ex re putrida naſci, ille generationem ſimilem ſpecierum non niſi ex ſimilibus ſpeciebus certiſſima & conſtantiſſima generatione perpetuaque regularitate oriri & continuari, ne modo mus ex mure, modo mus ex putredine oriatur, aſſerit; vide, quam inſcitè allegat, quæ ſibi & ſuo præceptori ſunt contraria. Deinde quomodo ex prolatis verbis D. Senn. quæ refert in tract. de form. orig. fol. 27. deducet & concludet eas eſſe formas ſubordinatas, quæ ſpeciebus mundi concreatæ ſunt, & cum illis propagantur, quando D. Senn. etiam formas ſubordinatas illas eſſe prædicat, quæ oriuntur ex rebus putreſcentibus, utpote cum gryllus ex limo fornacis, vermis ex caſeo, pulicum ac pediculorum ſpecies ex tali materia certa, ex qua nulla alia animalia naſci queant, imo mures ex quiſquiliis, ranæ ex limo, dictante etiam Scaligero, oriuntur, quomodo dicet illas eſſe formas ſubordinatas concreatas & ſubditas aliarum & nobiliorum ſpecierum formis, an limus, fimus, ſcabies, putredines innumeræ,

unde

unde infinitæ vermium & animalculorum exſurgunt genera, ſunt ſpecies mundi, & habent formas ſpecificas, quibus reliquæ ſubordinantur, & quibus illæ concreatæ ſint à Deo?

XXXVII. Et hinc etiam vanam facit ſuam regulam, quam cap.9.in tract. de Conſ.fol.225.ponit D. Senn. Formas,videl.rerum naturalium nuſquam eſſe, niſi in individuis ſuæ ſpeciei, per ea cuſtodiri & propagari, cum c.12.fol.345.doceat formas rerum multarum in multis mutationibus integras & ſub alterius formæ dominio manere poſſe, ita ſeminale principium muris & aliarum ex putredine ortarum formæ ſunt in putredine, quia ſeminalis eſt quædam in iis vis, per quam denotatur vel potentia ad formam, vel forma ipſa; Non denotatur ipſi potentia ad formam, quia negat ullam ex potentia materiæ oriri formam;ergo eſt forma ipſa, quam per ſeminale deſcribit principium. Vide & conſidera, amice lector, horum novorum philoſophorum abſurda & monſtroſa male cohærentia & inter ſe pugnantia principia.Sennerto,in tract.de Conſ.& diſſ.fol.349. animalia ex putredine orta ſpecie nō differunt ab iis quæ ex ſemine propagantur, at Ganymedi, quæ ex ſimilibus ſpecie non generantur non ſunt ſpecies mundi, non habent ſpecificam formam, ut habet in tr. de form.orig.fol.117.& ea eſt ſententia ipſius de formis ſubordinatis. Mus ex putredine natus ejuſdem ſpeciei dicitur eſſe D. Sennerto cum illis qui ex ſemine nati ſunt, interim fimus, ex quo naſcitur mus non eſt ejuſdem ſpeciei teſte Scalig.& D. Sennert.in tract.de Conſ. & diſſ. fol.343. cum ſemine maris & fœminæ murium. Quando ex materia ſeminis univocè

vocè generantis ſit generatio, illa rectè dicitur univoca, quando vero ex materia oritur ſpecie differente, neceſſe eſt, ut omninò ſit æquivoca generatio, & licet hanc potentiam in re putrida ſeminalem rationem & vim ſeminalem, aut quocunque modo nominare voles, nuncupes, tamen cum ab univoco generante non ſit profecta, & materia & ſpecie differat à ſemine animalium iſtius ſpeciei, cujus generatur animal, neceſſario omnis generatio ex re putreſcente eſt æquivoca.

XXXVIII. Vnivoca enim eſt per multiplicationem formæ generantis ſeſe dividentis in generatum, at fimus & quiſquiliæ non ſunt ſemen muris, neque continent, neque continere poſſunt formam muris, quæ cum nulla alia re, quam ejus ſemine dividi & ſeparari poteſt juxta D. Senn. Hinc Scaliger, inquit, formam æquivocam in poteſtate generantis, univocam in materia eſſe. Vnde patet falſitas opinionis; qua ſtatuunt, nihil conſtituere ſpeciem mundi, quod non ex ſimili ſpecie & ex ſpecie mundi ſit natum. Mus ex putredine natus non differt ſpecie à forma muris ex ſemine nati; vide d. S. falſum item nullam dari æquivocam generationem, omnem generationē eſſe univocam & fieri per diviſionem formæ, generantis in genitum. Hic conſidera capill. Veneris, anguillas &c. Hic cadit regula, quâ dicitur omnis forma multiplicativa ſui per diviſionem, quæ fit mediante ſemine, aut eo, quod ſeminalem rationem habet. Fimus enim cum non ſit ejuſdem materiæ ſpecificæ cum ſemine murium, formam muris fabricantem ſibi corpus non continebit, & quomodo continere poſſit, cum forma muris non aliunde veniat,

quam

quam à mure, ab hujus forma propagatur per avulſionem & diviſionem mediante ſemine in mure genito, ſic enim forma eſt multiplicativa ſui; ſi *vero ſemen muris eſt in fimo, non eſt ſemen analogum, non eſt alterius naturæ ſpecificæ cum ſemine muris.* Et hic iterum quærere neceſſum eſt, quomodo ſeminale principium, quod in fimo habet rationem formæ generantis, aut fabricantis corpus muris, poſſit generare murem, aut fabricare corpus muris, cum omne quod generet, juxta Senn. & ejus Ganymed. univocè & ſibi ſpecie ſimile generet, per multiplicationem ſuæ formæ: hoc pacto ex fimo continente ſeminale principium ſpecie diverſum à ſemine muris non poteſt fieri mus. *Ex diverſæ natura ſpecificæ ſemine neceſſario res diverſa generatur, ſi omnis generatio ſit univoca.*

XXXIX. Sed & de origine harum formarum quærendum; forma enim fabricat ſibi ex ſubjecta materia (uti dicunt) corpus, ſed unde forma hæc in materiam hanc peregrinam, unde forma grylli in limo, vermis in caſeo, millepedum in colluvie ſub vaſe vinario & alibi, ſcarabæi in fimo equino. *Juxta illos, omnis forma prima eſt creata. Creatæ formæ ſeſe propagant per generationem, generatio ipſis fit per multiplicationem ſui, multiplicatio per diviſionem, diviſio mediante ſemine vel ſeminalem rationem habente.* Formæ creatæ ſunt vel ſpecierum mundi, dicunturque illi ſpecificæ, vel ſunt cum illis ſimul creatæ ita ut inſint ſpeciebus mundi, & harum formis ſpecificis ſunt ſubordinatæ, earumque dominio ſubditæ, vel denique formæ creatæ ſunt partiales. Omnes hæ formæ ſunt ſui multiplicativæ, & per diviſionem mediante ſemine aut ſeminali principio, juxta D. Sennerti opinionem propa-

 gantur,

gantur, ut probatum eſt; ſeminale vero illud principium juxta materiam & formam avellſtur à generante, fabricatque forma diviſa à generante non ex alia materia corpus quam ex eâ, quâ mediante à generante diviſa eſt. Vnde duo conſequuntur. Primo formam nullam poſſe propagari niſi cum materia, quæ à corpore, cujus formæ particulam defert, fit. Communicat enim omne generans, uti dicit ſubornatus tract. de form. orig. fol. 76. aliquid de ſua materia & de ſua forma, & ſemen eſt avulsũ quid ſecundum animam & corpus generantis, apud Senn. lib. de conſ. cap. 9. Forma itaque ut non cum quavis corporis parte avellitur, nec in quavis poteſt eſſe juxta D. Senn. lib. de Conſ. c. 9. ita nec ex quavis fabricat corpus multo minus ex aliena materia, nec in quâvis materiâ transfertur vel eſſe poteſt. Formæ autem murium in fimo, ranarum in limo, vermium in caſeo non tranſeunt cum ſemine aut ſeminali principio ex generante univoco propagato, nec fimus, limus, caſeus, ſunt materia generata & propagata à muribus, ranis, vermibus, multo minus eorum ſemen, à quo ſpecificè differunt, dictante Scaligero. Quando itaque omnis forma generet ſibi ſimile & formet corpus ex ſubjecta ſua materia & ſeminale principium muris ſit in fimo, quæritur quomodo venerit iſta forma hærens in ſeminali principio ſeu ipſum ſeminale principium in fimum: ſi à mure veniret non eſſet ſemen analogum diverſæ naturæ ſpecificæ à ſemine murium, ut ex Scaligero docet Senn. loc. cit. Deinde non eſt ſubordinata fimo, quia fimus non eſt ſpecies mundi, neque fimo à Deo primum concreata unde cæteræ porro propagatæ. Vnde ergo

go

go forma grilli in luto, ranæ in limo, muris in fimo, ſcarabæi in ſterquilinio, non ab univoco generante, quia hæc dividitur & tranſit cum proprio ſemine, nec cum alia parte dividi à toto corpore, neque in alia deliteſcere poteſt, ut docet D.Senn.lib. de Conſ. & Diſſ.cap.9. fol.203.& 204. Quin imo forma ſpecifica muris, ranæ & ſimilium nec ſubordinatur luto vel quiſquiliis.

XL. Hic cum conſtrictus teneatur rabioſus ille Subornatus, reſpondet in tract. de form. orig. fol. 139. *Ariſtotelem dicere, animarum eſſe omnia plena, ex quo deduci poſſet animam ſcarabæi tam eſſe in cadavere equi, quam ſterquilinio.* Quod ſi ita & hoc ſenſu accipiendum ſit, cur non etiam ſequetur omnia eſſe in omnibus, & ex quolibet generari quidlibet, & talem magiſtri formam eſſe in ſterquilinio ex eodemque fabricando ſibi corpus, componere talem ſtercoraceum diſputatorem. Quomodo vero illud ab Ariſtotele effatum recte ſit intelligendum, quamque nec ſecundum literam nec ſecundum ſenſum probè fuerit allegatum, vide apud Scaligerum exercit. 26. Cæteros Subornati cavillos, quia hanc operam non merentur, non tangam. Cæterum ponamus formam ſcarabæi eſſe in ſterquilinio & cadavere equino, muris in fimo, ranæ in limo, vermium aliorum in re putreſcente, tamen adhuc quæritur, an hæ formæ ex materiis iſtis poſſint fabricare corpora & conſtituere ſpeciem, & reſpondetur juxta D.Senn. quod uti forma non dividitur à generante niſi mediante ſemine proprio aut materia propria, quia uti ex Scalig.& Senn.teſtatur ſubornatus tract. de form.orig.fol.76.viventia in generatione aliquid

communicant de ſua forma & de ſua materia, ita etjam non fabricant ſibi corpus ex alia materia quam quæ à generante tribuitur. Sic nullum ullius rei datur ſemen, nullaque ſeminalis ratio in univocè generantibus, quæ non à generante proficiſcatur: omnis vero generatio eſt illis univoca, uti vult D. Senn. & ejus ſubornatus mordicus defendit. Hinc ſemen definitur apoſpaſma ab anima & corpore generantis, & Scaligero Sennertoque fit generatio cum generatur ſemen ab efficiente ſeu generante, non cum à forma in ſemine fabricatur, corpus. Nequaquam igitur forma ſcarabæi, actu entitativo illis (ſed falſo) exiſtens ex ſterquilinio vel equi cadavere, neque muris forma ex fimo, vel ranæ ex limo poteſt fabricare ſibi corpus, quia nihil generatur juxta Sennert. niſi ex ſemine, & quod ſeminalem rationem habet: at ut ſit quippiam ſemen vel ſeminalem rationem obtineat, vel ſeminis, id habet ex generante. Generans enim generat ſemen, & cum eo juxta Senn. propagat formam: ſterquilinium autem & cadaver equi non ſunt ſemen ſcarabæi, neque habent ex ſcarabæo ſeminalem rationem. Si enim forma ex proprio ſemine poteſt fabricare corpus, non etiam poteſt ex quavis materia, quia diſpoſitio materiæ, ut ex ea fabricari poſſit corpus, eſt à generante, à qua & materia & forma diviſa eſt juxta illorum commenta. Falſum itaque eſt formam ſcarabæi eſſe in ſterquilinio vel cadavere equi, vel in illud pervenire; vel ex eodem, ſi illi inſit, corpus fabricare poſſe.

XLI. Sed & hoc probe tenendum, actum entitativum ſeu formam (quam fingunt) actu entitativo exiſtentem, ſi exſiſtere poſſet, nihil operari poſſe, priuſ-

priuſquam fiat formativa. Generatio eſt actus & actio formæ informantis, non formæ actu entitativo (ſicubi daretur) exſiſtentis. Actus ſecundus nullibi præcedit primum. Actus primus eſt perfectio, entelechia cujuſque rei, qualis perfectio & entelechia & forma, talis operatio. Vnde vetus regula. Actiones ſunt compoſitorum non componentium. Et ſi pro more ſuo demum cavillari velint per vim ſeminalem in luto & quiſquiliis non denotari nudam formam fabricantem corpus ſed & materiam, tenendum totum hoc, quod ſemen vel ſeminale principium nominant, ex quo in luto ranæ & quiſquiliis vermes fiunt, eſſe diverſæ naturæ ſpecificæ à ſemine muris animaliumque ex ſui ſpecie ſimilibus generatorum, teſte D.Senn.& Scalig. Vana itaque etiam eſt exceptio eorum qui putant ideo hæc aliaque animalia alibi in corpore & extra è re putreſcente naſci, quia contineant vera, quæ forte ipſis obrepſerunt animalium ibi generatorum ſemina. Et non fuiſſet opus in his cribrandis, quiſquiliis ullã operam ponere, cum omnis harum abſurditatum lerna potiſſimum pendeat ex commenticio illo & ficto actu formarũ entitativo, cujus vanitatem cum ſuperius demonſtraverimus ſupervacaneum erat hæc adeo exactè, quod in gratiam lectoris fecimus, excutere. Si vero forma corruptibilis non eſt à materia ſua propria ita ſeparabilis, ut ſeorſim exſiſtere, & nullibi eſt vel eſſe poteſt, ubi non informat, ſane nec in ſemine, nec ſeminis rationem habente, multo minus in cadaveribus & rebus putridis & ſterquiliniis, limo, ſimoque actu entitativo ſtare, & adhuc longe minus ibi operari & corpora fabricare poteſt.

 XLII. Cum

XLII. Cum itaque mures & animalia è re putreſcente nata nec materiam nec formam accipiunt à ſpecie ſimilibus, adeoque ab his non generentur, neceſſario eſt eorum generatio æquivoca, & admittenda materiæ potentia, ex qua vi cauſæ efficientis ſpecie diverſa educitur forma. Vnde Scalig. exerc. 6. ſect. 2. ait formas univocas contineri in materiæ poteſtate, eas quæ materiis æquivocis imponuntur non in materiæ ſed agentis eſſe poteſtate: agens vero ſeu efficiens vel generans hic ſpecie differt à generato. Qua fronte igitur æquivocam generationem cum Ganymede ſuo negat D. Sennertus; Scaliger, à quo mutuatus eſt hanc opinionem de formarum propagatione per diviſionem, etſi dicat & doceat formarum multiplicationem per diviſionem formæ generantis, tamen ex hac omnium formarum generatorum originem non arceſſit, adeo ut omnem generationem eſſe inter ſpecie ſimilia eſſe velit (ait enim exerc. 15. neque generat omnia: unde ſequitur omnem formam non eſſe ſui multiplicativam, neque omnia quę generant ſibi ſimile generant) neque æquivocam excludit generationem, ſic muris è fimo generationem ibidem & exerc. VI. no. V. ait eſſe æquivocam: eumque Solis aut Veneris filium appellitat. Et paulo poſt inquit, formam fabricantem in fimeto corpus, eſſe nobiliorem, quam ſit forma informans: eſt enim principium movens & dans hanc illa, & ſic generari murem in quiſquiliis, in luto ranam, inter ſaxa metallum.

XLIII. Inde liquido cognoſcitur dari æquivocam generationem, & uti univoca illis eſt ea, in qua generans ſuæ quippiam eſſentiæ, ſeu aliquid de ſua forma

ma & materia communicat, nobis vero ubi communicat efficiens & generans ex ſe, non tamen à ſua ſubſtantia partem avulſam, ſed talem materiam quæ ab eodem generata & ſic inſtructa ſit, ut non aliam formam, quam quæ generanti ſpecie ſimilis ſit, aſſumere poſſit, ſeu potentia proxima ad illam affecta & imbuta ſit; ita in æquivoca generatione nec forma vel materia ab efficiente ſeu generante (quod fieri juxta illos in univoca generatione oportet) eſt profecta, nec noſtris in generantis corpore vel ab eodē genita, & ſic affecta & inſtructa potētia proxima ad formam generanti ſpecie ſimilem, ut præciſe & neceſſariò hanc, non vero aliam recipere & producere nata ſit. Vnde etiam adhuc clarius patet, univocè generantem cauſam non niſi in propria & à ſe generata & inſtructa materia producere formam ſimilem, ut falſum ſit primò generationem ſcarabæi ex ſterquilinio & cadavere equi, crabronis ex aſino, apum è vitulo, bobus, leonibus fieri, quia formæ ſcarabæorum, crabronum, apum actu entitativo in cadaveribus hærentes fabricent ſibi corpus. Secundò vanum eſt, hanc generationem eſſe univocam; quia ad hanc tam materiæ, quam formæ requiritur illis ab efficiente profectio. Deinde falſum eſt ex dictis cadaveribus illa generari animalia, ſi tantum materiam ſuppeditent, quia generatio fit per novæ formæ productionem, atque ita generatio ſit Scaligero & eidem aſſcribenti Senn. cum generatur ſemen continens formam, quod ſemen jam animal carens articulationibus nuncupant, non cum ex ſemine fit arbor vel animal, hoc eſt quando forma vel anima in ſemine fabricat corpus. Quando itaque forma ſcarabæi

fabricat corpus ex cadavere equi (quod falſum eſt ipſorum dicterium) vel ſterquilinio, non fit generatio, & ſic neque hoc pacto generantur ſcarabæi ex ſterquilinio equi, neque ex ejuſdem cadavere, & nec apes ex bobus, aut crabrones ex aſinis (mirabor num etiam ex cadavere magiſtri talia docentis naſcituri ſint crabrones, quorum infinitos in capite habere videtur, quia hæ formę ſubordinatę juxta illius mentem in tract. de form. orig. fol. 27. grandioribus animalibus & ſpeciebus connaſcuntur & cum illis propagantur) ſiquidem generatio ex aliqua re fit productione formæ ex illa re, ex qua generari dicitur, atqui hic forma jam generata eſt, & forma illis ſecundum eorum phantaſiam naſcitur ex diviſione & multiplicatione formæ generantis. Generari autem ex ſterquilinio & cadaveribus dicta animalia certum eſt, non verò hoc modo, quo dicunt formas iſtorum animalium jam generatas ex iis ſibi fabricare corpora, hæc enim abſurda & ridenda eſt opinio, quin nec ibi per commenticium ſuum actum entitativum exiſtere, neque ſi exiſtant operari & fabricare poſſe demonſtratum eſt. Neceſſariò itaque admittenda eſt æquivoca generatio, in qua efficiens ex materia à ſe aut ex ſe non profecta ſed peregrina & aliena generat ſuæ formæ ſibique ſpecie diſſimile, ubi forma generans uti ſpecie diſſimilis, ita etiam generatâ à ſe eſt nobilior, veluti ante dictabat Scaliger.

XLIV. Hic attende novatorum varia molimina: quæ non principia philoſophiæ, æternùm vera, peſſundare conati ſunt, ut hanc de generatione æquivoca ſententiam everterent? metuebant enim ne collaberetur rerum de origine formarum fundamentum,

mentum, quod in eo conſiſtit: *omnem formam eſſe ſui multiplicativam per diviſionem*, quocirca hoc poſito neceſſariò generatio univoca adſtruenda, & inter ſimilia ſpecie duntaxat fieri aſſerendum erat. Hinc ſanguinem, lac, ſemen aliaque in corpore genita privabant forma ſubſtantiali, quod ipſos facere neceſſum eſt, quia ſunt inanimata corpora ab anima generata, hinc tot formarum commenta & abſurdæ diſtinctiones, hinc neceſſum fuit ſolidiſſima philoſophiæ principia negare, ens in potentia è medio tollere, infringere regulam Ariſtot. 3. de gen. anim. *Omne quod fit, fit ab eo quod eſt actu ex eo quod eſt in potentia.* Imo formarum ex nihilo factionem aſtruere, comminiſci actus formarum entitativos, unde & formarum beſtialium incorruptio & perennitas & immortalitas & metempſychoſis & animalium palingeneſia. Summa: nihil tam abſurdè dictum aut fictum, nihil adeo falſum & jam dudum damnatum & antiquatum, nihil tam impium & eccleſiæ fideique chriſtianæ adverſum, quod aſtuere erubeſcant vel dubitent novatores, dummodò aliquid præſidii ex eo pro ſuæ malè conceptæ & exſecrandæ opinionis defenſione ſe capere poſſe confidant, quod tamen illos deſperatos diſputatores hactenus fruſtra habuit.

XLV. Sed revertendum nobis ad doctrinam de generatione æquivoca, ut enim hanc exploderent è rerum natura, etiam cælo ipſi vim inferre ſunt annixi & jam hi

Oppugnaſſe ferunt regnum cæleſte gigantes.

Cælo pænè vim omnem generandi in hæc inferiora detrahunt, ut æquivocam generationem non

 dari

dari probent; pari ratione ex putredine nihil generari cenſent.

[a] Cælum eſt agens univerſale, quia rerum in inferioribus generationis & corruptionis communis cauſa eſt æquivoca, idque non tali quadam vi univerſali, qua duntaxat communiter unoque modo ſeu uniformiter agat in omnia, ſed qua peculiari vi ad particularem omnium generationem concurrat, mediatè vel immediatè. Vnde Scaliger ait rerum omnium generationem fieri per cæleſtium corporum coitionem, exerc. 6. n. 1. & 2. *pro illorum viribus concurſione, miſtione, alienatione aliud atque aliud tum fiat tum ſit, tum fieri tum eſſe deſinat.* Quamquam radiationes, affectiones, vires non ante miſceri arbitretur quam in ipſo ſubjecto generabili aut alterabili conſtituantur. Vnde Senn. in phyſ. l. 2. c. 2. pag. 166. *à cæleſtibus corporibus non ſolum temporum & generationum ac corruptionum viciſſitudines, idque per motum ac lumen atque inde dependentem calorem effici, ſed eadem etiam per peculiares quaſdam vires, quas influentias vocant inferiora hæc afficere ſtatuit,* tultus argumento, quod in profundiſſimis terræ cavernis, quo nec lumen nec calor à cælo productus penetrat, *multa cælo concurrente generentur, quinimo ab occultis cæli influentiis multarum ſympathiarum & antipathiarum cauſam, quæ ſublunaria cum inter ſe, tum cum cælo habent, deducit.* Rerum itaque in his inferioribus omnium generationem & corruptionem perficit & moderatur, cælum, atque ideo communis & univerſalis cauſa dicitur. Id vero agit non una eademque facultate & virtute, qua ex æquo omnia reſpicit, ſed alia atque alia ſpecialiter,

prout

[a] *Cælum in hæc inferiora univerſaliter & particulariter agit.*

prout rerum generandarum ratio id poſtulat. Vti enim non una cæli facies & inde dependens tempeſtas, pro rebus, dum naſcuntur, maturantur, florent, fructuſque ferunt, conducit, ita *res certo ſyderum ortu, coitione poſituque alia atque alia, prout mediatè vel immediatè eorum vis concurrat, proveniunt interciduntve, ut ſupra uberius demonſtratum.* Vnde ſatis apparet cælum eſſe univerſalem cauſam, quatenus res omnes ſublunares afficit, *& particularem quatenus peculiari virtute ad ſingularum generationem mediatè vel immediatè concurrit.* Quod quo pacto fiat tum ex iis, quæ dicta ſunt, pateſcit, tum in ſequentibus dilucidius explicatur.

46. De cæli efficacia univerſali Scaliger inquit exerc. VI. n. 2. *Tria ſunt, quæ ſunt omnia: Unum ſimpliciter & à ſe ipſo, qui eſt Deus: Reliqua duo aliquo modo & hoc non à ſeipſis. Materia namque prima eſt omnia poteſtate receptionis: cæli ſunt omnia poteſtate efficiendi, & ibid. Exerc. 6. no. v. pendere ſanè noſtratia hæc à ſuperioribus propter æquivocam connexionem, non propter univocam effectionum communionem. Sunt enim ſuperiora quaſi formæ conſervatrices inferiorum. Quia hæc cauſa ipſa cauſarum tuetur ea quæ fecit, per ea quæ fecit, idcirco movemur quia moventur illa &c.*

47. Particularis cæli vis oritur vel ratione ſubjecti vel ratione *diverſorum cæli corporum diverſimode aut variè coëuntium aut influentiarum ſingularium.* Alia enim virtute & diverſa, dicente Sennerto, cælum generat metalla ſub terris quo lumine penetrare nequit, quam animalia & ſtirpes. Peculiarium ſiderum ortu hæ naſcuntur herbæ ſtirpeſque vel

felicius

felicius proveniunt, alio intereunt, alio eorum poſitu vel aſpectu radiorumque miſſione, influxione, miſtione diverſa naſcuntur, vigent, intereunt. Vnde Zabarella ait, cælum concurrere ad generationem miſti ut agens univerſale, non tamen ut proximum & immediatum, quod proximum ſit vis elementaris. Ignem vero nullum animal generare, nec animam educere de materia per calorem, quia non poſſit agere ſupra ſuas vires; cælum vero & virtutem vitalem cælo reſpondentem poſſe per calorem generare animal. Generantur vero juxta Zabarell. animalia vel ex putri materia, vel ex ſemine; quæ ex illa fiunt, à cæleſti principio generari aſſerit, ex ſemine vero naſci quod habent facultatem generatricem à cæleſtibus corporibus inditam, qui eſt calor cæleſtis à cælo impreſſus, qui velut illius inſtrumentum ſit animalis productivus & agere tunc ſemen tum virtute propria, tum etiam virtute cæleſti, tanquam inſtrumentum cæleſtis agentis, qua ratione dicatur in ſemine ineſſe principium activum, hoc eſt rectum & gubernatum ab agente ſeparato. Vnde dici ſolet: Sol & homo generant hominem. Virtus enim ſeminis quæ eſt tantum elementaris ad animalis generationem nullius eſſet momenti, ſine altera quam ſemen à cælo accipit, qua ratione partes animæ ita producuntur à cæleſti illo principio, ut de poteſtate materiæ ab eo educantur: hactenus Zabarella.

XLVIII. Eadem eſt Ariſtotelis & Scaligeri exerc. XXVI. ſententia, de cœleſti calore tum ex putredine tum ex ſemine generante animalia. Solis enim, inquit, ſyderumque calore per hæc infuſo gigni omnia, quæcunque non fiunt è ſeminibus. Nimirum ſemina

mina ipſa ab eodem quoque perfici calore, quo ad actum reducantur. Animalia verò ex putredine nata aſſerit idem Scalig. ibid. à ſole confieri, neque cæterorum aſtrorum cooperationem negat, id vero fieri, quod generatis calor anguſtetur ad ſpeciem à calore putredinis; qua de re paulò infra latius. *Ex quibus omnibus liquet cælum, etiamſi ſit commune agens & in omnia inferiora efficaciter operetur, quod tamen idcirco non ſit uniforme agens, ſed diverſimode operetur, & multivarias infinitaſq; pæne operationes producat, cum ob alium atque alium corporum cæleſtium poſitum aſpectuſque, tum ob occultas in inferiora influentias, tum diverſimodam ſubjectorum, in quibus operatur, concurrentem vim recipiendi & cooperandi.* Quo pacto ex ſacris literis deductum & probatum ſit cœlum rerum ſublunarium curſum & ſtatum gubernare, mutationumque omnium diverſitatem cauſari & dirigere ſupra ex Theologorum ſuffragiis intelleximus.

XLIX. Meræ proinde impudentiæ eſt negare cœlum ad rerum generationem & corruptionem in his inferioribus nihil facere particulariter, & cum D. Senn. in lib. de Chym. conſ. quærere, unde demonſtretur cœleſtem vim concurrere ad generationem animalium, & particularem ei denegare vim, quia ſit cauſa univerſalis. Has ejus impudentias ſtentorea buccina proclamare non erubeſcit Ganymedes Sennertianus. Hinc omnem generationem æquivocam è rerum natura expellere & ex ſilio damnare annititur: Sed animam generare, ignem generare, cœlum generare hoc ſemper æquivocè, illa univoce & æquivocè ſatis probatum eſt, neque ſanæ mentis philoſophus, niſi qui veritatis & antiquitatis principiis oppedere,

pedere, aut ea in univerſum evertere propoſuerit, negare poteſt. Hinc etiam negant cœlum ex putredine generare animalia, primò, quia ſit cauſa univerſalis, ſecundò quod ad omnem generationem requiratur ſemen vel ſeminalis ratio ex qua res generetur, tertiò putredinem non poſſe eſſe cauſam generationis. Ad primum jam reſponſum.

L. Altera hic incidit quæſtio. An ex putredine certæ ſpecies generentur. Id negat D. Senn. & contendit ſeminalem vim ad certam ſpeciem producendam requiri, putredinem ſaltem ſuppeditare calorem à quo vis ſeminalis excitetur. Sed hic iterum quæritur, qualis forma materiam iſtam in re putrida ſeminalem vim habentem actuet, neque enim ſemen (ſecundum Senn.) neque materia ſeminalis rem generat, ſed forma, quæ eſt in ſemine, ſemen vero illud vel materia ſeminalis non eſt ejuſdem naturæ ſpecificæ cum ſemine maris & fœminæ, ex quo cæteroquin illud animans generatur, ut cum & ex Scalig. ſentit Senn. quamobrem ipſis analogum ſemen vocatur. Ergo nec forma, quæ ſecundum illos eſt in hoc ſemine analogo. Et hic ceſſat generatio, quæ fit per diviſionem formæ generantis cum ſemine. Sed unde hæc forma, quæ eſt in illo ſemine ut ex eo fabricet corpus? Vnivoca eſſe nequit, quia in fimo vel limo forma muris vel ranæ non eſt, quæ non niſi cum proprio abſcedit & dividitur à generante. *Aliud itaque ſpecie eſt, quod generat, & aliud ſpecie quod generatur, atque hæc generatio eſt æquivoca.* Qua ſufficienter probata & neceſſariò admiſſa corruit Senn. de generatione doctrina, & potentia materiæ, unde educantur formæ reducitur; de his ſuperius actum eſt uberius.

LI. Æquum

LI. Æquum nunc eſt diſpicere quomodo ſaniores philoſophi, & inter illos Scaliger, cujus authoritate Senn. ſe munire præſumit, doceant ex putredine vi cœli generari animalia. Is exerc. VI. ſ. 2. formas univocas contineri in materiæ poteſtate docet, eas verò quæ materiis æquivocis imponuntur, non eſſe in materiæ ſed in agentis poteſtate. Formam muris, quæ navalibus quiſquiliis putrefactis imponitur, nec in harum ſordium, nec in fimi poteſtate eſſe, niſi intelligas poteſtatē recipiendi. *Sic* (inquit porrò) *forma fabricans in fimeto nobilior eſt quam forma informans. Eſt enim principium movens & efficiens & dans hanc illa.* Gignitur autem mus in quiſquiliis & in luto rana, ſicut intra ſaxa metallum. Sic philoſophus dixit à ſole & homine hominem generari. Pendere equidem noſtratia hæc à ſuperioribus propter æquivocam connexionem, non propter univocam effectionum communionem, hæc cauſa cauſarum tuetur ea quæ fecit, per ea quæ fecit. Solis itaque vel Veneris filius (ut ex eodem Scalig. loqui fas eſt) eſt mus vel rana vel ſcarabæus. *In hac animalium æquivoca generatione, cum deſit cauſa proxima efficiens principalis, ejus defectum ſufficienter ſupplet poteſtas cœleſtis.*

LII. Sed obſtat & inſtat D. Senn. putredinem non eſſe cauſam generationis neque ex putredine quicquam generari. Cui reſpondemus putredinem *eſſe duplicem, aliam totalem & perfectam, aliam* κατὰ μέρος, illam talem eſſe rerum corruptionem, ut res quæ putreſcunt prorſus & perfecte ἐξίτηλα & evanida fiant, adeo ut ad ſenſum prǣter fimū & terrā nihil relinquatur, & hujus ratione nihil propriè generatur ex putreſcente re. Alia κατὰ μέρος; eſtq; duplex;

una

una eſt via ad perfectam putredinem, quando externus calor non ita dominatur, ut mixtum diſſolvat, cujus plures ſunt gradus, prout calor externus magis minuſque dominatur; altera eſt, quà mixtum quidem diſſolvitur, ſed quæ ſolutio cum nova partium compoſitione & generatione ſit conjuncta. Et ut rectius rem intelligamus, tenendum rem contrario, quo generata eſt modo, corrumpi. Putredo verò eſt affectio corporis miſti, quâ miſtum eſt. Tota miſti generatio conſiſtit in debita humidi cum ſicco unitione, quæ fit à calore commenſurato ſeu certi gradus: eademque eſt conſervationis quæ generationis cauſa, videl: humidi cum ſicco in debita unione conſervatio ex dominio & vinculo caloris. Contrario itaque modo fit corruptio & putredo videl: ex diſſolutione humidi à miſto propter defectum caloris non amplius humidum cum miſto colligantis, ejuſque unionem conſervantis. Deficit propter extraneum evocantem internum & proprium, unde primò quod putrefit ſe ipſo redditur quodam modo calidius calore externo improportionato & λόγον miſtionis evertente, evocanteque & educente proprium continentem humidum cum ſicco, ex quo humidi defluxus & evaporatio & à ſicco exhalatio. Vnde igitur ille putridus calor in cadaveribus & rebus putreſcentibus, cujus opera fit generatio animalis, ut ex aſino crabrones, ex equo veſpæ, ex vitulo apes? Scaliger reſpondet ab aëre & ſole putrefiunt corpora. Et dum à ſole quoque putrefiunt, putridi caloris autor erat vitalis calor. Neque enim procedere poterit ad vermiculi generationem niſi ſibi gradum fecerit per calorem putridum. Eſt vero

unus

unus calor putridus & naturalis, putridus impreſſus à cælo & ſole eſt, nam calore ſolis putrefit cadaver, & eodẽ gignuntur animalia, qui calor anguſtatus ad ſpeciem à calore putredinis, licet ſit putridus & extraneus. & non naturalis cadaveri, tamen non eſt extraneus animantibus neque eorum formis quæ ex iis gignuntur. Et eſt putridus calor ſuus cuique certæ generationi certoque corpori aut ſpeciei deſignatæ naturalis. *Nihil enim quod in natura eſt, præter naturam eſt, quia quod huic non naturale eſt, ei erit naturale, de quibus latius Ariſt. 3. de gener. animal.* ubi quomodo è ſecretione putrefacta ad generationem animalis, coctionis naturam habente fiat productio animalium luculenter docet: & item quomodo ex terra & aqua animalia & plantæ fiant calore per omnia diffuſo ut omnia (verba ſunt textus) *quodam modo anima plena videantur*, unde etiam apparet quam veteratoriè & falſo antea allegarint hunc Ariſtot. locum, quaſi dixerit animarum eſſe omnia (actu) plena, unde concludi poſſit animam ſcarabæi actu eſſe in cadavere equi & in ſterquilinio: ſummatim quodlibet in quolibet & omnia in omnibus. quâ eâdem conſequentia concludere liceret animam phantaſtæ ſic argumentantis in ſterquilinio eſſe poſſe vel ex eo productam eſſe.

LIII. Fit itaque generatio animalium ex putredine vi cœli & aſtrorum calorem putridum excitante, & qui cadaveri & rebus putreſcentibus eſt non naturalis, dirigente ut ſit naturalis & demjurgos primarius ad certam peculiarium animalium formam è potentiâ ſubjecta in qua hæret materiæ cadaveralis educendum. Qua ſolis ſiderumque virtute bene-

ſicio viviſici caloris ex aqua & terra, aëreo per omnia diffuſo ſpiritu generari animalia & plantas docet Ariſtot. convincit ratio, comprobat cotidiana experientia & teſtantur ſapientiſſimorum eloquia: neque enim infeliciter vel Ovidius id, quod tamen de aliquibus, non omnium animalium productione intelligendum.

Quippe ubi temperiem ſumpſere humorque calorque
Concipiunt, & ab his oriuntur cuncta duobus.
Cumque ſit ignis, aqua pugnax, vapor humidus omnes
Res creat, & diſcors concordia fœtibus apta eſt. &
Cætera diverſis tellus animalia formis.
Sponte ſua peperit, poſtquam vetus humor ab igne
Percaluit ſolis, cœnumque udæque paludes
Intumuere æſtu, fæcundaque ſemina rerum
Vivaci nutrita ſolo, ceu matris in alvo
Creverunt, faciemque aliquam capere morando.

Syderum itaque virtus ſoliſque calor vivificus uti calorem rerum putreſcentium determinant, diriguntque, ut ſit natutalis generativus & vivificus animantibus è putredine generandis, ita ubi circa terram in qua tanquam matre omnium viventium & miſtorum coëunt, effectus cœli & aſtrorum, opera caloris ignei homogenea in unum cogunt, eandemq; quaſi fermentant, eoque cum aëreo calore & corpore juncto ſpiritum faciunt, qui coactam maſſam permeat, miſcet, definit, unit, ex qua tum miſtorum animatorum & inanimatorum ſola æquivoca generatione productorum formam educant.

LIV. Cujus

LIV. Cujus rei veritas ut ex Ariſtot.& calumnia mendaciaque majoribus ſcriptoribus & invictæ veritatis aſſertoribus, affricta pateant, triplicem adducemus animalium generationem. Quædam ſemper ex ſemine & partu generantur, ut homo & equus & alia quorum meminit Ariſtot. in problem: ſect. 10. 9.64. eaque maximè perfecta ſunt. Inter omnia perfectiſſimum homo, propter quem omnia. Vnde recte reprehenditur Avicenna ab Averrhoë 2. Metaphyſ.com. 15. quod putarit etiam ex putrefactione poſſe fieri homines. Quædā ſemper ex putrefactione gignuntur, ut anguillæ & alia animalia, quorum meminit Ariſtot. 6. hiſtor.cap.15. & 16. Quædam modo ex putrefactione, modo ex ſemine partuque fiunt, ut veſpæ, mures & alia quorum meminit Ariſt. 7.Metaphyſ.c.7.Eorum, quæ ex putrefactione ſunt, quædam nunquam generant ut anguillæ teſte Ariſt. 6.hiſtor.cap.16. Alia generant, ſed ſibi diſſimile in ſpecie, ut muſcæ, vermes uti docet Plinius lib. 10. cap. 68. & bombyces producunt papiliones & illi ova pariunt, ex quibus itidem fiunt vermes. Quædam alia ſibi in ſpecie ſimile generant, ut mures & veſpæ, quæ ex putrefactione ſunt, iterum mures & veſpas ſibi in ſpecie ſimiles gignunt, ubi licet illa, quę ex putredine genita, aliam efficientem cauſam, videl. ſyderum virtutem ſoliſque calorem aliamque materiam proximam habeant, tamen ſunt ejuſdem ſpeciei cum illis, quæ ex ſemine ſuorum parentum generantur, quod in utriſque inveniamus eaſdem paſſiones, figuras, accidentia, operationes. Tali modo animalia & plantas æquivocè generari & produci nec omne ſimile à ſimili generari, nec omnem

rerum generationem eſſe univocam docent & teſtantur tum ſacri tum prophani ſcriptores omnium maximi, ex quibus paucorum teſtimonia adducam.

LV. Divus Baſilius in hexahemero homil. 9. ſcribit: Alia animalia ex ſucceſſione eorum, quæ prius exſiſtunt, producuntur; alia vero etiam adhuc nunc ex ipſa terra in animal generari oſtenduntur. Non enim ſolum cicadas in pluvioſis temporibus remittit, ſed etiam mures & ranas jam ex ſe profert ita; cum circa Thebas Ægyptias ubi in æſtate large pluerit ſtatim arvalibus muribus regio repletur. Idem confirmat Ælian. lib. 2. cap. 25. in Thebaide cum pluit, mures apparent, qui partim jam cænum adhuc limoſum, partim jam caro exſiſtunt. Etſi enim in pleriſque & potiſſimis Ægypti locis pluat rariſſimè, eaque ſit inſtar roris pluvia, tamen Alexandriæ & Peluſii & locis mari adjacentibus teſte Proſpero Alpino experientia in ipſis locis edocto de Medic. Ægypt. l. 1. c. 6. ſæpe & largiſſimè pluit. Idem Ælian. lib. 6. c. 40. In Ægypto, inquit, ut primum pluit perparvulis guttis mures naſci ſolent, qui longè lateque totis arvis vagantes maxima calamitate ex ſpicarum circumroſione & ſucciſione ſegetes afficiunt. Ranas adeò lutum eſſe tradunt authores quod è luto ſponte fiant, quod ſe oculis ſpectaſſe memorat Ælian. l. 2. c. 5. 6. narrat enim cum in Italia ipſe è Neapoli Puteolos proficiſceretur, ſe ranas conſpexiſſe, quarum pars, quæ ad caput pertinet, repebat quidem & duobus pedibus agebatur, altera nondum conformata concretioni limoſi humoris ſimilis trahebatur. Vnde non

de non tam poëtam quam hiſtoricum egit Ovidius: Metamorph. cum ſic tradit:

Sic ubi, deſeruit madidos ſeptemfluus agros
Nilus, & antiquo ſua flumina reddit alueo,
Æthereoque recens exarſit ſidere limus,
Plurima cultores verſis animalia glebis
Inveniunt, & in his quadam modo cœpta per ipſum
Naſcendi ſpacium, quædam imperfecta ſuiſque
Trunca vident humeris, & eodem tempore ſæpe
Altera pars vivit, rudis eſt pars altera tellus.

Ita Scalig. exerc. 191. fol. 624. ſcribit è roribus creari vermiculos in foliis: & deinde: Nonne & ranis pluere vidimus nos? conplutam terram ſola aqua ſine ranis, Gyrinulis tamen poſt ſemihoram ſcatere totam. Eſt in Santonibus oppidum Mirambellum, cujus viæ & angyportus ranarum (alii bufones fuiſſe dicunt) pluvia tam referti fuere, ut primum horror perculſerit oppidanos, deinde ſtupor ceperit, tum faſtidium ex illuvie, poſtremo lues ex odore malo putrefactorum.

Scaligero talpa è putredine naſcitur item Grylli, crabrones, veſpæ, fuci, ſcarabæi, apes, ſorices, ranæ, rubetæ, bufones, mures, exerc. 193. Qui in plantis, uti ſolano, ocymo, braſſica, lactuca, vitibus, oriuntur vermes, papiliones, aranei, cinædi, limaces, erucæ, eos non à putredine, ſed ex rore & ſole vult generari Scaliger. E quibus non putridis, ſed tanquam ſucceſſivis operis ſoboles enaſcantur, &c. de his ubi neceſſitas poſtulaverit proximè plura & uberiora.

De Formis Sennertiano Paracelſicis
diſcurſus tertius.

FOrma eſt generica vel ſpecifica. Non poteſt enim dari ſpecialis, niſi detur generalis. Forma generalis dat actum, ſed pluribus communem, qui rebus pluribus eſſentiam talem communicet, per quã conveniant & ſint unius in genere naturæ; ut homo & equus conveniunt in eo, quod ſint animalia, ſed per hanc exiſtere non poteſt homo vel equus, ideoque eſt actus imperfectus & dicitur quodammodo cum poteſtate commixtus & indiget alio actu perfectiore, qui largiatur eſſentiam peculiarem, qua contrahatur generalis, & res conſequatur differentiam ulteriorem, præter illam quam habebat ex genere qua animal à lapide diſtabat, ſed ſpecificam, qua ea, quæ unius generis ſunt, inter ſe differunt. Sic genus Ariſtoteli & Philoſophis dicitur unum in forma media inter actum & potentiam in multis, & ſic eſt ens in potentia contrahibilitatis, quoniam per plures differentias contrahi poteſt ad plures ſpecies. Sic animalis forma eſt generalis & habet potentiam contrahibilitatis, contrahitur enim & perficitur formâ hominis, leonis, & aliis formis ſpecificis perfectioribus. Hæ formæ, quia genus contrahunt ad ſpecies certas dicuntur ſpecificæ, & quia ſpecies faciunt ſub uno genere totis viciſſim eſſentiis perfectioribus differre, largiuntur ſpecificam differentiam, & quia in alias ſpecie differentes formas dividi nequeunt, dicuntur ultimatæ, & quia nihil exiſtat niſi in ſpeciebus largiuntur exiſtentiam, & quia res ſeſe habet in operari

operari uti in eſſe, operatio ſequitur formam,& cum nulla forma ſubſtantialis operetur niſi per qualitates ſuæ naturæ & operationi convenientes, fit,quod ex forma tanquam efficiente in ſubjecto dependeant neceſſariò qualitates formales.

LVI. Omnis itaque forma ſpecifica, ſubſtantialis, ultimata contrahit genus ad certam ſpeciem, eique largitur ſpecificam differentiam & exſiſtentiam, operandi vim & qualitates proprias,& ſic eſt ſpecifica.Iam quæritur,quænam res habeat formam ſpecificam: D.Senn. in tract. de Conſ. & Diſſ. c. 12. fol. 358. reſpondet omne miſtum quâ miſtum formis quidem elementaribus(juxta ejus opinionem)informari, verum cujuſque rei formam eſſe ſpecificam, quæ rei dat eſſentiam & nomen, quæ ab elementis non proveniat. Eſſe enim in re unaquaque naturali & partibus corporis, præter materiam, quam elementa ſuppeditant, divinius quoddam principium & naturam quintam, quâ ſint id quod ſint, & in certam rei naturalis familiam reducantur. Elementa enim materia ſunt. ideoque actum dare non poſſunt: hactenus Senn.Ex quibus verbis liquet rem quamlibet naturalem ex elementorum miſtione ortã, præter formam (quam ille ſtatuit miſti.) habere formam ſpecificam, qua in certam ſpeciei naturalis familiam reducatur, per rem vero naturalem neceſſariò intelligit vel accidens, vel ſubſtantiam corpoream. Subſtantia itaque corporea eſt corpus naturale quod ex materia & forma conſtat. Et corpus juxta ſuam materiam vel ſimplex eſt aut compoſitum. Simplex eſt incorruptibile ut cœlum,vel corruptibile ut elementa, vel compoſitum ut omnia ex elementis perfectè

 miſtis

miſtis producta corpora. Quia vero omne corpus naturale eſt ſubſtantia corporea conſtans ex materia & forma, & elementa duntaxat ſunt materia rei, neque dant actum, per formam miſti res nulla vel exſiſtere vel ad certam in mundo ſpeciem ſpecieique familiam referri poſſit, & cæteroquin nulla res per formam miſti ſolam, abſque ſpecifica, unde exſiſtentiam habet, exſiſtat, ſequitur quod omnis ſubſtantia corporea in mundo actu exſiſtens habeat ſpecificam & peculiarem ſuam formam, per quam eſt id, quod eſt, & per quam exiſtat & exſtet, & ad certam ſpeciei naturalis familiam, ipſo dictante D. Senn. reducatur.

LVII. Deinde quod res omnis vel unaquæque naturalis, uti habet aliquam ſpecificam formam per quam eſt id, quod eſt, ita etiam eam unam tantum habet, alioquin una res eſſet plures res. Neque huic veritati obſtat, quod in uno corpore ſæpe plures, ſed diverſa ratione inſint, formæ, quod in animalis aut humano corpore expendemus. Totum corpus animalis variis conſtans partibus eſt ſubjectum & materia formæ hominis adæquata, quam materiam illa forma animalis, ut primum & unicum perfectibile reſpicit, cum hac tanquam altera parte ſubſtantiali, hominis, conſtituitur totus homo. Partes vero corporis humani propriam etiam habent formam, uti os, caro, nervus: propria enim forma hominis, non eſt forma oſſis, alioquin os eſſet homo, neque materia oſſis vel carnis adæquatum eſt ſubjectum, ut cum forma hominis, hominem ſtatuat, aut eam contineat. Et pereunte vel recedente forma totius corporis, remanet forma oſſis, nervi, carnis, uti ipſe ſubor-

ſubornatus in tract. de form. orig. fol. 5. tradit, carnem in macello habere ſuam formam. hæc autem forma partium eſt ſubſtantialis, ut idem concedit eodem tract. fol. 164. Et quia pars corporis animalis eſt res naturalis, & talis res omnis naturalis teſte Senn. habeat formam ſpecificam, quin imo cum ipſemet id conceptis verbis aſſeveret loc. cit. cujuſque partis corporis naturalis eſſe formam ſpecificam, & cum partes corporis habeant tria illa requiſita quasin formis ſpecificis, ut ſpecificæ ſint, requirit ſubornatus, tract. de form. orig. fol. 5. videl. eſſe, diſtinguere & operari, actumque ultimum materiæ dare, inutiliter, frivolè & vanè formæ partium corporis humani vel animalium è numero ſpecificarum expunguntur.

LVIII. Omnis forma ſubſtantialis ultimata largitur diſtinguere ſeu differentiam formalem. Omnis differentia formalis, ſeu quæ eſt à tali forma, eſt ſpecifica, ideoque forma oſſis habet non ſolum formam ſubſtantialem, ſed & ſpecificam quâ eſt ſpecies corporis naturalis & à cæteris ſui generis omnibuſque aliis rebus diſtinguitur. Os enim per ſuam formam ſuæ materiæ ultimatam habet eſſe & per illam diſtinguitur à cæteris cum partibus, tum rebus naturalibus, & per eandem perficit operationes uti ipſe Subornatus in tract. de form. orig. fol. 5. aſſeverat, diverſitatem operationum in partibus indicare diverſitatem formarum & carnem in macello habere formam ſubſtantialem propriam, ut nemo adeo abſurdus eſſe debeat, qui partes corporis privet forma ſpecificâ.

LIX. Suntne partes corporis animalis corpora

naturalia & hoc ſenſu corporis naturalis genericè ſumti ſpecies? & an non pars refertur ad idem prædicamentum cum toto? Os, caro, nervus ſunt ſpecies corporis naturalis. Etſi enim ſub forma animalis ſpecifica exiſtant vel exiſterint in corpore animantis; tamen illa forma totius non fuit peculiaris & ſpecifica cujuſlibet partis. Oſſis formam, ſubſtantialem eſſe, & ſpecificam differentiam & operationem illi tribuere & ultimatam eſſe, & exiſtentiam dare, certamque corporis naturalis ſpeciem conſtituere negari non poteſt, quid igitur eſt, quod non ſit ſpecifica? Quin edico, *quod nulla forma ſubſtantialis ultimata exſiſtentiam rei naturali largiens ſit, quin ſit ſpecifica, & quod nulla forma ſpecifica ſit, quin ſit ſubſtantialis ultimata & exſiſtentiam tribuere nata.*

LX. Quid igitur eſt, quod partiales, uti vocat, formas è numero ſpecificarum eximat? quis philoſophorum unquam tam inutiles commentus eſt diſtinctiones, quales hi novi crabrones, quæ nec in re nec in ratione fundantur, nec in vera philoſophia inveniuntur, tantum ad hoc à petulantibus ingeniis prolatæ, ut errores novos pallient & veram veterem philoſophiam corrumpant. Quid eſt igitur, quod partes corporis humani deſtituant & privent forma ſpecifica? cur fraudulenter excogitavit alia formarum genera, uti accidentariarum, ſubordinatarum & partialium, eaſque contradiſtinguit ſpecificis, cum tamen has omnes ſubſtantiales eſſe nec ille, nec ullus ſanus negare poteſt? Hæc, amice lector, eſt cauſa, quod cum videat ſententiam Sennerti quâ formas è potentia materiæ educi negat, & omnem formam eſſe ſui multiplicativam affirmat, & omnem genera-

tionem

tionem eſſe univocam demonſtrare conatur, defendi non poſſe, adeoque abſurdam eſſe videt, novas diſtinctiunculas cum ſuo Væjove & præceptore Senn. ſat frigidè comminiſcitur, ac miro proſtituti pudoris auſu in publicum evibrat.

LXI. Sunt vero hæ diſtinctiunculæ in malitioſa & veteratoria ſtatus controverſiæ perverſione fundatæ. Sennertus omnem formam ſui multiplicativam eſſe, ſive ea ſit rerum animatarum ſive inanimatarum, nulla excepta ſtatuit & defendit in tract. de Conſ. & Diff. cap. 9. fol. 169. & cap. 12. & fol. 232. adeoque nullam ex potentia materiæ oriri aſſerit. Quod ex Zabarella (ſed falſo & fraudulenter explicato) demonſtrare ſatagit. Cum vero doceat omnem formam eſſe multiplicativam per diviſionem formæ generantis in generatum, videt neceſſario ſequi, ut ſtatuatur & pro principio habeatur: omnem generationem eſſe univocam & nullam æquivocam; & ſicut illa falſa dogmata fulcirētur, laceranda erat veritas vetuſtæ & veræ philoſophiæ, quin imo cœlum à generandi vi particulari omnino erat removendum. Et cum forma ſine medio nec dividi nec traduci poſſe videretur, attulerunt tertium, principium omnia generari ex ſemine, vel ex eo quod ſeminalē rationē habet. Forma enim illa eſt multiplicativa ſui, per diviſionem, quare mediante ſemine, aut re ſeminalem rationem habente à generante dividitur & alio traducitur; Id autem adeò verum eſſe de omni generatione contendit, ut & lapides & metalla habere ſua ſemina vel ſeminarias rationes, & lapidem generare lapidem & metalla generare metalla, & conſequēter omne quod generatur à ſui ſimili generari, aſſe-

aſſeverare non dubitet. Animadvertens autem Senn. meis in diſputatione de formarum origine argumentis plus ſatis convictus, non poſſe hanc opinionem multis abſurditatibus prægnantem conſiſtere per Subornatum ſuum, putavit ſtatum eſſe mutandum quæſtionis. Et in tract. de form. orig. th. 4. fol. 9. ait litigium eſſe de formis corporum corruptibilium ad ſpecies mundi pertinentibus an educantur, inducantur vel traducantur. Species vero mundi etiamſi nullibi explicite quid ſint, & quid pro ſpeciebus mundi ipſi veniat, declaret, tamen ex ejus verbis hoc apparet. Sennertum quando loquitur de generatione & productione formarum univocam, qua Ganymedes ſpecies mundi, produci ſtatuit, intelligere, ac ſi nullæ mundi ſpecies æquivoca generatione oriantur; atque ita, ut ibi ait, inter nos hoc diſputari an in generationibus cauſa principalis ſit ejuſdem ſpeciei cum genito. Aſſumo nunc: ſi in quęſtione eſt an in omnibus generationibus cauſa principalis ſit ejuſdem ſpeciei cum genito, quod aſſerit Senn. atque ego illi contradixerim & pluribus demonſtraverim generationem omnem non eſſe univocam, ſed & neceſſario dari æquivocam; quin imo eam eſſe dicendam generationem, ubi nova fit formæ ſubſtantialis productio, ſive ea univoce ſive æquivoce producatur, ſequitur non eſſe quæſtionem & diſputationem de formis ſuis ad ſpecies mundi attinentibus, quas ille ita vocat, & univoce atque à ſui ſpecie ſimilibus generatis; an illæ duntaxat è potentia materiæ educantur, ſed de omnibus univerſim formis rerum corruptibilium ſubſtantialibus, ſive illæ ſint ſpecificæ ſive ſubordinatæ, ſive partiales

ſive

ſive accidentales frivolè & bruto auſu ita nuncupatæ, dummodo ſint ſubſtantiales, niſi concedere velit æquivocè generatas ex potentia materiæ educi. Agimus enim de origine formarum ſubſtantialium in corporibus corruptibilibus promiſcuè omnium exceptâ animâ humanâ, exſiſtentium.

LXII. Hic itaque eſt in mea diſputatione de formarum origine & fuit & manebit quæſtionis ſtatus. An omnis forma ſubſtantialis oriatur ex potentia materiæ. Quod cum neget D. Senn. univerſaliter in tract. de Conſ. & Diſſ. & tamen per Subornatum ſuum in tract. de form. orig. dicat & profiteatur ſe tantum hoc intelligere de formis ſpecierum mundi univoce generatis, in quæſtione manet, an nulla res habeat ſubſtantialem ultimatam, quę non ſit univocè generata, & quæ conſequenter illis duntaxat veniat pro ſpecie mundi; aut an generatio rei per productionem formæ ſubſtantialis non ſit vera generatio, vel an nullum generans producat formam ſubſtantialem præter id quod univocè generet. Si forma ſubſtantialis tantum competat illis rebus quas ille ſpecies mundi vocat, & quæ univocè ſunt generatæ, tum omnes res, quarum illæ formas non ſtatuit eſſe ſpecificas, ut ſanguinis, lactis, chymi, chyli, non habebunt formas ſubſtantiales. Si vero ſufficienter probari poſſit eas habere ſuas formas ſubſtantiales eaſque æquivocè genitas, primò aliquas formas ſubſtantiales è potentia materiæ vi æquivocè agentis eductas eſſe, manifeſtiſſimum eſt. Et cum jam probatum ſit illas univocas nec ſui multiplicatione per diviſionem genitas eſſe, neque etiam ex nihilo, dicente ipſo Senn. generari, ſequitur omnes formas ſubſtantiales

ſtantiales ſive ſpecifica illis , ſive ſubordinatæ ſive partiales vocenter, ex potentia materiæ educi.

LXIII. Reſtat itaque ut probemus formas rerum aliquarum,quas ille nec ad mundi ſpecies vult referre, nec formis ſpecificis donatas eſſe contendit, habere ſuas formas ſubſtantiales; tales ſunt formæ ſanguinis,ſeminis,lactis,chyli,chymi & partium corporis.Sanguinem,chylum,ſemen, lac,primò non generari,deindè non habere formam ſubſtantialem Subornatus in tract.de form.orig.fol. 166.impudentiſſimè aſſerit,rationem addit, quod ſpecies mundi habeant vim ſeſe multiplicandi, non vero ſpecierum nutrimenta.& excrementa. Sed hic quæro; an quod ſeſe multiplicandi vim non habet, etiam non habeat ſubſtantialem formam, quod longè falſiſſimum eſt, & mera principii petitio,quæ vim probandi non habet. Vide turpem,craſſam & impudentem ac ganeone dignam impoſturam, id quod in quæſtione, crinomenon erat , quodque falſiſſimum eſſe demonſtravi, pro argumento & probandi ratione aſſumit, ac ſi principium ſit utrinque approbatum & indemonſtrabile.Si enim adhuc in quæſtione eſt, an iſtæ res ſolum habeant ſpecificam formam,quæ ex ſpecie ſimilibus producantur per multiplicationem formarum, quomodo hoc,quod crinomenon eſt,poteſt aſſumi ad probationem contrarii, ut dicamus, res hæc non habet ſpecificam formam,quia ex ſpecie ſimilibus non eſt producta? id enim per quod hoc probare cupis, erat in quæſtione & tibi prius probandum eam non eſſe formam ſubſtantialem quæ ſe non propagat, unde inepte concludis ſi chylus chylum & ſanguis ſanguinem non generet,ergo non habet formam

mam ſubſtantialem , cum veriſſimum ſit & ſatis demonſtrabitur ſanguinem & nutrimenta, aliaque habere ſuam formam ſubſtantialem, per quam ſunt id, quod ſunt, neque neceſſum ſit, id carere forma ſubſtantiali, aut non eſſe ſpeciem mundi, quod à ſui in ſpecie ſimili non ſit genitum. Mus enim ex fimo ortus, teſte Scaligero, & eodem aſſerente Senn. de Conſ. & diſſ. c. 12. fol. 347. nec ex ſpeciei ſuæ mure naſcitur & tamen habet formam ſubſtantialem & eſt ejuſdem ſpeciei cũ illo, qui ex ſemine muris naſcitur, qua de re poſtea uberius agemus. Idcirco enim, quia dantur formæ ſubſtantiales, quæ non univoce à ſui ſimilibus genitæ ſunt, verũ eſt non omnem formam per multiplicationem formæ generantis generari, & omne ſimile à ſui ſimili generari, & omnem generationem eſſe univocã, & nihil generari nihilque habere ſpecificam formam, quod non ſit ſpecies mundi juxta eorum mentem. Non enim eſt de ratione formarum ſubſtantialium, ut ſeſe multiplicent ita, ut quę ſeſe multiplicandi vim non habeat, non ſit forma ſubſtantialis: vanum eſt hoc commentum, eruditis auribus inauditum, & à novis iſtis tenebrionibus excogitatum, ut patebit latius.

LIV. Altera ratio loc. cit. fol. 165. eſt, humores & nutrimenta, qualia ſunt ſanguis, lac, chylus, ſemen nõ generari, ſed coqui, quam niſi à Phyſico & artium Magiſtro & ejuſdem profeſſore profectam ſcirem, ſane ab ineptiſſimo quovis ruditer rudente ebuccinatam augurarer; qui eſt iſte verborum ſenſus? quæ conſequentia? chylus coquitur , ſanguis coquitur, ſemen coquitur. Ergo non generatur. Sanguis cum coquitur non fit, ſed jam factus eſt. Et coquitur

cibus

cibus ut fiat chylus,& chylus ut ex eo fiat ſanguis,& ſanguis coquitur ut ex eo ſemen vel caro fiat, & chylus non coquitur ut chylus fiat & ſanguis ut ſanguis fiat, poteſt dici quidem coqui ut melior ſubſtantiæ modus acquiratur, ut cum eſt crudior, ſed cibus coquitur in ventriculo ut ex eo generetur chylus, & chylus in epate coquitur ut ex eo generetur ſanguis. Fit autem concoctio opera caloris nativi determinantis humidum cum ſicco juxta Ariſtot.4. Meteor: ut vel nova ſubſtantia vel melior ſubſtantiæ modus acquiratur. non itaque ipſa concoctio eſt rei generatio, ſed diſpoſitio ad generationem, qua mediante forma ſubſtantialis educatur. Generat itaque anima humores per coctionem inſtrumento caloris nativi humidum cum ſicco determinantis, unde coctio terminata humiditas dicitur. Coctio itaque non eſt generatio vel formæ introductio, ſed ad acquirendam formam ſubjecti diſpoſitio in alteratione dum perficitur conſiſtens, ut videl: materia fiat habilis & appropriata peculiari, quàm generans intendit producere, formæ. Etiamſi humores per concoctionem dicto modo generentur, tamen concoctio non eſt humorum generatio, neque humores propriè dicuntur coqui cum generantur, ſed materia coquitur ex qua generatur humor. Vt fiat ſanguis non coquitur ſanguis, ſed chylus, ut ex eo producatur ſanguis, quæ coctio eſt præparatio ad ſanguinis formam, non ipſa generatio. Et ipſa coctio tantum inducit alterationem in qualitatib. Chylus vero à ſanguine, & ſanguis à ſemine & carne nō differt nudis qualitatibus, ſed peculiari, ut demonſtrabimus, forma. Generantur itaque humores ab anima inſtrumento caloris

nativi

nativi per concoctionem,unde rancidum illud patet ſophiſma,quo poſitione cauſæ inſtrumentalis removetur principalis.

LXV. Sed conſideremus nunc juxta propria eorũ ſcripta & in illis duo illa bardè à Subornato effutita axiomata.videl. humores ſeu alimenta & excrementa. 1.non habere formam ſubſtantialem. 2. non generari. Quicquid hoc modo à Veteratore garritur, id neceſſariò à D.Senn.tanquam præceptore profectum & approbatum &Subornato velut inſtillatum eſt. Aut itaque ſibi ipſi contrarius eſt Senn. vel Subornatus Sennerto, quem defendere nititur, turpiter contradicit. Vtranque quod attinet quæſtionem. D. Senn.l.5.Inſt.p.1.c.2. inquit, multæ ſubſtantiæ ſunt in corporibus animatorum, quæ quidem animatæ non ſunt, neque tamen mera elementa ſunt,aut eſſentiam ſuam à craſi elementorum tantum obtinent, *ſed formas ſuas ſubſtantiales, quas ab anima in corpore animato accipiunt, habent, per quas ſunt quod ſunt.* Tales ſubſtantiæ ſunt ſanguis,lac, quæ procul dubio omnes ſuas formas naturales, per quas conſtituuntur, habent, *eaſque ab anima accipiunt, quia producuntur & generantur ab animato corpore.* Ex quibus tria patent: primo alimenta illa & dicta excrementa ſeu *humores habere ſuam formam ſubſtantialem*, & non ſolum, ut ineptè loquitur Subornatus,coqui ſed & *verè generari, quia vera generatio fit formæ ſubſtantialis introductione*: & quia ab anima generantur, *neceſſariò dari generationem æquivocam, & demum formas illarum rerum ex potentia materiæ educi.* Et hæc veriſſima & irrefutabilia ſunt, rumpantur ut ilia Veteratori. Præterea ex hoc vide Cadmæos fratres & turpes inter

illos conflictus & contradictiones. Huc facit quod in tract. de Conſ. & Diſſ. c. 12. fol. 359. tradit D. Senn. his verbis: An dum ex pane fit chylus, è chylo ſanguis, è ſanguine, os, nervus, vena, & in qualibet generatione & nova (miſtio autem & generatio ſubſtantialis loc. cit. fol. 349. ipſi parum differunt) miſtione, dum unum in aliud convertitur, reſolutio ſemper uſque ad elementa fit. Ex his iterum patet chylum & ſanguinem propriè generari, ideoque habere formam ſubſtantialem, & omnem veram generationem non fieri ſemper ex ſimilibus ſpecie, & nihilominus hanc ipſam mutationem, quâ unum in aliud mutatur, fieri per formæ prioris corruptionem & alterius, quæ ſpecie ſimilis non ſit, eductionem, unde porro convincitur non omnem formam ſubſtantialem eſſe ſui multiplicativam, neque generationem fieri, quia formæ ſeſe ipſas multiplicent.

LXVI. Progredimur nunc ad formas partium corporis animalium, quas Subornatus non vult eſſe ſpecificas, ſed partiales nominat, & nihilominus ſubſtantiales eſſe concedit. Illas vero habere formas ſubſtantiales & ſpecificas paulò ante demonſtravimus. Sed de generatione partium corporis animalis videamus denuo Subornati ſententias varias & cõtradictorias, & à ſe ipſo & ſuo præceptore, cujus paradoxa defendere conatur, opiniones diſſentientes plus quam futiles in tract. de form. orig. fol. 164. inquit ſpecies mundi habere potentiam ſeſe multiplicandi ſed *non ita ſpecierum partes*, non ita ſpecierum nutrimenta & ſpecierum excrementa. Verum enim vero ibidem una periodo vel altero poſt, ſui oblitus

tus ſibique contrarius, inquit: carnem quæ verè eſt pars corporis habere ſuam formam, uti & partes aliæ omnesin ſemine (quod ἀπόσπασμα σώματος eſt) quæ poſtmodum ſibi certum ædificant domicilium. Et eod. tract.fol.34. inquit: quicquid formarum eſſentialiter & per ſe eſt in toto animalis corpore, id ſemini actu ineſſe. belle ſe res habet; ſi actu eſt in ſemine forma cujuſque partis, ita ut ſit ἀπόσπασμα ſeu avulſum ſecundum formæ diviſibilis partem, in ſemen tranſlata, tum ſpecierum partes vim habent ſeſe multiplicandi, quemadmodum ipſæ ſpecies, ſic enim os generat os, & caro carnem, vena venam, quia earum formæ per diviſionem ſeſe multiplicant, & cum ſemine à corpore ſeparatæ, ex ſemine ſuç ſpeciei partes fabricant. Dupliciter itaque ſibi contradicit Subornatus, primò quod partes ſpecierum affirmet ſeſe propagare, & poſtea eodem modo, quo ſpecies, quas vocat, mundi ſeſe propagare docet, deinde quod univocam generationem dicat ſaltem competere ſpeciebus mundi fol. 16. & illas ſaltem habere ſpecificas formas fol. 3. & has partium formas partiales vocat, & à ſpecificis diſtinguit fol. 5. quas eodem argumento ſpecificas habere formas convincitur & conſequenter ſpecies mundi eſſe obtinetur.

LXVII. Sed iſte veterator; qui jam ad omnem impudentiam occalluit, unâ vel alterâ contradictione non eſt contentus, niſi plauſtra & centones harum convehat. Vti enim antea ſtatuit formas partium eſſe actu in ſemine, & ibi ſibi fabricare corpus, ſic pluribus in locis animā in ſemine partes corporis quales ſunt oſſa, caro &c. generare. Sic enim inquit in tr. de form. orig. f. 295. anima cum partes generat, ſeipſam

non generat, & ibid.fol.271. cuicunque ineſt aliqua potentiarum animæ, illi etiam ineſt anima, & ſemini ineſt aliqua &c. duplices verò ſunt iſtæ operationes animæ in ſemine. Prima eſt conceptus vivificatio, ſecunda partium omnium quæ ad vitæ actiones neceſſariæ ſunt, efformatio. hanc ſententiam pluribus in locis inculcat videl. animam eſſe fabricatricem corporis & partium ejus. Sed videamus abſurda, quæ ex hac contradictione Subornati rectè eliciuntur. Forma, quæ generat, eſt anima, quia generatio partium fit operatione animæ; at quarumlibet partium forma generans eſt in ſemine, quot igitur animabus conſtabit ſemen, cum partis cujuſlibet forma peculiaris & ſpecifica quamlibet formarit. Deinde partes recedente anima animalis retinent ſuam formam, uti inquit carnem in macello adhuc habere ſuam formam ſubſtantialem, at ea forma eſt anima, quia ea fuit architecta corporis, & juxta D. Senn. omnis forma eſt ſui domicilii architecta ſeu fabricatrix. Ergo caro & oſſa & cęteræ partes defuncto animali omnes adhuc vivunt, & ſic cadaver conſtat adhuc partibus vivētibus omnibus, partes omnes ſimul ſumptę, ſunt totũ. Ergo cadaver adhuc vivet &c.

LXVIII. Hactenus contradictiones quibus ſibi contradicit Subornatus, nunc ad eas, quæ adverſantur opinioni præceptoris ſubornanti. Sennert. lib. de Conſ. & Diſſ. c. 9. fol. 217. juxta Themiſtiam ex Scaligero animam eſſe integri domicilii ſeu corporis ſui architectam, quod & pluribus repetit & inculcat locis. Totum vero corpus nihil aliud eſt, quam omnes ejus partes ſimul ſumptæ, quæ totius corporis, ea & omnium partium ſingularium ſingularis eſt

archi-

architectrix, quod loco hoc cit. ſic plenius explicat D. Senn. cum inquit: Semen eſt corpus homogeneum aptum natum, ut per illud anima traducatur & propagetur. Animalis vero corpus ex pluribus partibus conſtat, quas anima partim ex ſemine, partim ex materno ſanguine in animalibus; in plantis vero ex alimento ex terra attracto fabricat. Has partes ut peculiaria miſta habere ſuas formas, ut alia ſit forma corticis, alia folii in arbore; alia cordis, alia cerebri in animali aſſerit. Hanc autem formam, eodem lib. c. 12. fol. 358. partium corporis non eſſe ex elementis, vel eaſdem ut miſta non tantum informari formis elementaribus, ſed aliam non ex elementis oriundam, quæ ſpecifica ſit & natura quinta, & divinioris ſit principii, quaque in certam ſpeciei naturalis familiam reducantur, habere docet. Quia elementa ſint materia, & actum dare nequeant. Porro idem eodem cap. 9. fol. 201. pergit velle demonſtrare animam formare partes, cum inquit, animam omnia illa opera in corpore formando præſtare, quæ faciat in corpore jam formato, uti ex augmentatione & carnis amiſſæ reſtauratione & ſimilibus ſit videre. Inde eſt quod ibid. fol. 197. demonſtraturus animam in ſemine eſſe, aſſerat ibi neceſſariò eam dari, ubi ſunt ejus operationes propriæ; has vero eſſe duas, videl. ſeminis & conceptus vivificationem, & partium omnium, quæ ad vitæ actiones neceſſariæ ſunt, efformationem. Et ibid. fol. ſeq. ſi non ſit ex ſanguine caro, niſi caro ipſa animata ſanguinem in carnem mutat, multo minus ex ſanguine fiet animal, ſi ſemen animâ careat, neque poſſet attrahere ſanguinem maternum, niſi eſſet animatum. Ex his liquet,

quam turpiter ſibi ipſimet, & ſuo præceptori D. Senn. quem defendere ſubornatus eſt veterator, contradicat, dum formas ſingularum partium actu eſſe in ſemine, quæ ſibimet ipſis forment ſua corpora tradit. Et nihilominus animam formare partes unicè & anxie demonſtrare annititur. At cum ex iſta opinione, qua ſtatuitur omnem formam ſpecificam generari multiplicatione formæ efficientis per diviſionem, eamque tantum eſſe ſpecificam quæ ſic generatur, ſequatur nihil verè generari niſi à ſuo ſimili, ſolamque veram generationem eſſe inter ſpecie ſimilia, res alias aliter productas non habere formam ſpecificam neque pleraſque harum formam ſubſtantialem ut loc. citatis in tract. de form. orig. nugatur, hoc ipſo demum omnem æquivocam generationem è rerũ natura frivolè & bardo auſu ſuſtollere conantur.

LXIX. Inquirendum itaque philoſophiæ veteris & ductu etiam Scaligeri, *an omnis quæ generatur ſubſtantia à ſuo ſimili generetur*, id optima ratione negat Scaliger exerc. 15. ubi inquit: Neq; generant omnia, neque omnia quæ generant ſibi ſimile generant, unde, ait, quædam nec gignunt nec gignuntur, ut capillus Veneris quippe ex diſſitis ſpecie principiis ortum habet, quæ vocant æquivoca, quædam gignunt & nõ gignuntur, ut murium patres mures, ipſi nati ex putredine; à lingua cervina, capilló veneris, filice, & aliis (inquit) productionis operam nulla exigit natura, propterea quod tranſlatitia eſt illarum & æquivoca generatio. Nonne (Paulo ante inquit) eſt natura conſtans fluviatilis lapis? quis dixerit ab eo lapidem generari. Audi Scaliger, ſubſiſte pauliſper & da bona verba; Sennertus ex Paracelſo inter nova

ſua

ſua archidoxa in tract. de Conſ. & Diſſ. inquit lapidem generare lapidem, gemmam gemmam & metalla metalla, quia omnis forma ſit ſui multiplicativa, ſed falſæ regulæ falſum exemplum id quod abunde demonſtratum eſt. Sed non deſinit quæſtionis Scaliger & pergit percontari ex Cardano exerc. 104. ſect. 17. ubi inquit: tu lapidum vidiſti generationem quæ à lapidibus tanquam à parentibus atque auctoribus proficiſceretur. Ferrum quidē creſcit ſed rubigine, quod ejus vitium, non ſoboles eſt. Varios autem propagationis & generationis modos recenſet hic Scaliger, alia enim à ſimili per accidentia ab eadem per eſſentiam ſpecie ſicut homo: quædam à ſimili in genere, ut ex verme: quædam à generis poteſtate, ut ab ovo: quædam à ſimili analogo ut è purpuræ ſaliva prodeunt purpurillæ. Alia ex occultioribus principiis educuntur, ut culices è lentore foliorum ulmi, ex populneis frondibus conciſis atque ſepultis, fungi. Magis etiamnum occultis, ut mus è fimo. De variis præterea generationis modis, vide eundem exerc. 15. Ex quibus ſane patet plures eſſe æquivocæ generationis modos, & hanc tollere eſſe rerum naturam pervertere & ſanam philoſophię doctrinam corrumpere. Quamobrem tantum abeſt, ut æquivocam generationem è rerum natura falſa & commentitia veterator tollat regula, quod veriſſimum ſit, *nullam ferè fieri generationem univocam niſi mediante æquivoca.* Sed de æquivoca generatione in ſequentibus porro uberius agemus.

LXX. Colligamus nunc ſententias, abunde demonſtratas. *Non ſola hæc eſt forma ſpecifica, quæ eſt ex ſui ſpecie ſimili generata, nec quæ ſic generata ſunt formæ,*

ſpecies mundi ſolæ conſtituunt. Quia omnis forma ſubſtantialis & ultimata largiens exſiſtentiam & ſpecificam rei differentiam quidditatem & vim operandi, quæ illis requiſita ſunt forma ſpecificæ non generatur duntaxat ex ſui ſimilibus ſpecie, uti probatum eſt. Unde ſequitur omnem formam non eſſe multiplicativam ſui, nec generari per diviſionem formæ efficientis formam generati, quia ſi hoc verum eſſet, omnis generatio fieret à ſimilibus. Deinde non pendere formæ ſpecificæ rationem ex illo, quod ſit ex ſimili ſpecie generata. Tertio darentur formæ ultimatæ rerum quæ mundi ſpecies non conſtituerent, quales illi ajunt eſſe lactis, ſanguinis, ſeminis quo poſito & non conceſſo, nihilominus has eſſe ſubſtantiales, vel eorum ipſummet teſtimonio probatum eſt. Nec idcirco formæ ſubſtantialis ratione deſtituendas, quia non conſtituant ipſis, ſpecies mundi. Quarto ſubſtantialium formarum ultimatarum exiſtentiam largientium in una re poſſe ſaltem eſſe unam. Etſi enim in corpore animalis ſit forma leonis vel canis, & ſub his forma oſſis, carnis, nervi, tamen forma leonis eſt forma ſubſtantialis ultimata totius corporis, non autem forma ſubſtantialis & ultimata, oſſis, carnis, nervi quâ os vel caro eſt, quia illa abolita hæc ſubſtantialiter maneat, neque obſtat quod formæ elementorum maneant in mixtis incorruptæ, quia hæ materiam præbent non actum, neque largiuntur rei formam ſubſtantialem & ultimatam. Vnde ſequitur quod forma ut eſt propria & ſubſtantialis & ultimata, niſi una unius rei eſſe poſſit, & quod hæc ſit ſpecifica ejus rei cujus eſt ultimata, quodque nulla ullius rei forma ultimata actu exiſtere vel operari poſſit in re alia formam ſuam ſubſtantialem ultimatam & exiſtentialem habente, niſi ſit vel formativa totius,

tius, & ex hoc in parte, quia uti anima eſt totius in toto, ſic conſequenter in parte propriam ultimatam habente ineſt, vel niſi inſit per materiam ut formæ elementorum; nulla itaque forma quæ alibi fuit ultimata, & nunc eſt ſeparata (uti ajunt) actu entitativo in alia re formam ultimatam & exſiſtentialem habente exiſtere multo minus operari poteſt. Vnde anima Petri morientis non poteſt migrare vel eſſe in Paulo, vel in bove, neque ibi operari. nec anima ſcarabæi eſſe in carne cadaveris equini vel ſterquilinio, multo minus ibi operari. Quia forma ultimata rerum corruptibilium nullibi exiſtit neque exiſtere poteſt ubi exiſtentiam non tribuit, neque operatur actum ſecundum, ubi non prius conſtituit actum primum. Vnde anima nec in ſemine eſſe nec operari, nec ulla forma actu entitativo exſiſtere vel operari poteſt, ubi non eſt actu formativo, uti illi actus frivolè diſtinguunt. Cum itaque tam rei partes ſimilares habeant ſpecificam formam, quam res ipſæ cujus ſunt partes, quia mundus tam ſpeciebus partium carere nequit quam totis corporibus, quæ ex partibus compoſita ſunt, ſequitur oſſa, carnes, nervos referri ad ſpecies corporum naturalium mundi, & tam alimenta ut ſanguinem, quam utilia excrementa, uti lac, ſemen habere ſpecificam ſuam formam vel ipſo D. Senn. teſte & conſequenter, juxta eorum mentem, eſſe ſpecies mundi.

LXXI. Hic quæri ſolet. An mundus deficiat in ſpecie. Scalig. exerc. 250. ſ. 5. reſpondet negativè, quod ſpecies omnes propter mundi complementum ſint creatæ. Qui quia unus ſit connexione & ordine ad unum primum, illas eſſe affines certâ ſerie neceſ-

ſum eſſe. Tantam enim (paulo ante inquit) entium eſſe ſeriem tantamque affinitatem, ut ſi minimum vel reipſa abfuerit, *aut non ſit in cauſis*, mundus deſinat eſſe mundus quod latius probat ex Hippocrate. Si itaque mundus idcirco etiam non deficiat in ſpecie, quia rerum ſpecies hærent in ſuis cauſis, & in cauſis eſſe, ſit eſſe in potentia, uti roſa tempore hiemali, actu vero eſſe ſit eſſe extra ſuas cauſas, veriſſimum eſt eſſentias rerum diſtingui ab exſiſtentiis & eſſentias rerum eſſe perpetuas non vero exiſtentias, & ſpecies mundi magis conſervari quia eſſentiæ rerum ſint perpetuæ quam per exiſtentias, quę ſunt corruptibiles. Falſiſſimum vero nullam rem eſſe in potentia, ut docent novitii philoſophiæ corruptores, qui nihilominus concedũt roſam non eſſe hyeme; (videl. actu) & ſaltem in virtute ſtipitis ſeu cauſa contineri uti concedit Subornatus in tract. de form. orig. fol. 237. quod præcedenti folio negaret.

LXXII. Hic iterum corruit novitiorum veteratorum de generatione per multiplicationem formarum phantaſia; ideo enim negabant ens in potentia, quia ſi formæ per ſui diviſionem multiplicentur & propagentur, omnis res actu exſiſtit: Generans actu illis eſt & res generanda actu eſt in generante, quia eſt pars formæ ejus nondum diviſa. Diviſio enim facit ut hic ſit generans hoc genera tum. Res vero quæ eſt in potentia hæret in cauſis, non ita ut ejus forma actu exiſtat neque enim forma roſæ actu eſt in ſtipite vel in generante, neque roſa generat roſam per ſuæ formæ diviſionem & multiplicationem, unde ſequitur in potentia eſſe ſignificare, quod forma rei ſit in potentia materiæ, eaque propinqua vel remota,

è qua

è qua vi efficientis educatur. Eſt autem roſa flos plantæ & pars plantæ habens peculiarem ſuam formam diverſam à totius plantæ forma, cæteriſque plantæ partibus, quâ ſi à planta dividatur, maneat roſa, quæ forma eſt ſubſtantialis & ultimata largiens ei eſſentiam, exiſtentiam & ſpecificam differentiam, operandi vim, unde roſa revera ſpecies mundi eſt, cui non obſtat quod ſit ſpeciei effectus, nam ſpecies rerum & ſpecierum effectus ſunt univoci & æquivoci. Vt itaque natura non deficiat in ſpecie, neceſſario juxta Scaligerum eſt ſtatuendum rerum ſpecies actu exiſtere vel eſſe in cauſis hoc eſt in potentia, & ſic datur ens in potentia rerumque eſſentiæ ſunt perpetuæ, quia in potentia materiæ fundantur. Atque hoc modo juxta Scaligerum reſpondetur ad quęſtionem: aliter vero reſpondet Pererius & Zabarella diſtinguit, de qua quæſtione deinde porrò latius.

De animâ in ſemine.

LXXIII. Etſi hæc quæſtio ab ipſo Ariſtotele in libris de generatione animaliũ ſatis pertractata & deciſa ſit, nihilominùs novarum opinionũ curioſi venatores & moderni diſciplinarum everſores in receptis & veris veteris veritatis regulis acquieſcere detrectant.

Quamobrem recentiores ab antiquâ veritate diſcedentes conſiderant ſemen, vel prout in parentum teſticulis & proſtatis hæret, vel quatenus illud fæcundum in uterum benè diſpoſitum, infuſum receptumve, ibique exquiſitè miſtum & uteri ingenitâ facultate ſuſcitatum ſit,

LXXIV. Actu

LXXIV. Actu eſſe animam in ſemine patris antequam in uterum infunderetur ſtatuit D. Sennertus locis ſupra allegatis. Si enim ſemen eſt *ἀπόσπασμα* animę & corporis, ſi mediante ſemine traducitur pars animæ genitoris per diviſionem ſeparata ad conſtituendum genitum; ſi fit generatio dum generatur ſemen, non cum ex ſemine fabrefit corpus geniti, juxta Scaligerum & D. Sennertum ſanè animam fuiſſe in ſemine jam genito & vaſis ſeminariis parentis adhuc contẽto, priuſquam in uterum transferretur apud illos concluſum eſt. Quin imò juxta D. Sennertum non eſt negandum, animam actu eſſe in ſemine: niſi enim, inquit, actu inſit, quærit lib. de Galen. cum Chym. conſ. & diſſ. cap. 9. fol. 206. à quo in actum deducatur.

LXXV. Contrà Subornatus defenſor Sennerti Sperlingius ſtatuit actu animam in ſemine non eſſe dum eſt in teſticulis & proſtatis parentum, vel id ſemen habere animam, ſed hoc quod in utero legitimè miſtum & ſuſcitatum. Hæc porrò in tract. de format. orig. fol. 100. inquit, ſunt illa ſemina, quibus animam ineſſe actu, conceptus vivificatione & partium efformatione perſuaſi ſtatuimus. Hinc ipſe Sperlingius, uti habeo ex fide dignis ſtudioſis Wittebergâ ad nos venientibus, juſſus ſuam edere de animâ in ſemine ſententiam, ſcripſit, ſe animam ante conceptionem in ſemine actu præſentem eſſe nunquam dixiſſe vel ſcripſiſſe.

LXXVI. Primò itaque notanda eſt contradictio diſcipuli, quâ recedit ab opinione præceptoris, cujus defenſionem ſuſcepit, & nunc turpiter deſerit: næ ſuavem nactus eſt defenſorem D. Sennertus?

Secundò

Secundò quæritur, quomodo ſibimet ipſi conſtet Subornatus Ganymedes. Actu enim animam poſſe eſſe in ſemine ſtatuit in tractat. de form. orig. fol. 265. primò enim ipſi ineſt actu entitativo; ſecundò formativo ſecundum quid, ſeu ratione partialis exercitii.

Quæritur itaque, cur anima actu & ſubſtantialiter magis præſens ſit in ſemine miſto & in utero ſuſcitato, quàm dum adhuc erat in vaſis ſeminariis parentum perfectè genitum? an miſtio ſeminum & exſuſcitatio vi uteri facta, animæ ſubſtantiam, eamque ut actum primum è materia producit?

Si anima in ſemine non poteſt exſerere actum formativum ſecundum quid, neque operari niſi adſit ſubſtantialiter & eſſentialiter, neceſſum eſt ut præcedat actus entitativus formativum ſecundum quid. Actum verò entitativum, hoc eſt, ſubſtantiam & eſſentiam ſuam an acquirat tunc primùm, cum fit miſtio ſeminum & exſuſcitatio in utero?

LXXVII. Actu vero entitativo eſſe in ſemine antequam operetur & formet, hoc eſt, antequam vivificet & partes formare incipiat, quæ illi eſt actio formalis ſecundum quid, in tract. de format. orig. fol. 265. & fol. 100. teſtatur, quodque ibi eſſe poſſit, eo ipſo probat, quod non ſemper ſit ſpecifica, ubicunque ſit forma & producit exemplum de ſemine, in quo primùm actu entitativo ſeu ratione ſuæ ſubſtantiæ, deinde actu formali ſecundum quid, hoc eſt, ratione partialis exercitii atque officii, quod conſiſtit in vivificatione & partium & formandarum inchoatione, adſit.

Cum itaque anima etiam ſit, ubi non operetur

ubi,

ubi non tribuat eſſe vivens & animatum, uti ipſe Subornatus Sperlingius loquitur cum Fortunato Lyceto in tract. de form. orig. fol. 139. quin imò ſi anima ſcarabæi poteſt eſſe in cadavere equi & ſterquilinio, cur non etiam in ſemine? quod D. Sennerto vera eſt ſedes & vehiculum tranſlationis animæ: ſi autem juxta Subornatum, ut eodem loco habet, concludere fas ſit, animam ſcarabæi eſſe in cadavare equi & ſterquilinio, quia juxta Ariſtotelem (falſiſſimè tamen & veteratoriè allegatum) animarum omnia plena, cur non anima etiam in ſemine antequam in uterum veniat?

Sed quæ eſt cauſa, quod animam ſcarabæi actu entitativo in cadavere equi & ſterquilinio eſſe aſſerunt? numquid hæc, quod ex iis generentur ſcarabæi; ergo animam, quæ ſcarabæi corpus formet, actu entitativo ineſſe, antequam formet, concludunt? Cur non id pariter de ſemine animalium ſtatuendum, ex quo formari ajunt corpus vi animæ.

LXXIX. Sed propius accedamus ad negotium, ut vanum iſtum doctrinarum perverſorem erroris ſui & temeritatis & inconſtantiæ certius evincamus.

D. Sennertus mediante ſemine vult formam generantis transferri & traduci ad conſtitutionem generati: hanc formam verò ſeu animam per diviſionem avelli & ſeparari à generante, tam quo ad animam, quàm quo ad corpus: unde ipſi cum Epicuro ſemen definitur ἀπόσπασμα ab animâ & corpore generantis, & Scaligero, approbante D. Sennerto, forma canis filii eſt pars formæ canis patris.

Vnde neceſſariò ſequitur ſemen animalis actu

conſtare

conſtare ſubſtantia duplici, nempe forma ſeu anima, avulſa ab anima genitoris, & materiali corpore ab ejuſdem corpore diviſo & ſeparato. Si itaque hæc eſt ſeminis ſubſtantia, ſi hoc modo deſcendat à parente, ſeu uno, ſeu utroque, neceſſum eſt, ſemen, quod perfectionem ſuam ſit adeptum, ſive adhuc fuerit in teſticulis & proſtatis parentum & ante conceptionem, ſive in uterum jam effuſum habere animam & formam animalis generandi, neque eam actu demùm conſequi ex virtute exſuſcitantis. Ne autem pro more ſuo cavilletur, tenendum, nos hic loqui, non de actu ſecundo, quem operationem animæ nuncupant, ſed de actu, qui eſt ipſa ſubſtantia, ſive is (eorum more loquendo) ſit entitativus; ſive formativus ſecundum quid aut totalis.

LXXX. Formam autem tali modo, uti dictum eſt, actu eſſe in ſemine etiam ante conceptionem & in uterum immiſſionem, ex ipſius Subornati tract. de form. orig. fol. 164. liquidò conſtat, ubi eandem ſervat & uſurpat definitionem ſeminis, quam tradit Præceptor & præcentor ejus D. Sennertus, videlicet quod ſit ἀπόσπασμα τοῦ σώματος; ex quo concludit, venas aliaſque partes protinùs habuiſſe in ſemine ſuas formas, quæ poſtmodò certum ſibi ædificent domicilium: & quia iſtæ formæ ſunt ἀποσπάσματα corporis generantis in ſemen derivata, neceſſariò oportet actu fuiſſe in ſemine, antequam veniret ſemen in uterum. Vnde dicto tractatu fol. 34. ait: *quicquid formarum eſt eſſentialiter, & per ſe in toto animalis corpore illud in ſemine actu fuiſſe.*

LXXXI. Non igitur anima, quæ eſt potiſſima ſeminis portio & pars juxta illos (intellige ſubſtantia-

lem)

lem) primùm cæpit eſſe actu ſubſtantia, cum ſemen in utero cæpit operari, & vi uteri ad actionem incitatum eſt, ſed quia perfectum ſemen fuit, conſtante parte animæ & parte corporis parentis, antequam in uterum fuit tranſmiſſum, neceſſariò actu continuit animam ante conceptionem.

Hinc ipſe Subornatus in tract. de form. orig. fol. 21. adeò inſolenter & faſtuosè clamat: *Quicquid genito ſuam communicat eſſentiam, illud iſti etiam ſuam communicat formam: generans communicat eſſentiam: ergo & communicat formam.*

Communicat autem vel cum vel ſine ſemine: non ſine ſemine, quia ipſum ſemen ipſi ejuſque Præceptori eſt apoſpaſma & avulſum quid à corpore & anima, unde & potentia juxta ejus mentem ineſſe nequit, quia ineſſe poteſt vel ineſt actu entitativo; quia ens in potentia ſtatuit eſſe non ens; quia formæ ex potentia materiæ originem negat.

LXXXII. Sed ut concludamus, ridiculum eſt quod fertur malè feriatus ille & mutilatus magiſter ſcripſiſſe in depoſitione ſuæ ſententiæ de hac quæſtione in actu congreſſus patris cum matre ut corpus à corpore, ita animam ab anima produci. Mirifica ſanè animæ & corporis generatio: in congreſſu & per congreſſum nec corpus, nec materia corporis, nec anima generatur; ſed fit ejaculatio ſeminis in utroque parente jam generati & perfecti, ut perficiatur in utero conjunctio. Non congreſſus, non niſus vel amplexus conjugalis aut venereus format animam vel corpus: ſola perficitur ſeminis utrinque ejaculatio in uterum. Hic quadrat illud Scaligeri à D. Sennerto

nerto & ejus Ganymede receptum; *Generatio perficitur cum ſemen generatur.*

LXXXIII. Quæritur an cum iſto ſemine veniat anima, vel citra: ſi cum ſemine, ea ineſt actu vel potentiâ: non potentiâ, quia hanc rejicit Subornatus, ſi actu, tum ſanè actu fuit in ſemine, antequam in uterum veniret

Si verò in ipſo congreſſu animæ particulam ſeparari, & in ſemen tranſmitti, atque adeò cum ſemine venire aſſerit in uterum, tum certè ipſa animæ ſubſtantia actu ſemini jam ineſt, antequam vi uteri actu eſſe incipit. Secundò ſequitur tunc animam primò & per ſe eſſe diviſibilem. Tertiò oportet magnum in coitu eſſe niſum, quia animæ particulam avellit, cum nulla pars corporis avellatur. Talem niſum oportuit habuiſſe illum magiſtrum, cum noctu vagans & boans in plateis manum cum animæ mediante ſubjecto diviſæ partem amiſit.

Si coitu parentum anima generatur, tùm ſpiritualium eſſentiarum datur generatio, quod hactenus abſurdum. Spiritus enim nec generat nec generatur.

Summa; mihi res eſt cum D. Sennerto, quem nititur defendere Sperlingius: atque ille ſtatuit animam per diviſionem mediante ſemine propagari, hoc defendet Præceptor & diſcipulus.

LXXXIV. Si verò formæ ipſi fiant ex nihilo, ex nihilo verò nihil fiat niſi per divinam potentiam, ſequitur animas & formas tàm brutorum quàm hominum divinitus infundi.

LXXXV. Si verò citra ſemen traducatur, falſum eſt, animam & formas propagari per traductionem,

Ff quæ

quæ illis fit mediante ſubjecto, quem ipſe animæ & formarum propagandarum modum propoſuit in tr. de form. orig. Falſum eſt, ſemen eſſe apoſpaſma animæ & corporis. Denique det ille novorum paradoxorum magiſter novum procreandæ & propagandæ animæ & conſequenter ſobolis abſque ſemine modum, ubi eſſentia animæ (excipimus animam rationalem) propagetur abſque ſemine ullo vel corpore. Doceat ille quomodo actio congreſſus & amplexus producat animam non antea in ſemine hærentem actu vel potentia D. Sennertus Ganymedis Præceptor omnia mediante ſemine vel id quod ſeminalem rationem habet generari voluit.

LXXXVI. Hic vide & mirare levitatem & inconſtantiam & contradictiones nugivendi illius Sperlingii D. Sennertum, quem defendere voluit, miſerè deſerit eique rabioſè oggannit, ſibi ipſi contradicit turpiter, & ipſemet ubi pedem figere poſſit nuſquam invenit: *duntaxat conſtans in levitate ſua* & indignus quem reſponſionis opera vir bonus dignetur.

LXXXVII. Ad conſtitutionem animalis requiruntur corpus organicum & forma totius; ratio horum eſt in ſemine, ita tamen ut partes ſpermaticæ potentialiter omnes ſint in ſemine, ſanguineæ in ſanguine. Partes autem corporis habent ſingulæ ſuam ſubſtantialem formam, eaque actu eſt in ſemine & ſanguine vel potentia.

LXXXVIII. Non actu, quia anima formans corpus animalis (uti loquitur & ſentit D. Sennertus lib. de Galen. cum Chym. conſ. & diſſ. cap. 9. fol. 217. & Ganymedes non unis in locis ex eo repetit) pluribus conſtans partibus, partim ex ſemine, partim ex materno

terno ſanguine eas fabricat, quod ſi verum ſit, certe falſiſſimum eſt, in ſemine eſſe formas oſſium, carnis cæterarumque partium, quarum ſibi quælibet fabricet proprium domicilium, quod ſibimet ipſi contrarius Ganymedes ſcribit in tract. de form. orig. fol. 34. & fol. 165. id verò à me ſuperius notatum, & pluribus digne refutatum eſt.

LXXXIX. Hæ partes omnes, quarum formæ potentia erant in ſemine, conſtituunt corpus organicum calore & ſpiritu ſeminali, quod propriè humidum eſt radicale & calidum innatum, undiquaque perfuſum, ita ut hoc mediante totius una & diverſarum partium generalis quædam in toto conſpirans oriatur temperies.

XC. Illud organicum corpus eſt materia adæquata & ultimata & *οἰκεῖα ὕλη* & proprium ſubjectum formæ animalis, tam humanæ quàm beſtiarum. De ortu animarum humanarum diſquiſitionem jam antea à noſtra diſceptatione removimus, ſaltem hoc inculcantes in præſentiarum, eam nullibi actu conſtituere formam hominis, niſi in corpore humano.

Supereſt igitur, u t inquiramus an animæ cæterorum brutorum & rerum poſſint eſſe & exſiſtere actu extra proprium ſuum & hac ratione formatum corpus. Ego id ſecundum Ariſtotelem & veræ veteris Philoſophiæ canones & principia negavi. Illi contra formam in ſemine actu eſſe & fabricari ſibi ex eo domicilium ſtatuunt.

XCI. Contra quos ſic concludimus: Anima vel forma animantium (videlicet beſtiarum) eſt actu vel potentia in ſemine; ſi actu; inerit actu entitativo vel formativo; ſed neutro horum ineſt, Siquidem actus

formarum entitativus, qualem novi iſti diſciplinarum corruptores commenti ſunt, nullus datur; Et formativo (uti nominant) qui nobis eſt actus primus & entelechia, ineſſe nequit, quia hic non eſt ſeminis actus, ſed corporis organici: nec eſſe poteſt in ſemine, propriam ſuam ſubſtantialem & ultimatam formam habente, neque qui eſt vel fuit forma ſeminis ultimata & ſubſtantialis, eadem quoque poterit eſſe corporis animantis, & cum eo animal conſtituere. Et uti non poteſt actu eſſe forma animalis in ſemine, ita nec in illud poterit pervenire, uti ſupra probatum eſt. Nam mediante ſubjecti formati diviſione formam transferri, & hac ratione eſſe in ſemine, quod ſit apoſpaſma animæ & corporis, vult D. Sennertus, cum nuſquam ſemen animę animantis particeps fuerit, nec anima in id per diviſionem emigrare potuerit.

XCII. Quæritur porrò, an, cum parentes producant ſemen prolificum, habens potentiam formæ ad ſpeciem ſui ſimilem, fiat generatio. Id quod ego juxta veteres indubitatò adſtruxi; Ganymedes verò negat, opponendo, non fieri generationem, niſi producatur forma. Revocemus rem ad limam examinis. Certum eſt, parentes ad generationes nihil conferre præter ſemen. Ratio itaque generationis primò fundatur in hoc, quod producant & ſuppeditent ſemen prolificum ſeu fœcundum. Semen autem non eſt animal actu ſed potentiâ, ſeu materia, ex qua poſteà fiat animal. Illud continebit formam actu vel potentia. Actus eſt (ex illorum phantaſia nunc diſſero) entitativus vel formativus. Actus formarum entitativus datur nullus, neque formæ rerum corruptibilium

bilium eo ipſo alibi exſiſtere poſſunt. Sed videamus, an ſi concedatur actu in ſemine entitativo eſſe, tunc facta ſit generatio, uti volunt aſtruere, cum dicunt fieri generationem non cum ex ſemine res pullulet, ſed cum ſemen generetur: ratio enim eſt, quia in ſemine eſt forma actu entitativo fabricans corpus ex ſemine, & hoc pacto Scaliger ſemen canis dicebat eſſe canem.

XCIII. Verum materia, in qua conſiſtit forma actu entitativo, ex qua formare ſibi domicilium ſeu corpus queat, non poteſt dici jam per præſentiam formæ entitativæ res generata. Forma ſcarabæi eſt actu entitativo illis in ſterquilinio, in cadavere equi, in ſemine proprio, unde ſibi domicilium formare dicunt, neque tamen hæc præſentia parit generationis terminum, neque ſterquilinium, neque partes cadaveris equini, neque ſcarabæi dici poſſunt ſcarabæus. Et hac opinione forma pulli eſſet in ovo ex hoc fabricans pullum, & hoc pacto ovum eſſet pullus. Quare generatio non eſt productio formæ, cum eſt actu entitativo in materia, ſed productio & emerſio formæ, ut ſit actus in materia, in qua eſt, formativus, facit, ut fiat generatio.

XCIV. Generatio itaque fit, cum producitur forma informans: ſine informatione enim materiæ non eſt generatio rei. Nec eductio vel productio formæ in rebus corruptioni obnoxiis fit ſine informatione, quia in hoc rationem & eſſentiam formæ conſtare diximus, quod ſit ἐντελέχεια & perfectio rei actuſque materiæ informans.

Sine informatione præcipuè rerum corruptibilium forma non eſt forma, quia in eo conſiſtit ejus

 ratio,

ratio, ut ſit perfectio & informatio, quâ de re ſuperius. Neque ſufficit ad generationem & conſtitutionem rei adeſſe formam, ſed requiritur, ut ſit in materia propria adæquata & ultimata forma. Forma enim animalis cum pede vel capite non conſtituit animal, quia eſt actus corporis organici ex pluribus debitè conſtantis partibus, extra quod uti eſſe nequit, ita citra id non conſtituit animal. Tam enim de eſſentia animalis eſt materia, quę eſt ſubjectum corpus organicum variis partibus, diverſis ſuæ naturæ formis conſtantibus, vicem ſubjecti induentibus, & ſeſe dominio potioris formæ in ſubjecto ſubmittentibus, effigiatum, quam forma.

XCV. Neque tantùm corpus organicum, ſed & ultimata & propria requiritur forma. Nec enim anima canis poteſt cum corpore leonis ſtatuere canem, nec anima Apulei in corpore aſini eſſe vel ſtatuere hominem. Summa: nec ratione formæ, nec propter ineptitudinem materiæ ſemen poteſt dici animal.

Conferunt itaque parentes brutorum in generatione prolium, nec actu formam, nec ultimam materiam & ſubjectum formæ. *Generant itaque cum conferunt ſemen tali inſtructum potentiæ apparatu, ut ex eo corpus organicum cum omnibus ſuis partibus, ſi maternum adjicias ſanguinem, effigiari, & ipſa totius forma educi & produci poſſit.*

Etſi itaque in ſemine non ſit forma animalis actu præſens, ideo tamen negandum non eſt, parentes generaſſe, aut nullam eſſe parentum generationem: nec generatio animalis, quatenus fit à parentibus, perficitur actu ſtatim generando formam & ſtatuendo

tuendo actum formativum. Entitativus enim non datur. Ita autem ſi fieret generatio, non excerneretur à parentibus ſemen in actu generationis prolium, ſed fœtus jam formatus, qualiter actu cum ſuis corpuſculis ſcarabæi ſunt concreati equis, & hærent juxta Ganymedem in equis, aliaque animalcula minora in grandioribus.

Ex quibus patet ineptia argumentorum Subornati in tract. de form. orig. fol. 102. & ſeqq. Parentes dicuntur generare, non cum ſemen animatum & formatum anima, ex ſemine generanda, ſuppeditant, ſed cum conferunt ſemen, in quo potentia proxima ad animal, taliſque potentia, quæ loco & qualitatibus debitis ritè poſſit actuari.

Et hic locum habet regula, quod proxima potentia habeatur pro actu, & hæc actuatio, quatenus ſuſcitatur à qualitatibus externis & calore vivifico in æquivocis, à cælo in animalibus vi cæleſti & calore animantium, non eſt formæ generatio, ſed principii iſtius in ſemine à generante inditi excitatio, quod principium, ſeu quæ potentia ita ex eo, quod actu erat, eſt affecta & comparata eamque accepit naturam, ut commota externi caloris proprietate in aactum ſpecie ſimilem exeat, cujus erat ipſe generans, qui ſemen generavit, & hanc potentiam ſemini indidit, ut ſui ſimile inde produci poſſet, ſemen vi plaſtica ab anima inſtruitur in teſticulis, quemadmodum ſpiritus vitalis in corde accepit virtutem reficiendi vires vitales in toto. Et conſtat ſemen ſpirituum omnium mixtura & unione quæ vim partium formatricem in teſtibus accipiunt, uti ſatis evidenter apparet

ex hoc quod exteſticulati & emaſculati ſemen prolificum producere nequeant.

Vnde liquet fraus & impoſtura ejus dicterii, quod objiciunt & oſtētoriè clamitant, ſi calor uteri deducit, ad actum potentiam in ſemine, qualitas generat ſubſtantiam. Subſtantialis enim hæc potentia, à generante ſic erat affecta & comparata, ut qualitatum hoc ſuſcitaculo erumperet in actum ſubſtantialem, generanti ſpecie ſimilem. Atque hæc ſummi Philoſophi mens eſt lib. 2. de generat animal. cap. 1. *Omnia, quæcunque aut naturâ aut arte efficiuntur, ab eo quod actu eſt fiunt ex eo, quod potentia eſt tale. Semen igitur tale eſt, motumque habet & principium tale, ut motu peracto pars quæque exſiſtat, eaque ſit animata*; & paulò poſt, *ratio, quâ caro aut os eſt, à motu proficiſcente efficitur, ab eo quod genuit, quodque actu eſt id, quod potentiâ eſt, ex quo gignitur.* Et paulò poſt: *Motus autem naturæ in ipſo profectus eſt ab alterâ naturâ, quæ actu obtinet formam.* Rationem horum canonum addit, *quod nihil ſeipſum generat.*

XCVI. Tertium argumentum quod fol. 103. deblaterat, uti nugaciſſimum eſt, ita me non commovet. Semper enim ego à me litem de animæ rationalis origine declinavi & excepi. Interim argumenti ab illo prolati nulla eſt ſequela, quod qui animas negat ſtatim à conceptione actu eſſe in ſemine, adſtruat animam rationalem ex potentia materiæ oriri: Cur deſerit D Sennertum, quem vir lepidus defendendum receperat, & non ſtatuit cum illo jam ante immiſſionem ſeminis in uterum eſſe id animatum? Et ut nemo tam eſt prophanus, ut animam, quam inſpirando primùm Deus creavit, educat è potentia

materiæ,

materiæ, & materialem adeoque corruptibilem ſtatuat, ita oportet eum deploratæ impietatis eſſe hominem, qui animas pecudum immateriales ſeu ex potentiâ materiæ, contra divina oracula, non eſſe ortas, adeoque immortales & incorruptibiles eſſe, abſurdè ſtatuit. Quod ſanè neceſſum eſt credi ab illis, qui animas brutorum ex nihilo generari aſſerunt, uti ex diſcurſu Scaligeri de origine animæ, exercitat. 27. ſ. 20. videre licet. *Quod enim immediatè ex nihilo fit, id incorruptibile eſt.*

XCVII. Cæterum, argumentum ſecundùm fol. 103. merus vitilitigatoris eſt cavillus falſimoniis ſubnixus. Animalia quæ pariunt, parentes ſunt ſuæ prolis. Scaligerum ludere exercitat. 6. ſ. 2. cum quærit, an catelli anima ſit canis patris vel genitoris pars, nemo ſapiens, nec quiſquam, niſi qui cavillandi libidine æſtuet, cenſebit. Ovid. lib. 10. Methamorphoſeωn fab. 10.

Nec habetur turpe juvencæ
Ferre patrem tergo: fit equo ſua filia conjunx.

Et quid eſt, quod & in herbis ſexum ponunt & in mares & fæminas diſtinguunt, quod ſive figuratè aut tropicè dicatur ſive non, argumentum & cavillus adverſus me prolatus in cauros abit. Sed his cribrandis operam perdere, præter rei, quam profert Spermologus, dignitatem eſt, & cætera quæ garrit me meaque non concernunt.

De immobili Peripatetica Philoſophiæ principio. Omne quod fit, fit ab illo quod actu eſt ex illo quod potentia eſt.

XCVIII. QVemadmodum perdendis diſciplinis & bonis artibus earumque æternę veritatis negandis & convillandis principiis, ac ſi ad id nati factique videantur, unice operam dant novæ ſectæ ſtructores, ita etiam immobile illud Ariſtotelicum totiuſque antiquitatis principium, *omne quod fit, fit ab illo quod actu eſt, ex illo quod potentiâ eſt*, evertere & corrumpere moliuntur.

XCIX. Etſi vero *contra negantem recepta & antiqua veritatis principia diſputare non ſit ſapientis*, ſed otio & literis abutentis, tamen ut impudentis hujus cavillatoris mendacia, calumnias & fraudes, quibus veritati fucum facere & ſimplicioribus atque literaturæ primulùm initiatis imponere annititur, lectori ob oculos ponamus, quomodo dictam regulam, cum ſolidis rationibus eam labefactare & evertere deſperet, calumniis, mendaciis fraudibuſque enervare atque elevare tentat, idque hunc in modum, paucis aperiemus.

C. Ait eſſe canonem ſcholaſticorum obſcurum & ambiguitatibus adeò involutum, ut pro principio & regulâ nec venire nec attendi poſſet. Reſpondeo unico verbo. Mentiris Cain idque pro more tuo. Exſtat enim hoc principium perſpicuè traditum, fuſè explicatum & ab omnibus obſcuritatibus ab ipſo Philoſopho liberatum, à Peripateticæ Philoſophiæ proceribus pro veriſſimo canone, ad quem, tanquam

quam veritatis fundamentum, provocemus, celebratum & cultum: exſtat inquam apud Ariſtotelem lib. 2. de generat animal. cap. 2. Exſtat ibidem, & à Philoſopho in eodem capite ad uberiorem elucidationem repetitur.

CI. Primo enim particulariùs loquitur philoſophus, dum inquit: *Quod gignitur & ex quo & ab aliquo & aliquid gigni neceſſum eſt.* Ex quo gignitur materia eſt &c. Paulò poſt ſtrictam hanc regulam univerſalius exprimit, ejuſque fundamenta explicat, dum inquit: *Omnia quacunque aut natura aut arte efficiuntur, ab eo, quod actu eſt, fiunt ex eo quod potentia tale eſt.* Rationibus in exemplo ſeminis rem declarat. *Semen igitur* (inquit) *tale eſt, motumque habet & principium tale, ut motu peracto pars exſiſtat quaque, eademque ſit animata.* Et paulò poſt. *At ratio, quâ jam caro aut os eſt, non poteſt, ſed à motu proficiſcente efficitur ab eo quod genuit, quodque actu eſt id, quod potentiâ eſt ex quo gignitur. Quomodo in iis quoque agitur, qua arte efficiuntur. Ars enim principium & forma ejus, quod efficitur eſt, ſed in alio. Motus autem natura in ipſo eſt, ab altera profectus natura, qua actu obtinet formam.* Et paulò poſt: *Sed enim hujus nulla pars eſt cauſa generationis, ſed quod primùm extrinſecus movit, id cauſa eſt: nihil enim ſeipſum generat, ſed poſtquam generatum ſeipſum jam auget.*

CII. Hic Ariſtotelicæ & vetuſtæ veræque Philoſophiæ profeſſores & inter hos ſui ſeculi haut poſtremus Cornelius Martinius verbis nullâ ſophiſticâ eludendis, quæ ille in ſuâ Metaphyſicâ tradit, fol. mihi 97. ſic interpretantur. *Cum nihil reducatur ex actu ad potentiam niſi ab ente exſiſtente in actu, ſi aliquod ſit*

ens

ens exſiſtens in potentia, id ab alio exſiſtente in actu reduci debet, cum nulla potentia ſe ipſam actuare poſſit. Eſt enim potentia via ad actum, itaque perficitur actu. Hinc principium oritur perpetuum: Omne quod fit, fit ex aliquo quod eſt in potentia. Atqui (porrò inquit) *jam diximus potentiam aliam eſſe naturalem, aliam eſſe obedientialem. Itaque quicquid fit ſive naturaliter ſive obedientialiter id potentiam ſibi congruam præſupponit.*

Idem eſt quod Ariſtoteles lib. 9. metaphyſic. cap. 8. ait: *Semper ab eo quod potentia eſt, actu fieri, ens ab ente exſiſtente actu: ut homo ex homine, muſicus ex muſico, quia aliquid ſemper moveat prim :* movens autem actu ſit neceſſarium; ſiquidem, ut antea dixerat, *omne quod fit fiat ex aliquo & ab aliquo.* Idque ex hac Ariſtotelis firmiſſima ratione, quod cum nulla potentia poſſit ſeipſam actuare, neceſſum eſſe, ut ſit aliquid, quod illam actuet, ſive quod actu ſit, à quo id quod in potentia eſt ſimiliter actu fiat.

CIII. Ex his omnibus patet, quod in collum ſuum mentiatur Ganymedes, cum dicat, hanc regulam eſſe inventum ſcholaſticorum: deinde cum potentiam pariter eorundem vult eſſe commentum, quod ex potentia materiæ ſeu ſubjecti ſecundum Ariſtotelem neget educi formas rerum corruptibilium corruptibiles. Perſpicuis enim verbis inquit Ariſtoteles: *id, quod gignitur, fit ab eo, quod actu eſt id, quod potentia eſt id, ex quo gignitur.*

Generatio autem eſt formæ productio: hæc autem non producitur per diviſionem formæ efficientis actu generatæ & exſiſtentis, ſed ex re, quæ potentia id eſt, quod actu eſt efficiens, quod eſt educi à potentia.

CIV. Vides igitur, benigne lector, verum ſenſum

Ariſtote-

Ariſtotelicæ regulæ & immobilis principii, quodque hic eo ſenſu, quo & ipſe Ariſtoteles id uſurpare voluit, & ſchola Peripatetica & veneranda antiquitas uſa eſt, & moderni veræ & antiquæ Philoſophiæ cultores utuntur, eſſe dictum: cujus fundamentum cum labefactare non poſſet, ille bonarum diſciplinarum corruptor & verorum principiorum abnegator, convertitur ſuo more ad mendacia, fraudes vanas & inanes diſtinctiunculas ad rem non pertinentes, idque obſcurum, & dubium, & infame, quia à ſcholaſticis eſſe profectum mentiebatur, reddere ſatagebat, quod ab Ariſtotele ſat clarè, perſpicuè & indelebili veritate pronunciatum erat.

Reſpondeat miſſis cavillationibus Ariſtoteli, ejuſque rationes, quibus regulam hanc inſuperabilem munit, convellat, idque faciat non ſtrophis, elenchis & cavillis pro more ſuo, ſi vir eſt, ſi Philoſophus non moroſophus.

C.V. Non abſimili cornicatur ineptia ex eodem hoc fonte promanante, quando ad illud immotæ veritatis principium, *nulla res ex nihilo generatur, nulla res in nihilum redigitur*, quod reſponderet nihil habeat; Ariſtotelem hæc tantum intelligere de compoſitis & principatis, non de principiis, & hinc plus quam ſcurriliter concludit, me abuti canonibus Ariſtotelicis ad probandum formas non fieri ex nihilo. Sed ſciat iſte nugator, & Ariſtoteli & Ariſtotelicis & Theologis omnibus adeò generaliter patere hanc regulam, ut nec ſubſtantiam ſive completa ſit, ſive incompleta, ſive principium, ſive principiatum aut ullum accidens ullâ vi naturali ex nihilo generari aſſerant, quod qui impugnat, is impudenter cum hoc

moro-

moroſopho, formas rerum generari (generatio autem fit vi naturæ) ex nihilo privativo deblaterante, adverſus ſolem mejere audeat?

Ipſe jam antea in tract. de form.orig.fol. 90. concedit formas generari, poſtea juxta ſcholaſticos ſecundum quid fieri ponit. Cum itaque illi generantur formæ, probet contra S.S. Theologiæ ſynceritatem, & immobilem Philoſophiæ veritatem, formas ex nihilo virtute naturæ fieri ſeu generari. Contrarium à me ſupra ſufficienter demonſtratum.

CVI. Reſtat ut reſpondeamus ad id quod affingit Ariſtoteli ejuſque ſectatoribus, videlicet quod doceant, *compoſita ſaltem generari & corrumpi*, unde hæc regula, *ex nihilo nihil generari*, formis, quæ Ariſtoteli non generantur, applicari nequit. Verum, bone vir, tàm craſſus non eſt Ariſtoteles ejuſque intrepretes, ut negent, formam generari cum generetur totum. Siquidem totum generatur, quia generatur forma, & corrumpitur totum, quia corrumpitur forma. Non enim poteſt fieri corruptio totius neque ejus generatio, niſi forma, cujus corruptione & generatione totum vel generatur vel intercidit, producatur vel aboleatur. In generatione enim res tota mutatur eademque non manet, ſed ex una producitur alia. Per rem totam Ariſtoteles intelligit formam ſubſtantialem & ſpecificam, quæ totum dicatur, quoniam rei integritatem conſtituit, ut idem Ariſtoteles docet 2.phyſ. text. 3. & ex hoc loco Zabarella, Mercenarius & Ariſtotelicorum ſchola. Eſt enim res per formam quod eſt, ipſa eſt ἐντελέχεια καὶ λόγος οὐσίας, ut generatio formæ ſit generatio totius, ejuſque corruptio totius corruptio. Dicimus autem

generari

generari totum, quia, verbi gratia, generato animali, non dicitur de forma animalis quod generata ſit, ſed ipſum animal, quod ex materia & forma conſtet, finiſque & terminus erat generationis.

CVII. Sed indignus ſit cathedra Academiæ, qui tales ferula dignas inſtantias obtendat, cum nihil aliud habeat quo, inſano livore turgidus, imperitis ſuiſque auditoribus imponat.

CVIII. Quod dicat, me his abuti regulis, quod ad formas eas traham, iterum bardum veteratorem agit, quin & diverſum patet ex antè dictis, & ipſi Ariſtotelici & Philoſophorum primi has pariter ad formas trahunt.

Scaliger animæ, quam formam ille non negat, immortalitatem & originem ex hoc axiomate, *ex nihilo nihil fit,* pertexere ſatagit exercitat. 307. ſ. 20. *Anima*, ait, *aut interit, aut immortalis eſt: ſi interit, cum ſimplex ſit, neque in principia (nulla enim habet) reſolvatur, ad nihilum neceſſario redigetur: Ergo ex aliquo nihil fiat. Quare & univerſo naturæ opere fiet aliquid ex nihilo. Quod eſt contra omnium decreta Peripateticorum.* Vides impudens obſtrigillator & univerſalitatem regulæ hujus, & quod res plures concernat, quam compoſita, & quod ad formas ritè trahatur.

CIX. Vis plura Ariſtotelicorum exempla? Zabarella, Mercenarius aliique demonſtraturi materiæ primæ neceſſitatem ſic argumentantur. Omnis generatio ex aliquo fit (ex nihilo enim nihil fit, & nihil in nihilum reſolvitur) & omnis corruptio etiam in aliquid eſſe deſinit: In generationibus & corruptionibus res in nihilum redigerentur & ex nihilo producerentur, niſi ſtatuatur prima materia, in quâ incor-

incorrupta & ſervata rerum fiant converſiones & mutationes. Mutationes vero hæ quatenus ſubſtantiales ſunt formarum ortus & interitus, generatio & corruptio &c.

De animarum beſtialium immortalitate.

NOvi iſti Philoſophi beſtiarum animas faciunt immortales propter ſequentes has rationes.

1. Omnis forma, quæ habet talem actum, talemque eſſentiam & ſubſtantiam, ut ejus eſſe à materia ſic non dependeat, ut pereunte ſubjecto ſalva ſua eſſentia ſeparari, & alibi quàm in ſubjecto, quod informat, eſſe poteſt, ea eſt immortalis: Animæ beſtiarum ita ſunt comparatæ Sperlingio, ut patet ex ejus opinione, quam tradit in tract. de formar. orig. fol. 113. & pluribus in locis.

CX. 2. Ratio eſt, quod formas velint ex nihilo eſſe factas. Omne quod interit id vel perit in ſua principia, vel redit in nihilum. Id quod ex nihilo factum eſt, in nulla principia, ex quibus natum ſit, reſolvi & perire poteſt. Et quod ſemel eſt aliquid, illud & juxta veræ Theologiæ & Philoſophiæ immobilem regulam, in nihilum redigi nequit: quapropter ut ſint immortales neceſſe eſt.

CXI. 3. Quarum formarum actiones ſunt inorganicæ, earum eſſentiæ ſunt incorruptibiles. Quod enim per ſe ſine organis corporeis poteſt operari, id & per ſe poteſt ſubſiſtere, quia operationes ſunt entis in actu, & actiones ſunt ſubſiſtentium. Quia eſſe eſt propter operari, & ut ſe res habet in eſſe, ita & in operari.

Quo

Quo argumento concludebat Ariſtoteles, animam eſſe divinam & extrinſecus accedere lib. 2. de generat. animal. cap. 3. ubi inquit: *Quorum principiorum actio eſt corporalis, ea ſine corpore eſſe nequeunt, ſola mens, quia cum ejus actione nulla communicat actio corporalis, divina eſt.*

CXII. Animas autem beſtiarum non ſolum exſiſtere actu entitativo, & hoc ipſo habere ſuam eſſentiam & ſubſtantiam, ſed & ſine corporeis organis operari poſſe ſtatuunt, quod apparet, cum ajunt ex ſterquilinio vel cadavere equi facere corpus ſcarabei: neque enim organis neque accidentiis ut inſtrumentis uti poſſunt. *Accidentia enim ſeu qualitates ſunt inſtrumenta ſubſtantiarum ex materia & forma conſtantium.* Vti enim anima non agit niſi per organa, quorum eſt actus organicus, ita qualitates, quæ ſubſtantiarum ſunt inſtrumenta, per quæ operantur, *non ſunt niſi in corporibus organicis & ab iis dependent.* Actiones enim in genere dependent ab anima, ſpecies actionum ab organo, bonitas à qualitate & temperie. Nulla igitur forma corporea excepta anima poteſt agere, niſi per organa corporis, cujus ſit forma; *neque totum illud ſeu ſubſtantia agit niſi per qualitates.* Anima igitur quæ ſine talibus organis & qualitatibus horum miniſtris operari poteſt, ea eſt immortalis.

CXIII. Tandem quo modo illæ animæ dicuntur probare reſurrectionem mortuorum & animæ immortalitatem, uti eſt apud Ganymedem Sperlingium in tract. de form. orig. fol. 114. videlicet quod corpus informare deſinentes & mortuum relinquentes actu entitativo ſuperſtites poſtliminio ad ejus informationem redeuntes id vivificant, eodem

ſuam propriam immortalitatem & reſurrectionem & palingeneſiam demonſtrant.

An Ariſtoteles ſtatuat animarum eſſe omnia plena.

CXIV. Vti hactenus, amice lector, aſſeruerunt, quamvis diſpari voto, *animam animantium eſſe in ſemine, ita nunc animarum eſſe omnia plena, unde in luto anima ranæ, in quiſquiliis anima muris; in caſeo & ligno & carne anima vermium*, in reprobam ſententiam verbis ſummi Philoſophi detortis affirmare non erubeſcunt, uti eſt in tract. de form. orig. fol. 139. Cum enim aſſereret Ganymedes Sennertianus animam ſcarabæi actu eſſe in ſterquilinio, id ex eo probare conabatur, quod juxta ſummum Philoſophum animarum ſint omnia plena. Hinc, amice lector, plura proferuntur abſurditatum monſtra, quàm verba, quibus id prædicant.

CXV. Primò enim hæc opinio petit principium, falſaque nititur hypotheſi, videlicet formam rerum corruptibilium habere actum entitativum, quo extra ſuam materiam propriam eſſe obtineat & exſiſtere poſſit, ubi non informet, neque ſit entelechia, in qua alioquin omnis animæ ratio conſiſtit?

CXVI. Secundò anima ſcarabæi illis eſt in ſemine, eſt in equi cadavere, eſt in ſterquilinio, in iiſque hæret, velut in vaſe, uti ait loco citato ex Lyceto, cum propriam exſiſtendi vim habent actu ſuo entitativo. Cur itaque non ubivis & in quovis eſſe queat, cum nulla requiratur materiæ habilitas, ut in hac quàm illa magis exſiſtat; eſt enim ibi veluti in vaſe,

qua-

qualiter in quavis materia eſſe queat. Quâ ſanè ratione res quælibet poteſt eſſe in qualibet, & ſi idcirco, quod anima ſcarabæi ſit in ſterquilinio actu entitativo, ex ſterquilinio generatur ſcarabæus, cur non ex quolibet generatur quidlibet.

CXVII. Bella ſanè demonſtratio. Superius ſemen in paraſtatis continere animam cum ſuo præceptore D. Sennerto aſſeverare non audebat, & tùm demum animam habere prædicabat, cum in fæcundum uterum projectum, miſtum, & vi uteri ſuſcitatum eſſet hic animam ſcarabæi etiam in ſterquilinio eſſe & obequitare impudenter aſſeverare non dubitat, ductus ratione, Ariſtoteli falſò affictâ, animarum eſſe omnia plena, quâ ſi demonſtrare liceat, animam ſcarabæi eſſe in ſterquilinio actu entitativo, quo ubique eſſe queat, ſanè pro fabulâ haberi nequit, quod anima Apulei fuerit in aſino, & viciſſim, quod anima aſini poſſit eſſe in Philoſopho & magiſtro tali, qui ſtatuit ideo, quia animarum omnia plena, animam ſcarabæi eſſe in ſterquilinio.

CXVIII. Sed oportet mendacem eſſe memorem: in tract. de form. orig. fol. 25. adſtipulatur Thomæ Frantzio dicenti, Deum voluiſſe ordinem generationis animalium eſſe certum, ne modò mus ex mure naſceretur, modò mus ex putredine gigneretur. Et paulò poſt Dei mentem eſſe, ut generatio ſimilium ſpecierum non niſi ex ſimilibus ſpeciebus certiſſima conſtantiſſimaque generatione conſtaret.

Contrarius hic eſt D. Sennertus, qui murem ex fimo, in quo ſit ſemen analogum non ejuſdem ſpeciei cum ſemine muris patris & matris, generari aſſerit. Contrarius ſibi ipſi, dum ex ſterquilinio & ca-

davere equi generari ſcarabæos aſſeverat, quia ibi ſit anima ſcarabæi generans ſcarabæum ex ſterquilinio & cadavere. Scarabæus enim ſcarabæum & mus murem generat ex ſuo ſemine non ex cadavere vel ſterquilinio, & ſcarabæus ſcarabæum generat, anima ſcarabæi extra ſcarabæum non generat ſcarabæum.

CXIX. Deinde notandum, quod Frantzius animalia, quæ aliis dicuntur ex putredine nata, dicat conſtituere rerum ſpecies. Ergo ſunt ſpecies mundi habentque ſpecificas formas, cum Subornatus tamen has ad ſubordinatas releget.

Sed ad quam nam formarum ſuarum claſſem ſcarabæi ex cadavere equi, ranæ ex limo, muris ex quiſquiliis, vermis in ulcere & carne putrida vel caſeo nati formas referet? Ex cadavere equi ſcarabæos, boum apes, aſini crabrones naſci aſſeverabat, quia horum formæ ſpecificis majorum animalium eſſent ſubordinatæ, quibus pereuntibus hæ prodeant vel cum corpuſculis, vel ut corpora fabricent, ut eſt in tractat. de formar. origin. fol. 3. & 27.

CXX. Verum formæ ranarum ex luto, & murium ex quiſquiliis generatorum, formis ſubordinatis accenſeri non poſſunt, quia hæ ſunt concreatæ ſpeciebus mundi, & ſub harum dominio degunt. Fimus, verò, quiſquiliæ, lutum ſpecies mundi non conſtituunt, & veluti ſpeciebus mundi ſubordinatas Deus (quæ abſurditas antea abundè confutata eſt) non concreavit, ita multò minus has formas luto, quiſquiliis, fimo concreavit.

CXXI. Neque hæ formæ poſſunt referri ad ſpecificas, quia generatio ſpecierum illis fit ex ſpecie ſimilibus,

libus,taliburſque quæ ſpeciem mundi conſtituunt, in quâ cauſa principalis ejuſdem ſpeciei ſit cum genito. At juxta D.Sennertum lib. de Chym. cum Galen. conſ.& diſſ.cap. 12.fol.346. autoritate Scaligeri, fimus,ex quo mus naſcitur, non eſt ejuſdem naturæ ſpecificæ cum ſemine maris & fœmine murium.

CXXII. Sed neque ad accidentarias referri poſſunt,cum hæ origine vel cum ſpecificis vel cum ſubordinatis conveniant:quamobrem hæ nec certã differentiam, nec peculiare formarũ genus conſtituere poterunt, fruſtraque à moroſophis excogitatæ ſunt.

CXXIII. Ad partiales verò corporum naturalium formas referri non poſſe manifeſtum eſt; Ergo illis formæ,quæ dicuntur eſſe in luto, in ſterquilinio, in quiſquiliis, ob hanc cauſam, quia animarum omnia plena, nullæ ſunt, nuſpiam ſunt, & vaniſſimorum moroſophorum commenta ſunt.

CXXIV.Sed ut ipſis ad ſatietatem ſatisfiat,quęrere reſtat, an anima ſcarabæi, ſi ſit in ſterquilinio, vel ranę ſi ſit in luto,poſſit ibi fabricare animal ſuę ſpeciei. Atque ita latius rem deſpiciemus: omnis generatio D. Sennert. ejuſque Ganymed. tract. de form. origin. fol. 163. eſt univoca : omnis generatio fit mediante ſemine, vel id quod ſeminalem rationem habet. Vnivocæ generationis ratio illis in hoc conſiſtit, quod generans communicat aliquid de ſuâ eſſentiâ, hoc eſt uti dicũt, de ſuâ materia & de ſua forma. Formam communicat per diviſionẽ mediante ſemine, vel id, quod ſeminalem rationem habet. Non enim poteſt fieri generatio (illis) niſi abſcedat pars formæ ab efficiente, quæ ex propria materia, qua mediante ab eâdem avulſa & diviſa eſt, formet proprium

corporis domicilium. Vt itaque fiat generatio univoca (nulla verò æquivoca datur D. Sennerto ejuſque Ganymedi) neceſſe eſt ab efficiente ſeparari, avelli & communicari generato formam & materiam.

CXXV. Vt itaque ex forma leonis diviſa non poteſt fieri catus vel vulpes, ſic nec forma leonis ex alio quàm leonis ſemine poteſt formare leonem, neque forma muris ex alio ſemine, quàm proprio, poteſt formare murem, neque forma muris ex ſemine cati, neque forma leonis ex ſemini aſini, murem vel leonem faciunt: multò minus forma ſcarabæi hærens in ſterquilinio vel cadavere equi formabit ex iis ſcarabæum, nec ranæ forma ex luto ranam, aut muris ex quiſquiliis murem, quia ad univocam generationem nō tantū requiritur propria forma generantis, ſed & propria à materia à generante profecta, qua mediante forma diviſa & ſeparata eſt, unde fiat animal vel res generanda, ſiquidem abſque tali ſubjecto forma ſeparari nequit (illis) ab efficiente, & ex hac proprie fabricat. Et cum ſine alia venire non poſſit, etiam & neceſſario ex alia nulla quam illa, cum quā venit corpus fabricare queat.

Et quia omnis forma generati à generante dividitur mediante ſemine, vel id quod ſeminalem rationem habet, neque mediante alio ſubjecto dividi, neque cum alio eſſe poteſt, neque alia ratione pars eſſentiæ efficientis à generante cum generato communicari poteſt quàm ſi pars materiæ cum parte formæ tribuatur, ſanè forma fabricans ex nulla alia materia, quàm quæ à generante profecta, poteſt fabricare corpus. Falſum itaque eſt formam ſcarabæi

eſſe

eſſe in ſterquilinio & cadavere equi, & ſi ineſſe queat, tamen non poſſet ex iis fabricare corpus, quia ſterquilinium & cadaver non ſunt materia ſeminalis univoca ſcarabæi, neque fimus materia ſeminalis muris, ex quâ forma muris poſſet fabricare corpus. Vnde Scaliger dicebat, fimum, ex quo naſcitur mus, non eſſe ejuſdem naturæ ſpecificæ cum ſemine maris & fæminæ murium.

Res adhuc luculentius illis monſtratur ex effato Scaligerano, quod amplectitur atque exoſculatur D.Sennertus. Generatio fit cum producitur ſemen, non cum ex ſemine fabricatur corpus. Semen vero eſt ἀπόσπασμα à forma & materia generantis, & tam materia quàm forma à generante profecta conſtat. Solius itaque formæ propagatio vel præſentia non perficit generationem, neque fit generatio, cum res vel domicilium animæ ſeu corpus ab anima vel forma fabricatur, ſed cum producitur ſemen. Non itaque generatur ſcarabæus ab anima ſcarabæi ex ſterquilinio vel cadavere, etiamſi ibi exiſtere poſſet. *Verum nec ibi exſiſtere poteſt, quia actus formarum entitativus commentitius & frivolum vaniſſimorum hominum commentum eſt, neque ſi daretur animæ actus entitativus, eo ſine ſemine proprio pervenire poſſet, & ſi eo perveniat, neque ibidem operari poſſet, & ſi operari poſſet, ex aliena materia proprium domicilium fabricare nequeat. Vnde patet, quod neque animarum poſſunt eſſe omnia plena, quia non datur earum actus entitativus.*

CXXVI. Ex eo itaque quod ex ſterquilinio generetur ſcarabæus, ex cadaveribus variis varia animalcula, ex luto ranæ & ex quiſquiliis mures &c. velle concludere, omnia eſſe animarum plena, vaniſſimum

eſt etiam juxta eorum opinionem, cum illi horum animalculorum formas ſpeciebus mundi concretas & eis ſubordinatas prædicent, non verò luto, quiſquiliis aliiſque ineſſe ſtatuant.

CXXVII. Sed videamus nunc falſam hypotheſin, cui ſuperſtruxerũt hanc ſuã de formarũ origine opinionẽ. Ajunt Ariſtotelẽ docere animarũ eſſe omnia plena, atq; idcirco eſſe animã ſcarabęi in ſterquilinio, & exinde generare ſcarabæum, & ſic conſequẽter in luto, fimo aliiſque rebus animas generantes animalcula ineſſe. Sed hęc opinio directe adverſatur Ariſtoteli, qui animam eſſe entelechiam corporis organici, nullibique aut operari aut exſiſtere poſſe, niſi ubi ſit entelechia, & in propriâ materiâ, ſcilicet corpore organico, neque alibi operari poſſe quàm in hoc & per ejus organa ſtatuit. Animarum beſtialium & corruptibilium nullam agnovit, vel ſcivit actũ entitativum Ariſtoteles; nunquã id ipſi venit in mentem, ut ſupra ex lib. 2. de generat. animal. cap. 3. demonſtratum eſt.

CXXVIII. Sed ut fraudem, fucum & cavillationẽ lectori aperiamus, videndum, quo candore locum Ariſtotelis allegatum deſcribant & recitent. Locus exſtat apud Ariſtotelem lib. 3. de generat. animal. cap. 10. *Generantur in terrâ & aquâ (humore) & animalia & plantæ, propterea quod in terra quidem ſit humor, in aqua verò ſpiritus, in toto caliditas animalis, ut quodam modo plena omnia anima ſint:* hactenus Ariſtoteles.

CXXIX. Primò in eo fallunt novitii veteratores lectorem & auditores, quod textum ipſum corrumpendo & illud τρόπον τινὰ ſeu modo quodam, omittendo, diverſum, quàm qui Philoſophi fuerit, ſenſum eidem affingunt, illudque quod ipſe quodammodo

modo taliter habere dictat, pro abſolute & ſimpliciter dicto interpretantur & perſuadere conantur, ac ſi omnia hæc inferiora actu plena animarum, & quidem animarum actu entitativo exſiſtentium eſſent. Verum textus ipſe & contextus reclamat. Vult enim ibi Ariſtoteles docere, quomodo animalia, & in ſpecie teſtacea, & plantæ ex elementis & qua vi generantur. Ponit itaque terram & aquam, utpote materiam, mixtionis mole potiorem, humorem verò in terra, quo ſiccum cum humido debeat permiſceri ad certum definitumque terminum, ſpiritum autem in aqua, hoc eſt, aërem in aqua, qui tenuitate ſua aquam & terram penetret, temperet & quaſi fermentet, adeo ut conveniens igni ſubjectum præbeat. Igneus verò calor aërio junctus univerſam maſſam permeat, permiſcet, definit, concoquit. Caliditas autem illa per omnia fuſa, uti omnium qualitatum eſt actuoſiſſima & virtutis cœleſtis æmula, ita & proximum virtutis cœleſtis eſt inſtrumentum.

CXXX. Hinc dicitur calor animalis, quia virtute & calore cœleſti fit generativus animantis & plantarum: Elementaris enim ſolitariè & per ſe nullum animal gênerat juxta eundem Ariſtotelem. Cum itaque virtute cœli ejuſq; vivifico calore eo modo, quo anima in animatis, mixtionem & generationem peragit, elementa ad miſtionem & generationem animalium & plantarum moveantur & excitentur & perducantur, caliditas illa elementaris cœleſti & vivifico calore directa dicitur animalis, & fit generatio animantium & plantarum, ut quodammodo ſeu hoc modo omnia animarũ ſint plena, hoc eſt videantur plena propter dictas operationes, vel plena ſint

animæ in potentia. Cœli enim virtute & calore vivifico elementari unito & hunc dirigente fiunt ad generationem miſtiones & inferiorum generationes omnes, idque vel mediatè vel immediatè, ut antea declaratum eſt, ut hoc pacto omnia ſint animæ plena, hoc eſt potentialiter. Pro cœleſtium enim corporum viribus, concurſione, mixtione, alienatione aliud atque aliud tùm fit, tùm eſt, tùm fieri, tùm eſſe deſinit. Sic generationem æquivocam eſſe muris è luto & ranæ è fimo, idem Scaliger prædicat exercitat. 6.

CXXXI. Hunc autem eſſe hujus dicti Ariſtotelici ſenſum & peripateticorum, primi & ſaniores omnes docent, & ipſe Scaliger exercitat. 26. ad oculum demonſtrat. Cum enim explicaſſet, quomodo calor putridus à cælo ſoleque impreſſus ſit, & hujus putridi auctor ſit vitalis, graduumque ſibi faciat ad generationem per putridum, ſubjicit univerſalem canonem: *Solis aliorumque ſyderum calore per hæc diffuſo atque in hæc infuſo gigni omnia quæcunque non fiunt è ſeminibus.* Nimirum ſemina quoque ipſa ab eodem perfici calore, quo ad actum reducantur: & hunc tribus ex Ariſtotele accerſitis locis, videlicet uno ex lib. 12. divinæ ſapientiæ, altero ex lib. de affectib. miſter. & tertio ex lib. 3. de generat. animal. qui ipſus eſt, quem recitavimus & examinavimus, confirmat & munit.

Hac itaque ſententia (cujus ut & cæterarum Scaliger ait eſſe verba divini præceptoris nectarea) probat idem vi cœleſti elementa ad miſtionem convocari & agi; & ad generationem animalium perduci, hujuſque virtute ſpontè naſcentia ſine ſeminibus,

alia

alia vero mediatè: Et mediatè, cum ſol & homo generent hominem; immediatè, cum ex putredine fit animal, oriri.

Cum hac Ariſtotelis ſententia convenit, quod inquit Theophraſtus lib.3.de cauſ. plantar. cap. 26. *Natura ubique animal gignit, modò calor cum humiditate debitè coëat.*

De animarum propagatione.

CXXXII. D. Sennertus ex Scaligero delibavit hanc opinionem, quod ad materiæ diviſionem dividatur anima, ita ut anima geniti ſit pars animæ genitoris: viventia enim (inquit) dum generant, aliquid de ſua materia & aliquid de ſua forma communicant.

Hæc propagatio eſt illis animarum generatio, & fit Scaligero mediante ſemine: D. Sennerto mediante ſemine & illo, quod ſeminalem rationem obtinet, atque non tantum ad animata, ſed ad inanimata & res omnes formam ſubſtantialem habentes extenditur.

CXXXIII. Scaliger generationis animæ per talem propagationem duo ponit exempla exercitat. 6. ſ. 11. cum inquit: *Gignit autem anima animam ſui promotione, eâdem ſanè ratione, qua ſe induit in alimenti materiam novam*: Secundum eſt à flamma: & (inquit) *habemus præ oculis exemplum, quomodo à lampadis flamma flammam accipimus, illa nihiloſecius integra manente.*

Verum hæc exempla per omnia non quadrant: Anima cum induit ſe in novam alimenti materiam ſeſe promovet, non augetur, non generat novam formam,

formam, ut ipſe Scaliger inquit exercitat. 101. *Eadem quæ erat anima manet, in novam materiam applicata & promota.*

Neque etiam modus propagationis animæ convenire poteſt. Nam anima propagatur in accretione, & quicquid accreſcit, illud fit pars corporis. Propagatur autem anima eo, quia neceſſariò omnis pars totius una cum toto debet eſſe anima prædita; at ſemen nec eſt nec fuit pars corporis, nec toti cohæſit: qua de re ſuprà actum eſt. Non itaque in ſemen ut in partem corporis anima propagari poteſt. Et ſi poſſet, nequaquam illo mediante dividi poſſet, quia nulla eſt pars corporis animalis formata, quà mediante forma à corpore dividi atque avelli poſſit, ut ſuprà demonſtratum eſt.

CXXXIV. Alterum exemplum de flamma adhuc diſſimilius eſt. Alia enim eſt generatio animatorum & inanimatorum, & à propagatione formæ inanimatorum ad generationem animæ concludere, eſt à baculo ad angulum argumētari. Flamma enim flammam producit non propagando per diviſionem ſuam formam in aliud ſubjectum, ſed ſibi ſimilem formam producendo converſione ſubjecti in ſimilem ſubſtantiam: quod juxta D. Sennertum fit formæ ex ſubjecto eductione, quæ omnia idem D. Sennertus lib. 6. c. 2. Epitom. ſcient. natur. accurate confirmat, cum inquit. *Et ſi generatio eſt tranſmutatio cujuſcunque tranſmutabilis, totius in totum, atque etiam inanimata ſibi ſimile generare dicuntur; tamen hoc peculiari modo competit viventibus. Nam non viventia ſibi ſimile generare dicuntur agendo in aliud extra ſe, & ex eo formam educendo, nihilque de ſuo tribuendo. Viventia verò aliquid*

de

de ſua materia & de ſua forma largiuntur, ſemen exhibendo. Hic vides, amice lector, D. Sennertum ſolis viventibus propagationem formarum, quæ ipſi fit per communicationem formæ generantis mediante ſemine tribuere, cum id in lib. de Galen.cum Chymic.conſ.& diſſ.fol.232.& ſeqq.tribuat etiam inanimatis. Vbi primò turpis eſt contradictio.

Quocirca exemplum ignis, uti rei inanimatæ, ad demonſtrationem propagationis animæ non quadrat, nec in hoc conſiſtit rei nervus & argumenti ratio, quod pars animæ ſeparatæ (ſi ſeparari & communicari poſſet) in alio conſtituat rationem totius, ſed in hoc quod formæ pars non ſeparetur cum ſemine, nec ſemen ſit ejus apoſpaſma, nec per hoc communicare generans aliquid de ſuâ formâ & ſuâ & materiâ, ut loquuntur.

CXXV. Ex his & præmiſſis omnibus iſtis, quæ hac de re diſputata ſunt, luce meridianâ clarius liquet, inane novum & frigidum nullaque ratione nixum eſſe illud commentum, de nova propagandi animam formaſque modo, oppoſitum aſſertis & huc uſque ritè defenſis propagationum modis.

An cum dicimus fœtum quaſi partem adhærere matrici, ideo ſequatur mutilatio matris cum in lucem edatur fœtus.

CXXXVI. QVod dixi in theſi 30. ſemen, ſcilicet actuatũ, fœtumq; inſtar partis vel inſtar brachii, vel uti partes corporis adhærere matrici, id pro more ſuo malitioſè calumniatur & cavillatur Ganymedes, aitque tàm abſurdũ eſſe quod id ruſtici

refutare

refutare valeant. Verum enim verò ſi ipſe hoc refutare nequeat, quod ait ruſticos refutare poſſe, ruſticis longè inferior ipſe, imò pro ſcurra & ſycophanta plane habendus.

CXXXVII. Sic autem contra me argumentatur: *Quicunque amittit id quod ſe inſtar brachii vel pedis habet, is mutilatur: parturientes tale quid amittunt, &c.* Reſpondeo, quod illa propoſitio vel major non ſit mea, ſed autoris pro ſua libidine cavillantis. Non enim dixeram fœtum ſeſe habere ad matrem ejuſque corpus ut brachium & pedem, ſed adhærere inſtar brachii vel pedis.

CXXXVIII. Quæritur hic an ſecundum Philoſophos & Medicos dixerim & num rectè dixerim. Galen. ſect. 4. aph. comm. I. ait. *Eandem fœtum cohærentiam & coalitum cum utero habere quam cum arboribus fructum.* Fructus autem partes eſſe viciſſitudinarias Phyſicorum optimi & claſſici autores tradunt, & ex his docet D. Sennertus in eptom. natur. ſcient. lib. 6. cap. 3. Zabarella lib. de ment. human. cap. 9. ait: *Conceptum & embryonem antequam ſeparetur à matre & matrice vivere inſtar membri illius fœminæ.* Ante ſeparationem itaque adhæſit, ut membrum, & vixit, ut membrum illius fœminæ, atque ita inſtar brachii atque pedis, licet non ſit tale membrum, vel talis pars matris, qualis eſt pes vel brachium fuerit, adhæſit.

CXXXIX. Videamus itaque qualis ſit vel fuerit fætus pars matris, & quo in partium numero habendus. Pars vel in ſignificatione proprie dicta vel minus propriè dicta ſumitur. Ganymedes ad minus propriè dictas refert eas quæ ab aliis in generali ſignificatu recipiuntur, quomodo ab Hippocrate humores

mores & contenta. In maxime propriè ſignificatione, ut Medicis definiuntur & uſurpantur partes ſunt ſimilares vel diſſimilares & definiuntur Medicis, *corpora toti cohærentia, communi vita prædita, ad illius functionem uſumque comparata.* Secundum hanc ſignificationem, primò nec humores alimentarii & excrementitii ut ſemen, nec medullæ ſpirituſque influentes ſunt corporis partes, quia toti non cohærent, neque communi vita conjuncta ſunt: ſecundo neque tumores è carne erumpentes, licet alantur (ut ait Fernelius) & vivant, cum non ad functiones neceſſarias uſuſque comparati ſint, ſed eas lædant, pertinent.

CXL. Quæritur hic an fœtus ſeu arborei ſeu humani in utero juxta hanc definitionem referri poſſint ad partes corporis. Si examinentur juxta hanc definitionem: & juxta id quod toti cohæreant & communi vita Zabarellæ dicantur eſſe præditi, in quo ratio partium maximè conſiſtere videtur, non inconvenienter ad partes corporis referri videntur. Si verò poſtrema pars definitionis ad integritatem partis requiratur, videlicet quod omnis pars ad functiones vel uſus totius neceſſaria eſſe debeat, fœtus non ad functiones vitæ matris neceſſarias, ut nec fructus floreſve ad arboris functiones, quicquam faciunt, & hac ratione partis vicem ſuſtinere nequeunt.

CXLI. Suntne igitur ullo modo partes? D. Sennertus rectè ait, eſſe partes viciſſitudinarias, quæ ita comparatæ ſunt, ut cum adhærent toti, ſint in numero partium, quatenus toti conjunctæ ſunt; cum verò ſeparantur, nec totum mutilatur, neque ad functiones

ctiones neceſſarias perficiendum quid decedat. Non itaque ſequitur, quod à quo talis ſeparatur pars, ille mutilatur, quemadmodum bardus ille, & ex ſua ipſius ratiocinatione plus quam ruſticus Ganymedes Sperlingius mutilatus eſt, cum nocturnis per plateas temulentè & ſcurriliter graſſans clamanſque diſcurſationibus manu truncatus fuerit.

CXLII. Fœtus enim & fructus arborei, etſi Medicis & Philoſophis, quo ad cohærentiam dicantur brachii vel manus aut pedis conjuncti toti, & hoc modo partes totius, non tamen per omnia habent talem ad totum rationem, qualem brachium, manus, pes. Non itaque ad cujuſvis partis ablationem fit mutilatio totius.

CXLIII. Quæritur igitur an ad omnium partium poſitâ definitione ſtrictim compræhenſarum qualemcunque ablationem ſequatur mutilatio corporis. Partes Medicis ſunt ſimilares vel diſſimilares. Illis partibus aliquid decedere poteſt ſine mutilatione totius: neque enim qui particulam cutis, membranæ aut fragmentum oſſis aut particulam carnis amiſit, mutilatus eſſe dicitur. Non itaque ſequitur, quod ille qui aliquid amiſit, quod inſtar brachii vel manus toti adhæſit, trũcatus ſit, neque quod ad quamcunque partium communiter dictarum ablationem, neque ad omnium ſigillatim dicta definitione comprehenſarum, quales ſunt ſimilares, ablationem ſequatur multilatio &c.

CXLIV. Has differentias ſi rectius mutilatus ille magiſter conſideraſſet, non ita barbarè ad meum argumentum reſpondiſſet fol. 101. ubi cum objicerem, aliam rationem eſſe rami arborei, aliam ſeminis:

nis: illum quia ſit pars forma totius informata, partem formæ cum ſuo ſubjecto informato transferre poſſe juxta mentem D. Sennerti, quod ſemen non poſſet, quia nec pars fuit, nec totius formâ informatum. Quando enim ad diviſionem materiæ vel ſubjecti forma debet dividi, neceſſum eſt, illud forma illa dividenda informatum ſit: atque ſemen nec pars fuit toti conjuncta, nec communi vita prædita, nec totius forma pariter informata, quomodò itaque poteſt inſtar rami arborei eſſe medium propagationis. In eo igitur erit collatio rami & ſeminis videlicet an ſemen inſtar rami poſſet transferre formam; ex rationibus collatis id fieri non poſſe, ſuprà oſtenſum eſt; ergo collatio nulla. Debuiſſet iſte veterator reſpondiſſe ad nervum rei & rationes meas, ſed lectori fucum faciendo, iſta inſtar lucifugæ tranſilit & præterit, aliud blaterando, ne nihil dixiſſe videri poſſit.

De potentia, an detur ens in potentia.

CXLV. ID negant abſurditatum novarum novæque ſectę magiſtri: audiamus rationes. Prima eſt talis, quæ exſtat in tractat de form. orig. fol. 234. Omne ens aut eſt cauſa vel effectus. Si effectus, quomodo in ſuis cauſis? effectus enim eſt extra ſuas cauſas, & nunquam ejus realitas eſt in efficiente; ſi cauſa; eſt actu, & ſi cauſa eſt, potentia non eſt, & ſi actu eſt, potentia non eſt, & ſi potentia non eſt, in cauſis non eſt. Realitatem potentiarum quidem in cauſis deprehendimus, ſed entitatem ipſius entis potentialis in cauſis reperire non poſſumus, (rationem

addit) niſi quis dare velit creaturas in creatore, naturata in naturis, artificia in artificibus: uno verbo: Entia potentialia ſunt, non entia.

CXLVI. Hic iterum vides, amice lector, ſeſquipedalium errorum cloacam eſſe purgandam, errorum tamen adeo craſſorum, ut à nemine non palpari poſſit.

Primò recedit à communi metaphyſicorum indubitata & perpetuæ veritatis regula, qua dicitur, *quod omne ens ſit actu vel potentia.* Sed ſumamus diviſionem entis, uti ille ponit, quæ in ſuo ſenſu vera eſſe poteſt, quod omne ens ſit cauſa, vel effectus. Si effectus (inquit) quomodo in cauſis eſt? effectus enim eſt extra ſuas cauſas, & nunquam ejus eſt realitas in efficiente. Reſpondeo, effectum eſſe in cauſis dupliciter dici poſſe. Primò dicitur eſſe actu in ſuis cauſis, veluti cum totum, quod ex materia & forma conſtat, actu eſt totum è cauſis ſuis tanquam partibus eſſentialibus, & totum eſt ex & in partibus, quia partes ſunt cauſæ eſſentiales eſſentiam & integritatem conſtituentes, & effectum eſt totum eſſentiatum. Conſiſtit itaque effectus in ſuis cauſis totum re ipſa jam perficientibus. Secundò, effectum eſt potentia in ſuis cauſis, quia hæret in iis ita ut ab iis actu productum nondum ſit, tamen produci poſſit.

CXLVII. Quod addit, ejus realitatem nunquã in efficiente eſſe, id uti ſecundũ ipſius & D. Sennerti paradoxa & falſò poſita principia profertur, ita falſũ eſt. Eſt enim illis cujuſque rei forma pars diviſa à forma efficientis. Generat enim illis efficiens effectũ ex ſua eſſentia, quia tribuit ipſa partem ſuæ formæ à ſe per diviſionem ſeparatæ, ut vult D. Sennertus. Ergo & hac

hac ratione actu effectus eſt in efficiente, quia eſt forma effecti vel generari actu in generante, antequam divideretur in materiam, ex quâ illis facit corpus. Etiamſi enim actu non tunc erat forma geniti, tamen actu erat forma & in genitore exſtabat, idque realiter & eſſentialiter? non enim diviſio affert diverſitatem eſſentiæ.

Quod porrò dicit, ſi cauſa eſt, actu eſt, & ſi actu eſt potentia non eſt &c. iterum falſum eſt. Nam materia cauſa eſt, & tamen ut materia eſt, per ſe actu non exſiſtit.

CXLVIII. Cauſam vero dicimus cum veridicis philoſophis & non cum nugatoribus, eſſe principium quod importat influxum ad eſſe cauſati, id eſt, omne principium quod confert ad eſſe eſt cauſa. Dicere idcirco rem non eſſe cauſam, quod actu non ſit, eſt materiam ex numero cauſarum exturbare. Cum enim omnis actus ſit forma, & actuatio fit à forma, nihilque præter formam actuet, & præterea omnes operationes ſint à forma: forma autem actuet aliud, & id quod actuet, non poſſit eſſe alia forma, quia forma formam non informat vel actuat, ergo neceſſum eſt, ut ſit materia. Materia actum formæ recipere ſeu actuare non poteſt, ſi vel ipſa eſſet actus, vel actum haberet, quia intus *apparens*, ait Ariſtoteles lib. 3. de anim. text. 4. *prohibet alienum vel aliud*. Et Averrhoes, *omne recipiens debet eſſe denudatum à natura recepti*. Ergo relinquitur in materia nihil niſi poſſibilitas ad formam, quæ eſt potentia materiæ, eaque remota vel propinqua. Ratione propinquæ potentiæ ex cibo immediatè non fit caro, ſed ex ſanguine; atque ſic non ex quolibet quidlibet. Vnde

Philoſophorum hoc axioma, quod omnis ſubſtantia compoſita conſtet ex actu & potentia, non ex duobus actubus, & quod actus & potentia ſint fundamenta eſſentialium cauſarum, omniſque cauſarum ratio ex actu & potentia ducatur. Cum itaque unius rei non poſſint eſſe duo actus ultimati & exſiſtentiales ſeu exſiſtentiam largientes, alioquin aliquid ſimul eſſe poſſit homo & aſinus (de monſtris hic non eſt ſermo) aurum & gemma, & actus ille ſit materiæ actus; actuare verò eſt materiam informare, inque eam talem inducere eſſentiæ rationem, ut ſit hoc aliquid, & ex iis duobus unum naturale: Ipſa verò rei ratio & quidditas & λόγ⊕ ὐσίας ſit à forma: homo enim per formam homo eſt, & omnis actus tàm primus quàm ſecundus ſit à forma in materia, ſequitur, materiam ut materiam, nihil aliud eſſe, quam ens in potentia, nihilque præter materialem potentiam ad rem conferre; quam potentiam Scaliger exercit. 17. ait, eſſe non relationem, ſed abſolutam entitatem.

CXLIX. Non enim materia nihil eſt, ergo aliquid eſt, non eſt actus, neque actu (licet actus entitativus, quo à nihilo diſtinguitur ei concedatur.) Qui enim actus materiæ tribuitur in latiſſima ſignificatione eſt, nam propriè actus eſt formæ, non verò omne quòd eſt, actu eſt, quia actu eſſe provenit à forma, alioquin tàm materia eſſet actus rei, quàm forma.

CL. Et licet dicamus, materiam eſſe aliquid, non ſequitur, quod ſit actus, quia actum eſſe competit ſoli formæ: ſi objiciatur, quia ſit aliquid, eſſe actum, largimur quidem quod ſit ens & aliquid: non verò omne ens eſt actus. Quid igitur eſt materia? eſt ens quod

quod actu per ſe non exſiſtit neque exſiſtere poteſt, ideoque per ſe non habet actum, niſi velis illud quod ſit aliquid & ens pro actu accipere. Vnde ei actum entitativum largimur quo à nihilo diſtinguitur. Niſi itaque rerum principia velis confundere, actus in propriâ ſignificatione nunquam materiæ competere poteſt. Quod enim formæ præſtat id ex determinatione formæ habet, vel ex iis, quæ præparant materiam ad formam.

CLI. Deinde ut forma principium actionis eſt in actu, & de eſſentia formæ eſt, quod ſit actus, ita principium paſſionis eſt materia, & de eſſentia materiæ eſt, quod ſit potentia: *unde Scaliger dicebat, illam potentiam eſſe abſolutam entitatem:* Exercit. 17.

Neque etiamſi pereunte materia neceſſe ſit perire formam materialem, quia nulla ſubſtantia incompleta abſque altera per ſe exſiſtere poteſt, tamen non ſequitur, quod eo ipſo materia naturam actus conſequatur, quia materia nulla actuat formam, neque eſt actus formæ, neque ſe ipſam actuat, ſed actuatur à forma. Neque forma antequam informet materiam fuit actus in potentia, quia eſt contradictio in adjecto, quia actus non eſt actus niſi actu exſiſtat, & ſi actu exiſtat, ut anima rationalis ſeparata, licet non informet materiam, tamen non eſt in potentia actus quia ſibi actus eſt. Et ſi ſit actus materialis dependens à materia, nullibi eſſe poteſt, niſi ſit actus in materia, quia in hoc ejus conſiſtit eſſentia, quod materiam actuet, & hoc pacto eſt λόγ⊗ ὐσίας. *Vt itaque de natura formæ eſt, quod ſit actus & actu, ita de natura materiæ eſt, quod ſit potentiale ens ſeu potentia realis.*

CLII. Etiamſi enim forma deſinat eſſe forma, &

 pereat

pereat eſſentialiter ex ineptitudine materiæ, tamen materia non deſinet eſſe materia, licet relative deſinat intereuntis formæ eſſe materia, neque eſſentialiter perit intereunte forma. Materia enim ſine forma manet diſtincta eſſentia, & ſervat diſtinctum ſuum eſſe à forma, licet ſine forma exſiſtere non poſſit. Vnde materia non dicitur in potentia ad ſuum eſſe, *quia eſt ipſamet potentia. Potentia itaque in materia dupliciter conſideratur: alia ad formam, quæ eſt vel relativa, ubi tantum, reſpicit formam, ut potentia recipiendi, vel ſubſtantialis & in ſe conſiderata potentia & principium rei materiale: vel reſpicit formam, quatenus è potentia ejuſdem educatur forma.*

CLIII. Ex quibus omnibus ſole clarius apparet, quæ ſit diverſitas inter eſſe eſſentiæ & inter eſſe exſiſtentiæ. Materia quatenus materia nullum per ſe habet actum, neque per ſe ullius activitatis eſt principium, & quod ſit actu ab actuatione formæ accipit, & quod exſiſtere principiique officium adminiſtrare queat, formę debet, & nihilominus ſervat ſuum proprium eſſe, quo eſt principium naturæ cum alia & ſub alio juxta Ariſtotelem 1. phyſic. & eſt pars compoſiti 7. metaphyſic. & per ſe formarum fundamentum 1. metaphyſic. & ſubjectum ſubſtantiarum formalium 5. phyſic. & per ſe cauſa compoſiti 2. phyſic.

CLIV. Forma verò quia materiæ actum tribuendo rem in certo entis genere collocat, non ſolum tribuit eſſentiam, ſed &, ſi ſit ultimata rei & ſpecifica, exſiſtentiam. Vnde Zabarella lib. 1. de mat. prim. cap. 3. *propria naturam omnis forma conſtituit, tam generalis, quàm ſpecialis: exſiſtentiam autem actu non omnis forma præbet, ſed ſola ultima* (& paulò ante idem ibidem

inquit)

inquit) *quo fit: ut plura requirantur ad exſiſtentiam tribuendam, quàm ad eſſentiam rei conſtituendam. Eſſentiam enim propriam quælibet res habet, at non quælibet res apta eſt per ſe ipſam exſiſtere, ſed multæ ſunt, quæ alio egent, per quod exſiſtant.*

CLV. *Eſſe itaque dat materia, ſed commune vagum & indeterminatum*: forma verò dat ut ſit hoc aliquid, & materiam contrahendo ad certam quandam entis ſpeciem, largitur naturam determinatam & porrò ſingulare atque exſiſtens conſtituit. Materia proinde dat eſſentiam, ſed ſine exſiſtentia, potius vero & proprium eſſe eſt à forma. *Forma generalis dat eſſentiam ſine exſiſtentia: ultimata verò quæ eſt ultimæ ſpeciei, eſſentiam & exſiſtentiam.*

CLVI. Forma generalis, qua non ſpecies infima conſtituitur (inquit Zabarella) ſed genus aliquod cõſtituitur, uti forma animalis, non poteſt tribuere exſiſtentiam, & dat quidem actum, ſed cum poteſtate commixtum: at forma ſpecifica dat actum perfectum & nulla alia forma indigentẽ ad exſiſtendum. Vnde Averrhoes comm. 17. Metaphyſic. inquit: materiam prius recipere formas univerſales & imperfectiores, poſtea verò particulares & perfectiores: Et paulò poſt: & tantum abeſt ut formæ univerſales materiam prohibeant receptione aliarum, ut potius eam præparent & aptam reddant, imò & neceſſariæ illæ ſint ad alias perfectiores recipiendas. Quod luculenter ex hoc demonſtratur, quod materia prima actu non poteſt fieri materia rerum generandarum, niſi primò generales elementorum formas aſſumat, quibus medlantibus & quarum opera fiat miſcibilis, & ut per mixtionem rerum generatio inde perficiatur,

ut in diſputatione de elementis in genere demonſtratum. Vide Zabarellam & Cornelium Martinium in metaphyſic.

CLVII. Ex quibus primò liquet corruptorum veteris veræque philoſophiæ vanitas & falſitas. Falſum enim eſt, id omne quod cauſa eſt, per actum cauſati & actu eſſe. Vnde Cornel. in Metaphyſic. inquit: *tàm ab actu quam à potentia, & tam à potentia activa quam paſſiva cauſantur res & oriuntur cauſæ, ſicuti omne ens aut actu eſt, aut potentia, aut actu & potentia ſimul: & hac ratione omne ens aut cauſa eſt, aut cauſatum.*

CLVIII. Deinde patet, quomodo abutantur vocabulo actus, & principia rerum confundant, dum materiæ actum tribuunt, & ſic è cauſarum ordine penè extrudunt. Eadem enim barbarie, qua dum efficientem per ſuæ formę participationem & diviſionem in genitum, aſſerunt perficere rerum generationem, & hac ipſa efficientem, quæ eſt cauſa externa, in internam & formalem convertunt, adeoque rerum naturam cauſa efficiente privant, hic quoque eandem materia ſpoliant, dum illam in principium activum transmutant.

DLIX. Non ergo ſequitur id quod cauſa eſt, neceſſario actu eſſe, ita ut ſit actus. Materia enim cauſa eſt & confert ad eſſentiam rei, non tamen ut actus, neque ſic actu, quia ejus cauſalitas in actuatione non conſiſtit. Ideoque tenendum, id omne quod cauſa eſt, non eſſe actu, neque actum conſtituere, diligenterque diſtinguenda uſurpatio vocabuli actus. Poſſumus enim dicere materiam actu eſſe rei cauſam, non quod actum præbeat, neque quod ipſa actu per ſe ſubſiſtat, ſed quod revera inſit, ut cauſa eſſentialis,

lis, & pars eſſentiæ rei; & hic impropria eſt actus uſurpatio, etiamſi enim actu inſit, tamen ipſa nec actum confert & per ſemetipſam non habet.

CLX. Ideoque res non ſtatim idcirco eſt actu, quia cauſa eſt, neque quia actu ineſt, actum confert, neque ipſamet actus eſt, neque quod in cauſis adhuc eſt, id vel plane non eſſe vel actu eſſe neceſſum fuerit, porro demonſtrabitur. Inter actum enim & nihil eſt ens in potentia juxta ſaniores philoſophos? neque ſtatim ex nihilo res fit, quando generatur, uti nugatur Subornatus, neque quando corrumpitur in nihilum abit, ſed ex qua potentia erat producta, cum generabatur, in eam revertit, cum corrumpitur. Ex non ente naturæ vi non fit ens, neque ens in non ens deperit.

CLXI. Et ſanè ridiculum eſt iſtarum ſcientiarum corruptores ſibi propria fingere principia, quæ licet gerris ſiculis vaniora ſunt, nihilominus pro fundamentis uſurpent, & ex his conſequentias nectunt; qualis eſt illa, quæ in tract. de formar. orig. fol. 252. exſtat. Realitatem (inquit) potentiarum in cauſis deprehendimus, ſed entitatem ipſius entis potentialis in cauſis reperire non poſſumus, niſi quis dare velit, creaturas in creatore, naturata in naturis & artificia in artificibus: uno verbo. Entia potentialia non ſunt entia.

CLXII. Pulchra me hercule conſequentia ex formoſo blateratorum principio, videlicet hoc, quod omnis forma generetur per diviſionem formæ efficientis in generatum, deducta. Vnde illis ſequitur, quod ſi res ſit in cauſis tanquam in potentia, neceſſum eſt, creaturas eſſe in creatore, naturata in natu-

ris. Hæc abſurda conſequentia ex abſurdo eorum & trifætido atque ab omni ſaniore philoſophia abhorrente principio, quo ſtatuitur, efficientem generare per formæ ſuæ diviſionem & communicationem in genitum, eſt profecta. Et ſanè plura in una periodo ſunt abſurda, quam verba: an artifex aliquid communicet de ſua eſſentia, dum format technurgema aut ſtatuam: an in ſtatua eſſentia artificis, aut Dei ter Opt. Max. in rebus creatis?

CLXIII. Ex hoc eodem fundamento craſſus ille orbilio etiam conatur concludere, formas fieri ex nihilo. Primò potentiam materiæ negat, & licet genitor partem formæ diviſione (juxta D. Sennertum) à ſe avulſam in genitum traducat, tamen quia in genitore non fuerit forma geniti, & in genito non ſit amplius forma genitoris & jam numero diverſa, concludit formam eſſe ex nihilo. An ipſa ineptia potuiſſet ineptius concludere.

Ridete quicquid eſt domi cachinnorum.

Iuvenes corripite ferulas, explodite ſcuticis ejuſmodi juventutis & bonarum artium corruptores. An forma, per diviſionem & (ſi dividi poſſit) aliam induat eſſentiam & deſinat eſſe forma, dum integra utrobique manet, & tota ſit in parte, uti loquitur Scaliger? An quia formalis eſſentia patris filio communicata, cum facta ſit eſſentia filii, ideo prorſus annihilata fuit & deſinat eſſe aliquid dum abſcinditur à patre, & iterum ſit aliquid, dum communicatur filio, & interea nihil fuit? quis ex nihilo illo fecit iterum aliquid? nunquid formæ manet eadem eſſentia, quam non poteſt mutare quantitas numerica, nec abolere & annihilare reſpectus patris ad filium. Pudet

det

det ſeſquipedalium abſurdorum & infinitorum mendaciorum quibus bonas artes corrumpere ſatagunt.

CLXIV. Et quid ſibi volunt iſta verba, quibus inquit ſe realitatem potentiarum in cauſis deprehendere, ſed entitatem ipſius entis potentialis in cauſis non reperire. Eſtne contra dictio in adjecto, concedere realitatem potentiæ, & negare entitatem potentiæ, quod reale quid eſt? facere non ens & non enti realitatem attribuere?

CLXV. Deinde trifætida & ſcurrilis eſt calumnia, qua doctrinam de univerſalibus in natura rerum fundatam & à philoſophię conditoribus & coriphæis aſſertam, nugas & meæ mentis commenta vocat. Eſtne in iſto diſputatore aliquid, quo natura cognatior eſt Petro quam aſino, videlicet illud, per quod homo eſt, & quod illi cum hominibus commune eſt; & non etiam quicquam, quo aſino cognatior eſt quam ferro aut lapidi, quod ipſi cum animalibus commune ſit. Hoc commune & genericum an ſic à meâ dependet mente, ut ſit pura notio mentalis an vero realiter eſt & fundatur in rebus? definitur ne homo per illud animal rationale? an iſta animalitas nihil continet realis cauſæ? an eſt nuda idæa & ſpeculatio? an tu, qui ſic garris, animal non es realiter, ſed tantum juxta notionem aut operationem mentis meæ mentalem? Scitè te redarguit Scaliger exercit. 241. *ſingulare eſt univerſale circumſcriptum ultimis propriis conditionibus.*

CLXVI. Concedis rationem generis fluere ex materia, & tamen genus reale nihil importare ſtatuis: quare? quia dantur genera, ubi nulla ſit materia.

teria. Verùm primò ſufficit dari genus ſubſtantiarum, quod realitatem deſignet, videlicet illud,cujus ratio ex materia defluat, ut in ſubſtantiis corporeis. Deinde an cætera prædicamenta diſpoſitionem rerum per genera & ſpecies proponentia ſint intentionalium & non realium? an accidentia corporum & ſubſtantiarum non ſint res & revera aliquid tàm in genere quàm in ſpecie? nunquid natura in rerum generatione aſſumit primò formas generales ſeu res ad generationem formis generalibus inſtructas, & ex his per intermedias ad ultimas & præſtantiores procedit. Non format ſtatim ex elementis hominem, ſed primò mixta, ex his animata vegetabilia, ex cibis chylum,ſanguinem,ſemen, & ex eo hominem,cujus corpus rerum omnium miſcibilium præſtantiſſimum & cæterarum finis eſt: Et ſic natura procedit ab eſſe ad vivere, ſentire, intelligere, ab univerſalioribus ad ſpecialia. Et licet individua naſcantur, intereant, agant, patiantur, ut ait Subornatus, tamen illud, ex quo fiunt & naſcuntur, ex rebus commemoratis dicto ordine venit & iis corruptis in ultima, unde primam originem ſumſere, revertuntur & ſolvuntur principia.

CLXVI. Hinc Scaliger inquit exercit. 101. per *gradus exire atque promovere ſeſe naturæ numen à materia prima per elementa & ignobiliora miſta progreſſus facere ad nobiliora corpora & formas atque in homine conquieſcere.*

CLXVIII. Ex his omnibus porrò apparet novatorum perverſitas, qua eſſentiam rei ab exiſtentia ejuſdem non differre, volunt demonſtrare. Probatum enim eſt, aliud eſſe principium eſſentiale, quod eſſentiam

eſſentiam rei quidem conferre, tamen nunquam exſiſtentiam afferre poſſit, & aliud eſſe principium eſſentiale, quod & ſemper conferat eſſentiam, non tamen ſimul exſiſtentiam, niſi quando ultimatam ſpeciem aut individuum conſtituat.

CLXIX. Hic in quæſtionem venit, cum natura in ſpecie non deficiat, an perpetuitas illa ſpecierum fiat per continuationem actu exſiſtentium, actu propagatarum, ita ut quemadmodum eſſentiæ rerum ſunt perpetuæ, ita & exſiſtentiæ, ideoque eſſentiæ rerum nullæ ſunt in potentia, vel nulla res ſit in potentia, atque ideo etiam non ſit in potentia, quia ſit in cauſis ſuis, & nullam eſſe eſſentiam ſine actuali exſiſtentia, idque ex eo, quia omne ens ſit cauſa vel effectus; quod cauſa eſt, id actu eſt, ergo potentia non eſt, & quod effectus eſt extra ſuas cauſas, & non amplius in cauſis; quocirca actu exſiſtat. An vero res perpetuatur, quia eſſentiæ rerum ſunt perpetuæ, non veræ exſiſtentiæ, & an id, quod non exſiſtat, ideo, quia non exſiſtat, licet talem eſſentiæ rationem in cauſis habeat, ut exſiſtere poſſit, omnino non ſit, neque in potentia ſit, & idcirco nullum ens detur in potentia, veris philoſophis ſic nuncupatum, ſit non ens?

CLXX. Priorem opinionem novatores & corruptores diſciplinarum defendunt, illiſque omne ens actu exſiſtentiali exſiſtit, vel nihil eſt: nulla res ipſis eſt in potentia: & quia id, quod actu eſt non generatur, & nihil eſt in potentia, ex quo fieri poſſit generatio, cōcludunt formas rerum fieri ex nihilo. Sed verius ut demonſtrabitur, cōcludendum juxta eorum ſequelam, totius rei generationem fieri ex nihilo.

Saniores

Saniores & veræ priſcæque Philoſophiæ ſectatores ajunt, *quicquid fit & generatur fieri ab eo quod eſt actu ex eo quod eſt in potentia: & inter actum & nihil eſt ipſis ens in potentia, neque ex nihilo res fit quando generatur, neque quando corrumpitur in nihilum abit, ſed ex qua potentia primitus producta eſt cum ad generationem tetendit, in eandem revertit, cum corrumpitur* Vbi illis inſervit æternæ veritatis principium, *quod naturali vi ex non ente & nihilo, negativo nihil vel nullum ens fieri*, & *quod nullum ens in non ens ſeu nihilum verti poſſit.*

Omnis autem cauſa natura prior eſt ſuo effecto, ut habet, vetus verſiculus:

Tempore, naturâ prius ordine dic & honore
Cauſam cauſato dicimus eſſe prius.

Quando itaque effectus nondum exſiſtit, ſed ejus in natura ſunt cauſæ, quæ talem habeant propenſionem ad rem, ut non alia quam hæc res ex eadem generari poſſit (exempli gratia ponatur ovum gallinaceum, ex eo non alia avis, nedum aliud animal generari poteſt, quam pullus gallinaceus) quæritur, quando res ea veluti pullus ex ovo generatus eſt, an non cauſæ pulli eſſentialis re ipſa fuerint in ovo.

CLXXI. De materia nullum eſt dubium: de forma dubitari non poteſt: quia efficiens eam ex nihilo producere non potuit: ergo vel ex ſua eſſentia illam ſic indidit, ut actu inſit, vel materiam talem communicavit, ut ex ejus potentia hæc neceſſariò pulli & non alius rei forma educatur.

Primùm non procedit, quia nec efficiens generat per formæ ſuæ diviſionem, nec, ſi id fieri poſſet forma pulli in ovo eſſet, quia forma informans nullibi eſt

eſt quin informet: neque alibi actu entitativo eſſe poteſt. Ergo relinquitur, quod forma inſit potentia.

CLXXII. Sed quid ſi ineſſet, uti omninò falſiſſimum eſt, actu entitativo in ovo, neceſſario cauſæ pulli ſunt in ovo. Philoſophis autem dicitur res eſſe in potentia, quando eſt in ſuis cauſis, quæ uti ſunt propinquę & remotæ,ita potentia eſt propinqua vel remota. Exindè porrò quæritur, ſi res generatur ex his cauſis neceſſitate & virtute naturali, an dicenda ſit, ex nihilo generata eſſe; aut enim hæ cauſæ nihil ſunt, aut rẹs ex nihilo generata eſſe, dici non poteſt. Cum verò ex his cauſis generatur pullus, neque aliud quicquam quàm pullus generari potuit & hæ cauſæ fuerint ante pullum, & tamen non conſtituerint pullum (ovum enim non eſt pullus carens articulis, ut ait Scaliger, de ſemine canis, etſi juxta eorum mentem ibi ſit forma pulli actu entitativo) antequam in actum producantur, neceſſariò hæ cauſæ ſunt id in potentia proxima, quod pullus eſt actu: & ſic irrefragabiliter, niſi quis impudentia & cavillatione pro philoſophiæ regula uti velit, ſequitur, rem eſſe in cauſis, antequam generatur.

CLXXIII. Quod autem occinere poſſent, rem generari cum producatur forma, uti, juxta Scaligerum, non generatur arbor cum pullulat ex ſemine, ſed cum producatur ejus ſemen, quia in ſemine actu ſit forma, unde ſemen canis poſſit dici canis, id nullius momenti amplius eſt, ſatiſque ſupra demonſtratum eſt, nullam formam rei generandæ actu formativo vel entitativo in ſemine eſſe, aut cum eodem avelli & transferri poſſe.

Rectè

Rectè *proinde Ariſtoteles*, (à quo turpiter mutilatus, & novæ ſectæ Paracelſicæ architecti, diſciplinis melioribus & veritati ruinam molientes, recedunt) *9.metaphyſ.text.1.ens dividit in potentiam & actum, quod variis modis ab interpretibus accipitur.* Socin. enim. 9. metaphyſ.quæſt.1.de tota latitudine entis, ut ex omnibus entibus, quædam ſunt actu, quædam potentia, vel de eodem ente, quod quandoque ſit actu, quandoque potentia, intelligit. Hic accedit Averrhoes 2.de anim. text.6.& 5.phyſ.comm. 9. & Thomas part.1.quæſt.77. & Zimara theorum. 105. confirmatque ſuam ſententiam ex ipſo Ariſtotele, *ubi proportionaliter dicit potentiam & actum pervagari omnio prædicamenta: ſed de horum ſenſu alias latius.*

De duplici potentiâ.

Argumenta, quæ adverſus illam adferuntur; refelluntur.

CLXXIV. PRimum argumentum Subornati tale eſt. Potentia eſt univerſalis vel particularis: ex univerſali ait non educi illam formam ſpecificam, quia æqualem habet ad omnem formam reſpectum: neque ex particulari potentia, quia hæc eſt accidens. Et hæc eſt diſpoſitio: accidens verò non mutatur in ſubſtantiam.

CLXXV. Reſpondeo; hoc eſſe ex arena nectere funiculos & ex atomis facere corpora & elementa rerum, veluti faciunt novi abſurditatum profeſſores. A profeſſoribus Ariſtotelicæ philoſophiæ rectè ſtatuitur potentia univerſalis. Materia prima ingenerabilis

nerabilis & incorruptibilis eſt, per ſe, uti talis eſt, nõ verò ſic cõparata, ut non ſit ſubjectum materiale mutationis rerumomnium, idq; vel immediate vel mediatè. Ipſa verò ut per ſe exſiſtentiam non habet, quia omnis exſiſtentia rei eſt à formis, nullibi eſſe nec inveniri poteſt niſi ſub formis: & cum ſit ideò à Deo creata, ut rebus generandis præbeat materiam; generatio verò fiat per mixtionem; quod verò ſimplex & uniforme eſt materia mixtionis eſſe nequeat, neceſſum fuit, materiam primam talem acquirere rationem, qua fieret miſcibilis, & ratione rerum generandarum, non vero ſui generabilis. Quo fine univerſim & tota eſt formis elementaribus primò veſtita, adeò ut nullibi ſit, quatenus univerſalis generabilium eſt materia, niſi ſub elementorum formis & mediantibus his elementis inſit rebus omnibus.

CLXXVI. Nulla fit generatio ex his, niſi per mixtionem: hanc perficiunt elementorum qualitates primæ, rectæ & directæ à ſuis formis & virtute cœleſti. Quæ qualitates omnium miſtionum & hinc dependentium generationum ſunt cauſæ proximæ & inſtrumenta, ſine quibus nec mixtio fieri, & conſequenter nullius rei generatio perfici poſſit, ut in diſputatione prima de elementis demonſtratum eſt: Vnde infallibiliter ſequitur, omnem rem conſtare ex elementis. Hæc verò prima miſtionis & generationis ſunt principia materialia actu exſiſtentia, & uti ex iis omnia primò fiunt, cum generantur, ita in eadem viciſſim ſolvuntur cum pereunt. neque ulla ulterior ſolutio fieri poteſt, quam in hæc ipſa, quod ſint corpora ſimplicia, quorum formæ non poſſint eſſe & exſiſtere ſine materia, & materia horum, quæ

eſt prima, nullibi eſſe aut durare niſi ſub formis queat. Vlterior ſolutio naturæ non eſt poſſibilis ſine totius interitu. Hinc patet res omnes mediantibus elementis ex materia prima fieri, & elementa eſſe materiam ſecundam omnium ſublunarium, è quibus res omnes non tantum ſecundum materiam, ſed & quoad formam exceptâ humanâ producantur, juxta ſacrarum literarum & verioris vetuſtæ & ſanioris Philoſophiæ decreta, quod ulterius probatum ivimus.

His omnibus perſpectis non eſt difficile aut arduum cognoſcere, cur immediatè ex potentia materiæ primæ, quatenus eſt univerſalis, particulares rerum ex ſecunda materia generandarum formæ educi nequiverint. Vti enim non niſi mediantibus elementis eorum materia eſſe nequivit, & forma nulla niſi in materia propria eſſe, & res nulla niſi ſub ultimata exſiſtere poſſit: ita particularis potentia requiritur in materia qualibet ad rem quamlibet, ſiquidem ex quolibet non poſſit generari quidlibet.

CLXXVII. Aſſumit itaque natura primò formas univerſales, uti demonſtratum eſt, quæ neceſſariæ ſunt, ut ad perfectiores detur progreſſus; His mediantibus ad particulares & digniores progreditur, donec ad ultimatas & nobiliſſimas animalium perveniat. Vnde Scaliger exercit. 101. ait *per gradus exire atque promovere ſeſe naturæ numen à materia prima per elementa, & ignobiliora miſta ad nobiliora corpora & formas, atque in homine acquieſcere.*

Particulares itaque miſtorum formæ è potentia materiæ particularis & ultimatæ natæ ſunt, in qua & ex qua quælibet forma ultimata educitur. Vltimata

mata enim forma eſt in & ex ultimata materia. Sed particularem potentiam eſſe accidens ait Subornatus in tract. de form. orig. fol. 14. unde ſic argumentatur: Nullum accidens mutatur in ſubſtantiam vel formam: potentia particularis eſt accidens. Accidens eſſe probat duobus teſtimoniis, primo ſcholaſticorum, deinde mei ipſius ex tractatu de formarum origine.

CLXXVIII. Verum primum falſum, & ſecundum mendacium eſt. Primum quod attinet, ajunt ſcholaſtici, poſſe in materia potentiam conſiderari ut accidens, veluti facultates animæ in anima conſiderantur ut accidentia, cum tamen nihil aliud ſunt quam ipſa animæ eſſentia, vel ipſa anima juxta Ariſtotelem: ex iſto modo conſiderandi non ſequitur diverſitas eſſendi in re, & cum conſideratur ut accidens, non ſit accidens. Deinde nec illi, nec quiſpiam ſanus, quod ſubſtantiale fuit in materia prima, id in materia ſecunda, cui per primam ea ineſt potentia, ſed cum propenſione ad formam particularem, ſtatuent fieri accidens, uti ſanè per naturam fieri nequit. Præparatio materiæ ut inducatur forma vel ut potentia, univerſalis determinetur, ad particularem formam non facit ex re ſubſtantiali accidens. *Et Iavellus 8. metaphyſ. text. 15 indemonſtrabile vocat, quod potentia non ſit accidentalis, ſed ſubſtantiale quid, quia ex accidenti & actu ſubſtantiali non fit unum per ſe. 7. metaphyſ. text. 49. ita potentia eſſentialiter dicitur materia.*

CLXXIX. Meum teſtimonium quod attinet, illud exſtat in diſputat. de morb. ſubſtant. theſ. 3. & ſequentibus, ubi proximam miſtionis & generationis

cauſam inſtrumentalem eſſe ajo qualitates, quibus uti miſtio perficitur,ita talis comparatur temperies, quæ pro forma tùm educenda tùm educta ſervanda faciat. Vnde porrò inquiro, an in hac temperie conſiſtat ſanitas.

Ex his patet lividum & impotens & ſcurrile mendacium, quo mihi aſſuit, quod dicam, formas oriri ex diſpoſitione qualitatum, & potentiam materiæ, ex qua educatur forma, eſſe diſpoſitionem & qualitates. Dicebam ſine diſpoſitione & in indiſpoſitam materiam non induci neque ex eadem educi formam, & hanc eſſe inſtrumentalem cauſam, ut ex potentia materiæ forma educatur, vel ut in materiam inducatur. Quis malus genius præter hunc ſubornatum veteratorem mentiri audeat, me dixiſſe diſpoſitionem & temperiem eſſe potentiam materiæ, ex qua educatur forma? Et ſanè calumnia facillimè ex hoc pateſcit, quod dixi de tali diſpoſitione materiæ, qua mediante non ſolum educatur forma, ex potentia materiæ educenda, ſed & de illa, quæ facit ut alia commodè inducatur, qualis forma eſt anima rationalis, non ex potentia materiæ emergens. Quo ipſo & luce clarius patet & ſufficienter demonſtratur, me diſpoſitionem non facere potentiam materiæ particularis. Et me in qualitate & diſpoſitione materiæ non ponere potentiam, unde educatur forma, ſed in potentia entitativa materiali, jam ſatis perſpectum habebat malitioſus ille calumniator.

CLXXX. Sed qui ſemel verecundiæ limites tranſivit & frontem depudicavit, non ſolum mihi, ſed

ſed & omni Ariſtotelicorum Philoſophorum coronæ id aſſuere non veretur loco citato: Verum eam non eſſe Ariſtotelicorum ſententiam vel unicus Iavelli 8. metaphyſ. q. 7. ex Averrh. 8. metaphyſ. text. 15. locus ſatis convincit ubi in demonſtrabile vocat hoc, quod ex actu & potentia fiat unum per ſe. Ex actu verò ſubſtantiali & accidenti non poſſit fieri unum per ſe, unde neceſſario ſequatur, potentiam non eſſe accidens.

FINIS.

De paradoxis & erroribus novæ Sectæ Sennerto-Paracelſicæ

DISPVTATIO QVINTA,

Continens quatuor principiorum antiquitatis materialium ſeu quatuor elementorum, rejectis & ciſpulſis tribus novatorum principiis, defenſionem, & diſquiſitionem, quam

PRÆSIDE

JOHANNE FREITAGIO M. D.
& in celeberrima Illuſtrium Groningæ & Omlandiæ Ordinum Academiâ ejuſdem facultatis Profeſſore P.

defendit

WILHELMVS HENRICVS CRAS
GWeſtph.

THESIS I.

SCitè Philoſophia vetus: materiale principium generationis unum eſt, materia prima, miſtionis principia ſunt quatuor elementa, & hæc ſunt materia ſecunda.

II. Fieri enim non poterant res compoſitæ, niſi per miſtionem: miſtio fit per alterationem contrariorum ad unitatem reducendorum, pro diſpoſitione cujuſvis rei idoneâ. Materia prima

prima nihil habet contrarii: proinde ut ex ea res generentur, neceſſum fuit primo Elementorum formas & qualitates aſſumere, ut his mediantibus miſtio & miſtorum generatio fieret.

III. Materia prima nullam habet per ſe exſiſtentiam, ſed nudo actu entitativo contenta, eſt principium omnis potentiæ paſſivæ univerſalis & particularis. Vniverſalis eſt propenſio ad omnes formas indifferenter, quæ aliter dicitur appetitus, qua indifferens fertur ad oppoſita. Potentia particularis, magis hanc quam illam reſpicit formam, neque adeo vaga & indifferens eſt, cujus determinatio fit per præparationem alterius rei, ſeu formæ & qualitatis hanc ſequentis. Seſe ipſum enim nihil præparare & diſponere poteſt. Quocirca neceſſum fuit, materiam primam indui formis elementorum & qualitatibus his inſequentibus, quibus mediantibus, & ex quibus tanquam materia ſecunda, per actionem & operationem contrariarum qualitatum, variè miſcerentur & diſponerentur, ad rerum omnium ex elementorum miſtorum coalitu componendarum & generandarum ſubſtantias.

IV. Vti enim res primò conſideratur genericè & in communi, quatenus materia & forma conſtat, deinde ut contrahitur ad aliquam ſpeciem per formam magis particularem, & tandem per exſiſtentialem individuatur, ita materia recipit primò formas univerſales, deinde intermedias, dum ad exſiſtentiales perveniat, ut harum omnium elaboratione materia fiat idonea ad ultimæ exſiſtentialis receptionem. Vnde Philoſophi dicebant, fieri progreſſum ab eſſe ad vivere, ſentire & intelligere. Neque enim imme-

diatè ex Elementis fit animal, niſi prius ex iis generetur miſtum, dein vegetabile, ex quo alimentum, chylus, ſanguis, ſemen, animal.

V. Ex quibus omnibus liquet dari materiam, aliam primam, aliam ſecundam, quarum illa omnis mutationis immediatè vel mediatè ſit ſubjectum, *quodque illam negare ſit omnem rerum mutationem abolere.*

VI. Mutatio eſt ſubſtantialis vel accidentalis. Vtraque requirit aliquod ſubjectum ex & in quo. Subſtantialis mutatio eſt Generatio & Corruptio. Vtraque fit per introductionem vel abolitionem receſſumvè formæ manente eodem ſubjecto. Quod ſubjectum ſeu materia ſi unà cum forma interiret, res iret in nihilum, quod natura non patitur. Et ut Elementa ſeu materia ſecunda, ſunt materia generationis rerum miſtarum, ita & ſubjectum mutationis earundem, ut ex iis debite miſtis & remiſtis ad formam, per hujus eductionem vel inductionem fiat generatio, & ejuſdem abolitione & receſſu corruptio, in qua & per quam ſubjectum ſolvatur ultimò in ſua principia materialia, videlicet elementa, ex quorum coalitu res nata fuerat.

VII. Etſi vero nulla detur in rerum natura ad ſenſum ulterior ſolutio, tamen quia & illis accidat mutatio, videlicet in ſeſe mutuo tranſmutatio, eaque perficiatur per formarum, ex prævia qualitatum alteratione & diſpoſitione introductionem in ſubjecto, neceſſum eſt hoc primam illam, de qua dictum eſt, eſſe materiam, qua nihil prius, & ex qua mediantibus elementis, tanquam materia ſecunda, generentur omnia.

VIII. Vn-

VIII. Vnde ſequitur primò ad naturam Elementorum requiri ut ſint corpora prima, omnium ſimpliciſſima, ex quibus primo conſtent res omnes, & in quæ ultimo reſolvantur, & quod ſint omnium reſolutionum terminus ultimus, quia ad materiam primam nihil reſolvi poſſit, cum nullam habeat per ſe ſine forma exſiſtentiam, primoque exſiſtat ſub Elementorum formis, & per has cæteris rebus omnibus miſtis inſit: quo indubitato concluditur, nec Elementorum formas in miſtis perire, ſed novæ & potioris dominio, ut Scaliger loquitur, ſeſe ſubmittere, poſitoque ſui juris rigore, quaſi refractas, materiæ quandam vicem præſtare.

IX. Proinde de Elementorum natura intima & propria, hoc eſt, ut ſint generalis omnium miſtorum materia, quodque nullam aliam quam ex materia & forma agnoſcant compoſitionem, unde ſimpliciſſima & prima dicuntur corpora. Et licet cæteræ res ex materia & forma tanquam cauſis eſſentialibus conſtant, tamen ſimplicia non ſunt quoad materiam ſeu formæ ſuæ ſubjectum, quod ex his neceſſario eſt compoſitum. Deinde ex iis rerum omnium ſpecies generari, neque tamen illa in ſpecie differentes partes ſolvi poſſe.

Tertiò res omnes quæ in partes ſpecie differentes ſolvi poſſunt, aut quorum materia ſubjectove arte vel natura ſoluto & diſgregato, partes exſiſtere potentes, & propria forma conſtantes reſultent, quæ amplius & in alia ſpecie differentia corpora reſolvi poſſint, quæque demum inevitabili neceſſitate poſtremò in hæc quatuor tanquam ultima reſolutionis corpora diſſuantur, nec verè nec pro-

priè elementorum & principiorum naturam tueri.

X. De Elementorum ratione potiſſimum eſt, ut ſint mundi inferioris conſtitutiva, ut rebus omnibus generandis materiam omnem ſuppeditent. Res non generantur ex uno duorum vel trium, ſed omnium miſtione cujuſcunque naturæ competente. Mixtio ratione cauſæ primæ eſt Dei & naturæ opus, vel quod dici ſolet, Intelligentiæ, aut naturæ naturantis opera, ſeu effectivè dependet à virtute cœleſti, proximè perficitur vi qualitatum Elementarium. Sunt itaque elementa ideo, ut rebus generandis præbeant materiam. Sunt & ſibi contraria, quia ex iis, ſi per omnia ſimilia forent, diverſa pro diverſis rebus innumeris generandis materia nec dari, nec mixtio ex actione contrariorum adjuta fieri poſſet.

XI. Cum vero *formis primò & per ſe nihil ſit contrarium, licet contrariarum actionum, cenſore Scaligero, ſint fundamenta, & nulla forma ſubſtantialis operetur niſi per qualitates*, omnino indigere qualitatibus quæ peculiari vi aut repugnanti contrarietate armatæ earum proxima prima & ſola ad miſtionem, quâ mediante res generantur, ſint inſtrumenta. Qualitas omnis aliquod requirit ſubjectum cui primò inſit à cujus forma in eodem ſit producta & unicè dependeat. Tales ſunt qualitates primæ elementorum, ex quibus & quarum opera, tum cæteræ omnes qualitates generantur omneſque miſtiones & præparationes ad formas quarum vi aliæ ſuperiores rerum qualitates producuntur, fiunt.

XII. Sed accuratius: Omnis ſubſtantia eſt natura prior qualitate, ut cauſa ſuo effecto. Accidens cum ſit ens per aliud, ejuſque eſſe ſit ineſſe, inerit ſub-

ſubjecto cui inhæret, vel per ſe & primò, vel per accidens & per aliud.

Nec enim omne accidens ineſt per accidens. Cui per ſe ineſt tanquam πρωτω δέκλικω ineſt, & ab ejus forma tanquam agente per emanationem in ſubjecto proprio producitur. Agens enim per emanationem non eſt ſeparatum à patiente, nec extra producit actionem. Hoc pacto primæ qualitates, à ſubſtantia elementorum immediatè profluentes, iis tanquam primis ſubjectis, primò inſunt, cæteriſque miſtis omnibus mediatè, quatenus ex his conſtant & nata ſunt.

XIII. Elementa ſunt non propter ſe, ſed propter omnia alia miſta, ut iis materiam generationis præbeant, id vero perficere nequeunt, niſi beneficio miſtionis. Hanc non peragunt formæ, rationem tunc efficientium induentes, immediatè, quod materiarum nulla operetur extra ſubjectum, niſi per qualitates tanquam inſtrumenta proxima. Cum itaque qualitates primæ primò inſint Elementis omnibus & nulla forma ſubſtantialis ſit efficax, niſi per qualitates, atque ex Elementis per miſtionem res omnes generentur, neceſſum *eſt qualitates primas omnis miſtionis & cujuſcunque rei per miſtionem genitæ, eſſe cauſas.*

XIV. Habent autem qualitates hæ primæ quatuor conditiones. *Prima eſt, quod ſint cauſæ univerſales omnium tranſmutationum:* Secunda *quod non fiant ex aliis: Tertia quod ſint vere activæ alteratione activa & corruptiva: Quarta quod ſint mutuo activæ & paſſivæ, ut poſſint eſſe cauſæ miſtionis.* Vnde auctore Mercato, optimo jure dicuntur primæ qualitates & cauſæ cæterarum omnium

omnium qualitatum, *non perfectivæ*, cum ſint minus perfectæ cęteris rerum miſtarum, *ſed diſpoſitivæ*, quod ex diverſa earum commixtione diverſimodè diſponitur ſubjectum ad formam ſubſtantialem, & ad alias qualitates quæ ex illis ſequuntur, uti annotarunt lib. 2. de generatione D. Thomas, Alexand: & Philoponus. *Eſt & denique iſtarum qualitatum qualibet per ſe principium alterationis ad generationem ordinatæ, aliæ verò minimè, niſi in quantum primarum conſortio participant.*

XV. Sunt itaque hæ qualitates, primæ prioritate cauſalitatis effectivæ, qua perficiunt alterationem tendentem in mutationem rei, hoc eſt, *ſunt ordinatæ ad generationem vel corruptionem: & ſunt primæ, quia cauſantur omnes reliquas qualitates, ipſæ vero cauſantur à nullis aliis:* talis equidem naturæ ſunt prima contraria & principia.

XVI. *Primæ ergo qualitates inſunt Elementis propter formam, ſecundæ propter primas immediatè, tertiæ quidem rebus per primas, ſed mediatè, videlicet intercedentibus pluribus miſtionibus, & operatione formæ.* Vnde juxta Mercatum, *qualitates miſti quæ immediatè ſequuntur formam miſti, ſunt perfectiores elementorum qualitatibus, ſiquidem ea qualitas ſit perfectior, quæ nobiliorem formam ſequatur.* Perfectior autem eſt forma miſti quam elementi. Nec valet, elementorum qualitates eſſe cauſam illarum quæ ſunt in miſto, ac ex conſequenti, ut cauſæ perfectiores erunt. Nam qualitates illæ ſe habent tantum ut cauſæ inſtrumentales *at inſtrumentum non eſt perfectius ſuo effectu.* Supereſt igitur *ſtatuere primas illas quatuor qualitates ſenſibiles priores in genere cauſæ materialis. Quod patet quia omnes formæ ſubſtantiales*

tiales mixtorum ut ſic, ſupponunt has qualitates diſponentes materiam ut poſſint in ipſam induci tanquam in materia diſpoſitam, quæ diſpoſitiones ſe tenent ex genere cauſæ materialis, quæ ut præcedunt formam ſubſtantialem, ita & accidentalem.

17. Hactenus ſaniores & veteris Philoſophiæ de Elementis in genere ſententiam perſpicuè tradidi, confero me nunc ad contemplationem & examen neotericorum & novatorum, qui iis poſthabitis, nova cudunt principia & Elementa. In his Clar. Senn. ex mente Chymicorum quorundam, lib. de Chym. cum Gal. conſ. & diſſen. c. XI. tradit, principia eſſe corpora non ante elementa ſimplicia: & de his dupliciter loquens ſeſe & lectorem implicat, cum dicit illa eſſe vel ſimpliciter miſta, vel peculiares naturas cum aliis rerum naturalium ſpeciebus conditas, ſeu principia ſui generis, quæ cum inter ſe, tum etiam cum elementis vario modo miſta, rebus naturalibus generationi & corruptioni obnoxiis convenientem materiam præbeant.

XVIII. Verum enimvero ſi ſunt corpora miſta, quæritur ex quibus ſimplicibus corporibus conſtent. Prima enim miſta uti corpora compoſita præſupponunt alia ſimplicia miſto primo materiam ſuppeditantia. Non enim ex materia ſimplici & forma fit miſtio ſed generatio; & hæ ſunt partes eſſentiales rei generandæ, elementa vero ſimplicia & prima, partes conſtituentes materiam miſtorum. Ambiguum ſanè hic facit lectorem, quod ait, ſua principia vel eſſe prima miſta (ibi enim neceſſariò agnoſcit ex aliis elementis prioribus ea conſtare) vel peculiares naturas, aut principia ſui generis in prima creatione

condita,

condita, unde dein animalia cæteraque ſint nata. At etſi animalia cæteræque res inferiores globi, in prima creatione ſint à Deo immediatè condita, tamen juxta ſcripturam ſacram, & ſanam veteremque Philoſophiam, ex elementis & jam facta elementorum materia ſunt condita.

XIX. Non enim Deus novam aliquam materiam quæ non ſit pure Elementaris ad generationem cùm hominis, tum cæterorum animantium & rerum aſſumſiſſe legitur, ſed diſertè & apertè tradit phraſis Hebræa, hominem pulverem fecit, hoc eſt, ex terra condidit: unde ſcriptura inquit, pulvis es & in pulverem reverteris de quo ſumptus es. Applica regulam Philoſophicam. Ex quibus quid componitur in ea reſolvitur. Gen. c. 2. v. 7. Dominus Deus formavit hominem de limo terræ. De cæterorum animantium creatione inquit Gen. cap. 1. v. 20. producant aquæ reptile animæ viventis: creavitque Deus cete grandia & omnem animam viventem quam produxerant aquæ in ſpecies & verſ. 24. Producat terra animam viventem in genere ſuo, jumenta & reptilia & beſtias terræ ſecundum ſpecies ſuas. Et fecit Deus beſtias terræ juxta ſpecies ſuas & cap. 2. Gen. verſ. 19. dicitur: formatis igitur de humo cunctis animantibus terræ & univerſis volatilibus cœli, adduxit ea ad Adam. Et de lignis alimentiſque ait verſ. 9. produxit Dominus Deus de humo lignum pulchrum viſu, & ad veſcendum ſuave. Et cap. 1. verſ. 29. Dedi vobis omnem herbam afferentem ſemen ſuper terram, & univerſa ligna, quæ habent in ſemetipſis ſemen ſui generis, ut ſint vobis in eſcam & cunctis animantibus terræ, & in quibus

bus eſt anima vivens, ut habeant ad veſcendum. Vide hac de re diſputationem 2. in examine operis ſextidui.

XX. Ex quibus omnibus indubitato & irrefragabiliter apparet, hominem omniaque animantia, materiam corpoream communem habere; hæc vero animantia omnia, præter hominem, integrè ex elementis à Deo eſſe condita: hominem vero quoad animam immortalem non conſtare ex elementis. Vti enim ſcriptura de hominis, quoad corpus, fabricatione, ait, formavit Dominus Deus hominem de limo terræ, & de animæ creatione, & inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viventem, ita de cæterorum animantium anima producat terra animam viventem in genere ſuo, jumenta & reptilia & beſtias terræ ſecundum ſpecies ſuas.

XXI. Vti vero homo materiam corporis cum cæteris animantibus habet communem, ita & alimenta communia. Gen. cap. 1. verſ. 29. & 30. videlicet tam alimenta quam corpora ex ipſis Elementis. Id quod ne Sophiſtica illa eludat Gen. 3. v. 17. inquit: quia commediſti de ligno maledicta terra in laboribus, comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ; quod ſtatim explicat cum inquit, comedes herbas terræ, id eſt ex ea natas & factas, & in ſudore vultus tui veſceris pane tuo, donec revertaris in terram de qua ſumptus es, quia pulvis es & in pulverem reverteris.

XXII. Hinc duo in æternum non evertenda conſtituuntur axiomata: *in quod quidpiam ultimò reſolvitur, ex eo compoſitum eſt.* Hominem in pulverem redire, & ex terra vel limo terræ vel pulvere factum,

utrumque

utrumque affirmat ſacra pagina. Quid clarius dici queat? quid verius ſcriptura? Id paſſim ſancti Dei homines agnoſcunt, cum ſe terram & pulverem eſſe fatentur, cum ſe maſſam terrenam, & corpus ſuum terreſtre tentorium nuncupant. Et Syracides terram omnium noſtrum matrem ex qua nati ſimus, & in quam reverentamur, appellet. Et quia omnia propter hominem ſunt condita, quemadmodum ſolus homo propter Deum, animantia ſanè cætera, nobiliorem quam homo, qui ex limo terræ factus eſt, materiam non acceperunt, quandoquidem humanum corpus, ſupremum & exquiſitiſſimum miſtionis gradum dicitur indeptum philoſophis, quia nobiliſſimæ & non periturae formæ domicilium ſit. Alterum axioma eſt: *Quale nutriens tale nutritum, & iis alimur quibus conſiſtamus*. At ex terra genitis herbis *& vegetabilibus rebus* animantibuſque nutrimur: quid clarius dici queat?

XXIII. Atque hactenus ex ſcriptura omni exceptione majore, demonſtratum eſt animantia eorumque alimenta, & cæteras res ſublunares ex præexiſtente materia elementari condita eſſe, ut ſi Sennertus velit concludere, naturas & ſpecies peculiares in prima creatione, quæ pro principiis uſurpet, non conſtare ex elementis omnino vanus ſit, ſi vero, uti ipſemet aſſerit, eadem pro miſtis primis habeat, neceſſario ex elementis prioribus conferruminata eſſe fateri debet.

XXIV. Verùm ille demum concludit in tria illa principia eſſe miſta ſed non *ſimpliciter ex Elementis tantum varie miſtis conflata, ſed habere peculiares formas:* quod & paulò poſt fatetur eo ipſo, *cum dicit ſeſe reſo-*

lutionem

lutionem rerum non intelligere quæ fiat ad Elementa prima. Primò itaque falſum ſuperius eſt effatum, quo principia ſua pro peculiaribus naturis ex elementis non prognatis, nobis obtrudit, cujus rei vanitatem ipſa Theologia etiam ſupra arguit. Deinde cum ex noſtris Elementis ea conſtare fatetur, malè ſubingerit, quod cum iis tanquam alterius generis corpora, ad miſtionem concurrant; quia ex iiſdem per miſtionem nata ſunt, & materialiter conveniant, excepto hoc, quod uti corpora miſti etiam peculiari ſua forma ſint prædita.

XXV. Pergamus: Si ſunt prima miſta neceſſum eſt alia exſiſtere corpora ſimplicia & priora hiſce principiis Sennertianis, ex quorum miſtione hæc coaluerint. Miſtum omne præſupponit miſcentem ſeu efficientem & materias miſtionis ſpecie differentes. Explica ignem Vir Clariſſ. ex quibus Elementis prioribus tua prima miſta conſtent. Ante dixiſti illa tua principia cum inter ſe, tum elementis vario modo miſta rebus generandis præbere materiam: paulò poſt vocas ſimpliciter miſta, non quod ex Elementis tantum variè miſtis conflatiſque ea duntaxat conſtare arbitreris, ſed & quod peculiares habeant formas.

XXVI. Duo traduntur requiſita ad conſtitutionem principiorum. Primum varia Elementorum miſtio, dein novæ & peculiaris formæ inhærentia. Primum quod attinet, elementa quæ vera ſunt principia, non miſcentur variè ut inde nova iterum fiant principia, ex quibus immediatè res omnes veluti animalia, ſtirpes, fruges, cæteraque generentur, ſed ut nova variaque miſtione, aliæ multifariæque acqui-

rantur, per miſtionem variam diſpoſitiones, quibus mediantibus particularium formarum ſublunarium omnium capacem præbeant materiam & ſubjecta. Deinde manifeſta eſt contradictio dicere principia eſſe *prima miſta*, & tamen per varias miſtiones genita. Tertiò abſurdum eſt, variè miſtum eſſe principium univerſale : quia quo minus miſtum eſt, eo propius ad naturam principii accedit, & contra.

XXVII. Alterum requiſitum, videlicet quod principia quatenus ſunt prima miſta, peculiares habeant vel habere debeant formas, principiorum rationem magis deſtruit quam aſtruit. Quocirca primò tenendum, nos loqui hic de principiis rerum materialibus, quatenus rebus rerumque formis ſubjectum & materiam præbent, non de ipſis rerum formis, ſiquidem formarum nulla communia aut generalia principia eſſe poſſunt, nam uti res omnes ratione principiorum materialium origine communicant & coveniunt, & indiſtinctæ ſunt, ita per formas diſtinguuntur & particulantur vel ſpecificantur & individuantur, ut formas rerum exſiſtentium omnes particulares; materiam vero, de cujus principiis propriè hic agimus, communem eſſe oporteat. Principia eſſendi ſunt duplicia: materia & forma: hæc eſt eſſentia ſimplex cujuſque rei particularis & peculiaris cauſa, ejuſque vi res exſiſtit, definitur & abſolvitur in ſpecie & individuo, neque univerſale principium commune eſſe omnibus rebus poteſt: illa videlicet materia, eſt compoſita & conſtat ex Elementis ſeu principiis numero pluribus, & omnibus per miſtionem generatis

rebus

rebus communis & univerſalis, omnibuſque ſublunaribus corporibus ſubjectum & materiam ſeu eſſentiam materialem largitur: Atqui de hac eſt quæſtio, cum apud philoſophos & medicos de Elementis quatenus ſunt rerum principia, movetur quæſtio.

XXVIII. Producatur nunc Clariſſ. Sennerti ratio: ſi datur quinta juxta Scaligerum in rebus eſſentia, qualis eſt cujuſque rei perfectè miſti forma, quæ longè diverſa ſit à quatuor Elementis, neceſſum eſt alia præter veterum quatuor elementa dari rerum principia. Ecce abſurditatem abſurdiſſimam, habebitne res quælibet miſta vel quodlibet miſtum propter peculiarem formam, peculiaria principia materiata? vel an quodlibet miſtum habens peculiarem formam erit principium rerum? eritne illud quod ſimplex & particulare rei cujuſque eſt principium, formale vel univerſale quid, pluribus pro natura principiorum competens: Neque eſt quod dicas privatim id eſſe cujuſque principium, de communibus enim eſt interrogatio. Non enim hic agimus de origine formarum & principiis ſeu formis rerum particularium, quatenus dici poſſunt cujuſque rei quinta eſſentia, ſed de iis quæ ſunt communia, & materiam ſubjectumque omnibus rerum ſublunarium formis principiiſque particularibus ſeu quintis eſſentiis, ſi ita nominare libet, ſubſternunt.

XXIX. Vti materia eſt rebus communis, communia habet principia, ita forma cujuſque miſti exſiſtentis eſt peculiaris, particularis & ſpecifica, nec concurrit ad communium principiorum conſtitutionem. Etſi enim (ponimus non concedimus) dicatur miſtorum quatenus miſta ſunt, formas ex elementa-

rium formarum coalitu natas conflataſque eſſe, tamen nullum generatur & exſiſtit perfectè mixtum, quod non per aliam ſpecificam, teſte ipſomet D. Sennerto, definiatur formam, ſub qua exſiſtere natum ſit.

Res enim variè miſcentur, ut acquirant formas alias & eſſentiam peculiarem conſequantur, vireſque elementis ſuperiores, & fiant nobiliorum formarum receptacula, undè variarum rerum generatio. Si enim ſolæ Elementorum formæ ineſſent, res omnes forent unius eſſentiæ, naturæ & quidditatis, non darentur ſpecificæ differentiæ, differrentque tantum pro ut plus vel minus hujus vel illius elementi poſſiderent. Vt itaque materia rerum eſt communis, communiaque habet principia, ita miſtorum formæ ſpecificæ ſunt particulares, nec ex communibus principiis natæ. *Unde etiam Scaliger dicebat, cujuſque mixti ſuam formam, qua eſt particularis & propria, conſtituere ipſi quintam eſſentiam.*

XXX. Procedere in examine principiorum Sennertianorum operæ pretium fuerit. Horum requiſitum erat, conſtare ex variè miſtis elementis, & habere peculiarem formam. Atqui res omnes, præter prima miſta, ex primis varieque miſtis elementis natæ, quales ſunt magna pars miſtorum inanimatorum, & omnia animata miſta, hoc habent & poſſident, & ſic ſunt nata & orta. Ergo res illæ omnes tuebantur ſtationem principiorum.

XXXI. *Illa principia tantum poſſunt eſſe materialia rerum communia, quorum formæ inſunt corporibus ſimplicibus ante miſtionem & in miſtis manere, & pontentialitatem quandam induere, materiæque vicem ſubire poſſunt,*

ſimul-

ſimulque adeo arctè inhærent ſuæ materiæ, ut ſuperveniente nova forma non aboleantur. Formæ rerum miſtarum vel ipſa miſta non poſſunt ita miſceri, ut manentibus eorum formis ſpecificis ex iiſdem generentur corpora ſimilaria, quibus primò competit generatio. Coalitus corporum miſtorum non facit generationem per miſtionem ſed compoſitionem. Ineptum præterea eſt, quando quæritur de rerum naturalium primis principiis ſeu elementis, reſpondere ea eſſe vel prima vel variè miſta. Res omnis præter Elementa generatur per miſtionem ex principiis materialibus & primis ſimplicibus non miſtis. Quod miſtum eſt, non eſt principium, ſed hoc quod ad miſtionis materiam concurrebat principii nomine reque venit.

XXXII. His diſcuſſis longè alia ſuppullulat & prodit ratio. Quia in miſtis ſunt vires elementis ſuperiores, & quales in iis ſeorſim non reperiuntur, neceſſum eſt alia & talia dari principia, quibus iſtæ facultates primò & propriè inſint. Vnde talis argumentatio: Si omnes qualitates & facultates quæ in rebus ex miſtione generatis deprehenduntur, non inſunt quatuor Elementis, neceſſario alia principia, quorum meritò inſunt, erunt inquirenda.

Nulla proindè erit rei qualitas vel affectio, in re aliqua quæ non actu inſit in aliquo principio. Aut ſi talis detur, neceſſariò nova erunt inquirenda principia. Atque id eſt cur D. Sennertus diceret ſua principia, non tantum eſſe miſta, ſed habere peculiares inſuper formas. Ab his itaque formis iſtæ dependebunt rerum qualitates,

XXXIII. At hæ formæ, quia ſunt corporum miſtorum peculiares & ſpecificę, non poſſunt eſſe prin-

cipia generalia, neque etiam nova ſuperveniente miſtione immanere, vel ſupereſſe, uti porrò demonſtrabitur. *Deinde multifariæ & innumeræ ſunt qualitates, uti venenorum, pharmacorum purgantium, tractionis magneticæ &c. quæ à principio mercuriali ſulphureo vel ſalino dependere aut oriri nequeunt.* Eodem itaque jure & eadem ratione, aut tria hæc non ſunt vera, aut plura alia erunt ſtatuenda: omniſque res miſta talem habens formam, quæ alias qualitates & vires importet, quam inſunt tribus chymicorum, vel peculiare habebit eritvè rerum principium: & conſequenter prodibunt innumera: Vt & illa quam Clariſſ. Vir quintam ineſſe rebus aſſeverabat naturam, qualis in adamante vel lapide heracleo eſt forma, quæ longè alia ſit ab elementis, & ex hoc longè alias ſuperioreſque elementis importet vires, nihilo magis eſſentiam & virtutem & operandi vim, imo univerſam familiam & originem ducere à tribus chymicorum principiis, quam quatuor Ariſtotelicis aut Galenicis elementis, horumque omnium pari ratione excedere ſortem, jure profiteri queamus.

XXXIV. Et cedò, quo jure tria illa principia ſtatues prima omnium qualitatum & virtutum majorum ſubjecta & principia, neque hilum ad earum productionem vel generationem facere noſtra quatuor, ſed ſeorſim velut cortices concurrere, in quibus delitescant & contineantur tanquam thecis & matricibus tria iſta quæ ſint baſes & origines facultatum, cum nihilominus hæc aſſeras eſſe miſta corpora ex primis elementis genita, in eaque demum & ultimo reſolvi. Res reſolvitur in ea principia & materiam quibus eſſentialiter conſtat, non in matriculam

lam, thecas & cortices quibus circumdatur aut involvitur.

XXXV. Non omnes qualitates rerumque potentias & facultates oriri vel dependere, tam à ſuppoſititiis principiis chymicorum tribus quam ab elementis noſtris quatuor, demonſtratum eſt; quamobrem propter vires aut qualitates, à primis elementis proximè non ortas, non erant nova comminiſcenda & introducenda principia, etiamſi enim eædem actu non inſint, ſufficit ſi vel effectivè vel materialiter inde oriri & dependere poſſint.

XXXVI. Vana ob id eſt argutatio, ſi virtutes & qualitates inſunt rebus aliquibus, quæ non dependent ab elementis proximè, alia erunt principia materialia vel elementa invehenda. Potiſſimæ autem virtutes & qualitates nobiliores, non tam ex ſubjectis materialibus elementis quibus conſtant, inſunt rebus, quam à formis ingenerantur & dependent, & propter illas, ut introducantur loco prævię prępara tionis fiunt, vel ex formis inductis procreantur. *Si vero tot nova principia materialia vel elementa forent ponenda, quot qualitates ſupra elementorum & principiorum, etiam trium conditionum inveniuntur, ex diverſis formis in rebus genitæ, innumera eadem forent, & neque noſtra quatuor, neque Chymicorum tria uſquam ſufficerent.*

XXXVII. A formis dependent actiones & qualitates quæ ſunt ſupra Elementorum ſortem. Vbi notandum, quod formæ quædam natę ſint elementares qualitates ita dirigere, ut ſua natura ſublimiores edant actiones, veluti cum anima calore utitur pro inſtrumento ad vitam ejuſque actiones proximo, vel

ſibi ad operandum propria, ſuæque naturæ convenientia, generare occultas vel manifeſtas qualitates ſuæ ſpeciei peculiares.

XXXVIII. Generant verò eas non in alia quam elementari materia, & ut ipſæ formæ omnes, præter animam rationalem, ex ipſius potentia ſecundum eſſe & ſecundum fieri eductæ ſunt, ita in eadem generant, novas ſibi proprias & aptas qualitates: namque veluti è potentia materiæ primæ eductæ ſunt formæ elementorum, ita ex elementis certa ratione unitis ad ſubjectum formæ generandæ idoneum, tanquam materia ſecunda, educuntur formæ miſtorum.

XXXIX. At Clariſſimus Sennertus hic multa deſiderat & ſtatuit contra venerandæ antiquitatis dogmata, formas & qualitates ſublimiores, non oriri ex potentia materiæ, quia nihil poſſet eſſe in miſto, quod non actu ſit in materia vel principiis materialibus: imo quod ipſa forma aut efficiens rerum particularis nequeat dirigere qualitates, ut agant ſupra naturæ ſuæ virtutem, ex hoc quod (ut ipſe inquit) non poſſit uti frigore ut calefaciat & calore ut refrigeret. Sed indigna ſunt quæ à tanto viro proferantur. Neque enim artifex utitur ſerra ad ſcribendum, neque cultro ad pingendum: & nec natura uſurpat frigus ad vivificandũ vel primariã ejus vim ad mixtiones faciendum, & tamen calor eſt & manet animæ inſtrumentum, quo actiones perficit has & illas, natura ſua ſublimiores, ita ut non tantum calefaciat. Et licet omne inſtrumentum directum vi primariæ cauſæ utentis agat ſupra virtutem ſuæ ſpeciei, tamen quodlibet non eſt cuilibet formæ vel artifici commodum

modum organon ad proprias actiones. Quod ſupra vires id non ſua, ſed vi principalis utentis operatur, *undè etiam omnis effectus inſtrumenti, cauſa ſua inſtrumentalis, philoſophis nobilior eſſe dicitur.*

XXXX. In confeſſo eſt, calorem eſſe generantis & miſcentis cauſæ primariæ inſtrumentum, & effectum, quæ eſt ſubſtantiæ generatio hoc ipſo longe nobiliorem. Neque tamen ſequitur, natura utitur calore ad generandum, quæ actio eſt ſupra virtutem caloris per ſe conſiderati, ergo etiam poſſit uti frigore in eundem finem & modum. Non quodvis inſtrumentum, ſeu qualibet qualitas, cuilibet formæ commodat pro inſtrumento, etſi hanc vel illam commode uſurpat, ad producendum effectum ejus natura ſuperiorem, ideo quamlibet adhiberi poſſe concludetur, & ſi neque hoc neque aliud ſua indole planè ineptum ad officia quæ intendit, imo plane etjam contrarium nequeat ad eadem informare, tum nec ulla nec etiam adpropriata poterit ſic uſurpare.

XLI. Deindè ſi omne id, quod eſt in miſto, foret in aliquo elemento, revera omnis miſtio & compoſitio erit fruſtra. Idcirco enim res miſcentur, ut novæ oriantur vires, quæ non erant in ſimplici.

XLII. Sed audiamus contrariam craſſem ſophiſticationem. In nullo ſeorſim eſt ſapor, ergo non erit ex mixtione elementorum: in nullo pariter elemento eſt vita, riſus, viſus, ſenſuſque cæteri & motus voluntarius; Ad quod reſpondeo primo per inſtantiam: tractiò magnetica in nullo eſt elemento noſtro, nec principio chymico, ſale, ſulphure aut mercurio: Ergo magnes non conſtabit ex Elementis aut principiis quo ad materiam: de principiis enim ma-

 terialibus,

terialibus, qualia ſunt elementa, loquimur. In
lo elemento eſt lætitia, hebetudo diſcurſus, ſt
triſtitia, profunda imaginatio: attamen ab hu
melancholico metum & mæſtitiam, ex bile ſ
rem reſultare, & in ſanguineis lætitiam eſſe ub
rem certum eſt. A qualitatibus vero Elementar
& temperamento humorum hæc evenire mala
dicat ex intemperiei, per contraria, emendat
reducta, ſanitas. Quæro ulterius: Cum juxt
Senn. debeat inter agens & patiens eſſe comm
generis, quomodo iſtæ qualitates poſſint agere
nimam, aut eam ad tam corruptas actiones diſp
re? Quinimo cum omnis actio ſit à contrariis
dem in inſtit. med. auctore) unius generis; an
vero nihil contrarium, multoque minus qualitas
mentaris adverſa, quomodo eam afficiet, cum et
nec naturalis nec potentialis ei inſit obedienti
patiendum à qualitatibus. Denique cum mens ir
telligendo & ratiocinando, non agat organis co
ris, ut eſt tertio de anima apud Phil. quomodo l
organis corporeis in tam ferocia agi poteſt delir

XLIII. Sed redeamus ad rem: Ego ante hæc a
veraveram, ideo fieri novas miſtiones, ut novæ
mæ, qualitates, novæque vires per rerum miſtic
acquirerentur. Id erat negandum vel affirmand
Si dicis nullas acquiri falſus es, quia res per tem
ramenta qualitatum, acquirunt alias vires quam
ſent in elementis uti deinceps clarius patebit. Di
ram per varias miſtiones, varioſque miſtionis mo
oriri indicibiles & ſenſui minus obvias, magnæ
& latentis efficaciæ qualitates: id exemplo vene
rum, adductaque regula male uſurpata qua adſtr
t

tur, nihil agere ſupra virtutem ſuæ ſpeciei, refellere conantur.

XLIV. Regulam quod attinet, verum eſt nullam qualitatem agere ſupra virtutem ſuæ ſpeciei, ſi pro ſe, & ex ſe, ſuæque duntaxat naturæ viribus agat: at ſi uſurpetur ut inſtrumentum (velut calor directus ab anima coquit, chylificat, oſſificat, generat) agit virtute cauſæ principalis dirigentis. Et quod objicitur qualitatem nullam ita dirigi à formis poſſe, ut aliam edat actionem quam quæ ipſius eſt propria, eo ipſo negatur calorem vivificare & generare, quæ adeo verè ſunt opera caloris ab anima directi, ut & mors per exſtinctionem caloris definiatur, & vita & ſanitas in calido & humido commoderatis eſſe dicantur, quod ſiccitas frigiditaſque elementaris ſenectutem & mortem afferant, & intemperies frigida coctionem actionemque caloris lædens, elementari calore, calorificiſque remediis emendetur. Malunt itaque oppedere principiis antiquitatis & irrefragabili veritati, qua dicitur, quod calor, cum dirigitur ab igne urit, cum ab anima coquit, vivificat, quam dare locum & cedere vero. De his vide ſequentes de calido innato & morbis ſubſtantiæ diſputationes.

XLV. Exemplum venenorum mihi objectum quod attinet, quærendum undè venenata, qualitas & deleteria vis in ſanguine & ſemine corrupto & in gangræna? Corruptio eſt ex putredine; putredo eſt corruptio ſubſtantiæ à manifeſtis qualitatibus: *quo varie miſta ex elementis genita, magis corrumpuntur, eò ad naturam veneni proprius accedunt. Corpus humanum ſupremum miſtionis gradum ſortitu, variaque miſtione pro-*

productum quo nobilius eſt, dum in integritate perſeverat, eò deteriores in corruptione acquirit qualitates, veluti de ſemine & ſanguine corruptis teſtatur Galenus.

XLVI. Sed non recedamus à quæſtionis ſtatu longius. Quærebatur an, *quod non eſt in Elementis primis, nequeat eſſe in re ex Elementis producta vel generata, vel in eo cujus materiam & ſubjectum formæ præbeant elementa*; Et cum ſint in miſtis tum ſimplicioribus tum animatis varieque remiſtis qualitates quæ primis qualitatibus ferantur nobiliores, ſive eæ manifeſtæ, ut color, odor, ſapor, ſive occultæ fuerint, ut tractiva ferri in magnete, & purgativa bilis in Rhabarbaro, an ideo diverſa comminiſcenda elementa per quæ materiam aliam, à quatuor noſtris alienam & prorſus diverſam ſubminiſtrantia hæc inſint. De quibus ut porro latius videamus, præmonendum erit, nos agere hic de iis principiis, quæ materiam & ſubjectum formis corporum ſublunarium, generationi & corruptioni obnoxiorum ſubminiſtrant, atque Ariſtoteli ſanamque philoſophiam ſectantibus elementa ſunt cognominata, quibus ab eodem philoſopho competat definitio elementi lib. v. metaph. tradita, quod ſit corpus ſimplex, ex quo aliquid inexſiſtens componitur, ſpecie in aliam ſpeciem indiviſibile: vel lib. 3. de cœlo: corpus ſimplex in quod cum inſit, corpora diſſolvantur, ipſum vero in alia quæ ſpecie differant, dividi nequeat. Prior definitio compoſitionis, poſterior reſolutionis reſpectu data eſt.

XLVII. Hæc vero ab antiquitate agnita elementa; Clar. Senn. ob allegatas cauſas, pro ſolis veriſque principiis non recipit, fultus & ſubnixus jam ante ci-

tatis

tatis & non leviter libratis, porroque acrius cribrandis rationibus. Proinde tenendum quod omnis affectio & qualitas ſit aſſignanda ſuo πρώτῳ δέκτικῳ Qualitates inſunt, vel propter elementorum miſtiones varias, aut formas variè miſtis inditas, vel propter prima elementa: Color, odor, ſapor roſæ, vel tractio magnetica, ſi inſit per elementa prima, alicui horum primò, omnique porro elemento vel miſto ex iis genito ineſſe neceſſum eſt. Omne enim quod cuipiam per aliud ineſt primo & per ſe cuipiam ineſſe debeat. Quocirca πρῶτον δέκτικον tractricis ferri & dictarum qualitatum, erit ipſum corpus miſtum ſua peculiari forma præditum, vel tria chymicorum à Sennerto approbata Elementa. At in nullo horum trium, aut noſtrorum quatuor eæ inveniuntur: Relinquitur ergo ineſſe per temperiem apertam vel occultiorem ex certa variæ miſtionis idioſyncraſia, vel per formam.

XLVIII. Sed antiquam cramben qualitatum primarum hoſtis reponit, clamando nullam poſſe fieri miſtionem talem ex quatuor primis, ut altior inde exſurgat qualitas altioris virtutis cauſa quam quæ ipſis inſit primis, idque ob frequenter & ad nauſeam fruſtra allegatam regulam: Nihil agit ſupra virtutem ſuæ ſpeciei. Hanc putat eſſe Orcigaleam, quæ tamen rudioribus duntaxat imponere queat. Novimus enim elementa, cumprimis etiam eſſe condita, ut ſint materia generandorum corporum, quæ uti non debebant manere pura elementa leviterque confuſa, ita & formas quæ aliam eſſentiam, quidditates, qualitates & naturas largiri poſſint, induere oportebat. Verum ea principiis chymicis actu non inerant, neque

que aliis quatuor. Forma non inducitur niſi præcedat debita præparatio & diſpoſitio materiæ, quæ cuique introducendæ peculiaris & propria eſt, eoque exquiſitior requiritur quo illa fuerit nobilior. Neque enim quæ conveniens eſt formæ pulli, ea perinde ad humanam vel gemmarum introductionem fuerit idonea. Ea ſane diſpoſitio eſt qualitas in corpore elementato & miſto elementaribus primis nobilior. At inquies, quomodo illa à primis ignobilioribus, nihil ſupra ſuam indolem potentibus conciliabitur? Generabunt nobiliores ſeipſis qualitates primæ & id dabunt quod non habent, id efficient quod non poſſunt, ſupraque ſuam eſt ſpeciem?

XL. Revertere ad phyſicam Sennertianam, in qua docetur, omnem miſtionem & miſti generationem, & præviam ad formam alterationem, fieri beneficio & opera caloris elementaris: ibidem cauſa miſtionis generalis prædicatur cœlum, proxima vero actio duarum qualitatum activarum. Et l. de Gal. cum Chym. conſ. & diſſ. cap. 12. dicitur, calorem eſſe commune naturę inſtrumentum & δημιουργὸν quo res miſceat, generet, foveat. An hic non reſultat à qualitatibus primis actio & effectus ipſimet nobilior & ſuperior? nunquid ipſe inquit in tract. de Gal. cum Chym. conſ. & diſſ. c. 10. fol. 248. calorem multa operari ut animæ inſtrumentum, quę ſolus non efficeret. Ex quibus omnibns apparet falſitas illius effati, nihil agere ſupra naturæ ſuæ indolem, etſi à cauſa principaliore dirigatur, imò à ſuperiore cauſa ſic dirigi poſſe, ut alias edat actiones, quã ex ſe & ſua natura proferre natum erat. Hæc accuratius in diſputationibus de calido innato & morbis ſubſtantiæ diſcuſſa ſunt.

Sed

Sed ad prima ab ipſomet Mercato de primis qualitatibus prolata axiomata reſpiciendum Ipſemet D. Sennertus non negat omnis miſtionis, generationiſque miſti auctorem, & commune ad hoc naturæ proximumque inſtrumentum eſſe calorem, cui nunc ſoli officium committit, nunc cœlum, nunc formam vel animam directorem præficit. Nulla res eſt compoſita quæ non per miſtionem genita ſit. *Res itaque omnes ſuæ generationis cauſam proximam agnoſcunt calorem*: generatio eſt ſubſtantiarum: quomodo itaque calor generat ſubſtantiam? agnoſce quomodo res quæpiam agat ſupra virtutem ſuæ ſpeciei, cujus rei elucidatio & explicatio ſequeretur uberior.

L. Sed qualia corpora calor miſcet, an ab elementis quatuor diverſa? nequaquam. Miſcet enim humidum cum ſicco, & teſte Sennerto omnis actio inter contraria unius generis. Cum ergo, uti ex Mercato probatum eſt *elementariæ qualitates ſint omnium primæ & communes, omniumque alterationum & mutationum primæ cauſæ, & diſpoſitivè ſe habeant ad omnium generationem, & omnibus inſint, nec alia miſceant quam corpora prima quibus inſint, neceſſum eſt omnia corpora conſtare ex elementis, & has qualitates omnium cæterarum tum per ſe, tum interventu formarum eſſe originem. Omnibus ineſſe rebus nemo neget, inſunt ut miſceant, generent, conſervent. Calor nihil miſcere poteſt quam elementa prima, nec enim agit in corpora toto genere diverſa & aliena, quæque non ſint ita ex iis primis compoſita, ut in eadem reſolvi nequeant. Quo uno evidenter & liquido omnium miſcibilium materiam*

eſſe

eſſe ſola elementa noſtra quatuor, omniaque miſta ex iis conſtare, convincitur.

LI. *Omnes itaque qualitates corporum miſtorum, juxta Mercatum, cauſam primam agnoſcunt primas qualitates, ex his enim ſecundæ fiunt, & diſpoſitiones ad formam, & mediantibus formis, qualitates omnes nobiliores, unde & occultæ & mirabiles & maximè energeticæ, altius ſupra vulgarium & primarum dignitatem evectæ oriuntur.* Miſtorum etiam qualitates omnes primis ſunt nobiliores, quia hæ ſunt propter illas, meritoque *illa excellentior, quæ nobiliorem formam generandam præcedit, vel generatam, ut proximus ejuſdem effectus, ſequitur.*

LII. *Ex quibus apparet num miſtio varia vires importet novas*, quod ut luculentius demonſtrem, dixi fieri ſubinde novas ordine aliam poſt aliam mixtiones & remiſtiones, ut per gradus fiat aſcenſio ad nobiliores formas, donec ad omnium nobiliſſimam vel ad ultimam, quam pro re nata, natura intendit, exſiſtentialem, perveniat. Ideo enim in generatione rerum natura ſumit primò formas univerſales, iiſque mediantibus particulares, donec ad individuas perveniat, atque ita formas eſſentiæ deinde exiſtentiæ induit, & quidem priores propter poſtremas, quarum priorum vires in rebus non exſpirant ſub poſterioribus, ſed ſub nobilioribus manent. Varia itaque miſtorum eſt miſtio, & inexplicabilis contemperatio, unoque ſub extrema exſiſtentiæ formæ nobiliſſimæ dominio: & cur natura tum varias miſtiones formaſque intermedias intendat, niſi ut nobiliori formæ materiam præparet? & quomodo materia præparata eſſe queat, niſi veſtigia illarum temperationum remaneant? Sic in homine cujus corpus ſupremum

premum miſtionis gradum conſequutum eſſe perhibetur, nobiliſſima forma præparationem materiæ requirebat exquiſitiſſimam. Quod in ejuſdem principiis & ſemine maximè conſpicuum eſt, cujus ut moles exigua ita virtus quam maxima, diverſis diverſarum miſtionum temperiebus, in occultam & efficaciſſimam quandam craſin conſpirantibus.

LIII. In his variis per varias miſtiones mutationibus, natura ab ignobilioribus ad nobiliores tendit formas, ita ut ab eſſe ad vivere & ſentire progrediatur. Nec à primis ignobiliſſimis ad ſummas & præſtantiſſimas niſi per media varia graditur. Forma generalis dat actum ſed imperfectum, & cum potentia contrahibilitatis commiſtum: forma ſpecifica & ultimata dat actum perfectum & perfectionem & exſiſtentiam: non dat actum cum potentia, ita ut opus habeat alia forma. Natura nihil facit fuſtra: ſi primis miſtis ſtatim ſummas extremaſque & nobiles exſiſtentiæ formas inducere commodum foret, non tot intermediis uteretur miſtionibus, & corporum mutationibus. *Novæ hæ miſtiones, novas important diſpoſitiones, ad novas formas intermedias, donec ad ultimatam perventum ſit. Nova diſpoſitio eſt alia qualitas quàm quæ prius inerat: quæ ſi præfuiſſet in re, non opus fuiſſet hanc fieri:* nulla harum qualitatum eſt quæ non alias ſapiat vires: alia qualitas eſt in ovo, in quo proxima diſpoſitio eſt ad pullum: alia in ſemine undè ovum: alia deinde in pullo: & uti diſpoſitio quævis ad formam inducit aliam qualitatem, ita & cujuſlibet forma, alias inducit qualitates. Sic in materia vel elementis Rhabarbari, non erat vis purgans, priuſquam Rhabarbari forma ſpecifica eam inveheret:

nam ſi extitiſſet in quodam ejus principio vel elemento, non fuiſſet opus compoſitione & generatione Rhabarbari, aut hujus forma ſit otioſa & fruſtra.

Sed quia potiſſima Rhabarbari eſſentia & quidditas eſt à Rhabarbari forma, & res ſe habeat in eſſe uti in operari, neceſſario qualitas & vis purgans eſt à forma Rhabarbari. Vide diſputationes calidi innati 6.

LIV. Habet itaque res quælibet aliam virtutem per primas qualitates, aliam per miſtionem harum virtute factam ad novam generationem, alias, per novas formas. Qui dat formam dat etiam conſequentia formam: *a forma rei eſt eſſentia & exſiſtentia, & quidditas & propriæ ſpecificæque qualitates ſeu accidentia propria:* & hæc omnia non ſunt in principiis ſeorſim ſingulis, neque ea virtus & qualitas, *quæ per novas variaſque mutationes & diſpoſitiones ad formas exſurgit, neque illa quæ formas ſequitur: alioquin & hæ & formæ fruſtra & otioſæ eſſent.* Falſo itaque mihi affingitur aut verteratoriè imputatur, me omnium rerum qualitates & virtutes, elementorum conditionem excedentes, primis qualitatibus calidi, frigidi, humidi & ſicci adſcribere.

LV. Quid his objicitur? nihil niſi id ad quod jam antè ſatis reſponſum: nihil agere ſupra virtutem ſuæ ſpeciei, ita ut primæ qualitates tantum poſſint humectare, calefacere, ſiccare, refrigerare, prætereaque nihil: imo quod ad amplius agendum etiam uſurpari vel intēdi nequeant à nobiliſſimis etiam formis. Formas intelligo cæleſtes, animam, miſti, cum tamen ipſe in phyſicis, miſtionem & miſti generationem, & præviam ad formam alerationem primario

& per

& per ſe calori adſcribit, lib. 3. c. 2. fol. 236. atque ita generationis & conſervationis miſti cauſam ſtatuit calorem. Præcedente capite inquit, efficientem miſtionis cauſam generalem eſſe cælum, proximam duas qualitates & lib. de Gal. cum Chym. conſ. & diſſ. c. 12. fol. 350. nominat communem naturæ δημιουργὸν & commune inſtrumentum ad faciendum miſtiones & virtutes fovendas: Et in phyſ. præcipuum animæ inſtrumentum, quo omnes actiones obit & perficit. Et ib. de Gal. cum Chym. conſ. & diſſ. c. x. fol. 208. calorem multa operari ut animę inſtrumentum, quæ ſolus non faceret. De his accuratius proprio ſuo loco.

LVI. Ex quibus omnibus liquet, calorem ut inſtrumentum, à primariis efficientibus, videlicet cælo, anima aliiſve formis directum plura efficere, quam ſit in ſua qua eſt nuda elementaris qualitas, poteſtate, adeo ut ſimpliciter falſum dixerit Clariſſ. Sennertus calorem uſurpatum ab aliis aut efficientibus nobilioribus, nihil poſſe agere ſupra innatæ & privatæ potentiæ vires: quod effatum rerum miſtionem, generationem & vitam, omneſque actiones vitales, naturales & animales è medio tollit, ſiquidem hæc omnia miniſterio, caloris ſupra innatam ſuam virtutem agentis, perficiuntur, quem tamen & elementarem eſſe peculiaribus diſputationibus aliquot probavimus. Et abunde ex hoc liquet, quod elementari frigore iſtæ omnes actiones enumeratæ corrumpantur, juxta ipſum Sennertum aſſerentem, actiones eſſe contrariorum ſub uno genere.

LVII. Calor proinde conſideratur, vel ut nuda

elementaris ſit qualitas, vel uti dirigitur ab aliis nobilioribus formis, earumque eſt inſtrumentum. Et ſimul quatenus eſt agens & efficiens univocum & κατὰ ἐνέργειαν, vel κατὰ ἐντελέχειαν & δύναμιν Quoquo vero modo conſideretur, habet facultatem univocè & æquivocè agendi uti qualitas elementaris non tantùm calefacit, ſed & homogenea congregat, & hoc ipſo heterogenea ſegregat. Quæ prima ejus ad miſtionem & miſti generationem eſt actio. Vt cauſa inſtrumentalis elevatur ad effectum ſe ipſo nobiliorem efficiendum, quod fit dum generat. Verum uti porro eſt antiquæ Philoſophiæ & modernorum indubitata ſententia, quia ut inſtrumentum ſolus ad hoc non ſufficit, operatur virtute efficientis primariæ. Quocirca philoſophi dicunt quod accidentia, quando ſua forma ſubſtantiali proxima deſtituuntur in generando, neceſſe eſſe ut influxus propriæ formæ, qua tunc orbantur, ſuppleatur à cauſa aliqua univerſali, ſole nimirum vel aſtris. Hoc modo generantur metalla, lapides, miſta inanimata, cæteraque omnia, quæ ſine ſeminibus aliiſve mediis propagantur.

LVIII. Atque hoc pacto miſtio eſt Dei & naturæ opus: & opus naturæ eſt opus intelligentiæ: & cauſæ ſubordinatæ in his inferioribus agunt virtute ſuperiorum, neque fine ſuo ſed fine univerſi. Sic omnia inferiora dependent à virtute ſuperiorum, & movemur, quia movent, & ſumus (dictante Scaligero) quia ſunt, neque fortuito elementorum concurſu fit miſtio rerumque generatio. Et idem Scalig. excert. vi. inquit: à ſuperioribus poteſtatibus effectiones noſtrates manant: atque pro illorum viribus, con-

concurſione,miſtione,alienatione aliud atque aliud tum fit tum eſt,tum fieri tum eſſe deſinit. Miſcentur autem effectiones, radiationes, vires in ſubjecto generabili vel alterabili, unde 2.de cœlo ait philoſoph. generationem non fieri niſi per cœleſtium corporum coitionem: Et pendent noſtratia teſte Scal.Excer.vi.no.v.à ſuperioribus propter æquivocam connexionem, nō propter univocam effectionum communionē. Sunt enim formæ ſuperiores quaſi formæ conſervatrices inferiorum, quia hæc cauſa cauſarum tuetur ea quæ fecit, per ea quæ fecit. Neque ultimæ formæ proximæque corporibus agunt niſi fotæ adjutæque à ſuperioribus. Quid enim eſt quod tantum terræ tantum commiſcet cæterorum? At oportet in unoquoque motū eſſe unum & primum. Non enim illa ſe movere poſſunt ad ullum opus, quare in compoſitis à forma excellentiore,in miſtis imperfectis à principio externo ad mutuam connexionem moventur.

LIX. Sed revertimur ad qualitates Elementares quæ formarum tum ſublimiorum tum proximarum ſunt inſtrumenta, & ſic ad cauſas adjuvantes referuntur. *Adjuvans cauſa eſt ſecundaria, & operatur propter finem primæ & principalis. Primaria dat finem & agendi formam, ad quam coadjuvare debent inſtrumentales, quæ propter finem primæ operantur.* Agunt itaque primæ qualitates ſupra virtutem ſuæ ſpeciei,non per ſe & ex ſe & innata virtute, ut ſunt ſimplices Elementorum qualitates,ſed per influxum, ut loquuntur, cauſæ principialis, & quatenus illa dat formam finemque & modum agendi.

LX. Hoc pacto hoc modo philoſophis dicitur ca-

lor miſcere, generare formas ſubſtantiales, vivificare, videlicet quatenus dirigitur à formis tum ſuperiorum tum inferiorum, ut nimis ineptum & ab omni veritate alienum ſit dicere, calorem etiam à formis ſuperioribus directum, ſua virtute ſuperiores actiones perficere non poſſe: aut, non eſſe in primis qualitatibus, ut inde naſcantur ſecundæ & tertiæ: quando duplici modo producant illas, primò quatenus materiam, quam ipſæmet ingrediuntur, præſtant commodam, deinde quod ipſam generationem ut cauſæ inſtrumentales perficiant. Quomodo vero odores, calores, ſapores, ipſarum operâ, & diſpoſitiones fiant ad formas novas, undè qualitates formales iis mediantibus procreentur, non eſt neceſſum hic ex doctrina phyſica repetere, id ſaltem erat conſiderandum; *an eorum quorum non reperiantur in primis elementis qualitates virtuteſque quæ nihilominus inſint miſto, peculiaria principia materialia, vel elementa ſint ſtatuenda.* Sufficienter probatum eſt, primas qualitates ineſſe primò elementis, ſecundas harum opera per miſtionem, & formales tertiaſque mediantibus formis, atque ita diſpoſitivè à primis dependere.

LXI. Hactenus in aſſerendis & propugnandis noſtris Elementis potiſſimum verſatus ſum, & probavi omnia miſta & ſublunaria, compoſita cum ſuis qualitatibus ex iis orta & genita eſſe, reſtat ut illa tria Chymicorum, à D. Sennerto aſſerta, nec materiam rerum omnium communem, nec qualitatum reliquarum, præter primas, virtutumque ſubjecta & principia eſſe, accuratius demonſtrem.

LXII. De natura & requiſitis verorum elementorũ

primorum eſt, ita ſubſtare rerum omnium qualitatibus & formis ut ex his ſimplicibus miſtis, vel variè remiſtis, & contemperatis hæc omnia oriantur, iiſque peſſum euntibus & pereuntibus, in ea reſolvantur ultimò, propriis ſuis formis & qualitatibus manentibus integris. Cum itaque ſecundæ tertiæque & formales qualitates intercidunt, ſola poſtremò remanent elementa cum primis qualitatibus ſoluto miſtionis vinculo. Quodcunque vero ex his mediante miſtione & nova forma productum eſt corpus, quando ex iis ſit conflatum, etiamſi propter aliam formam diverſamque miſtionem alias obtineat qualitates & vires, tamen pro elemento venire nequit.

LXIII. Ad hunc lydium lapidem examinemus elementa noſtra & chymicorum principia. Clariſſ. D. Senn. lib. citato c. 9. ait, primo ſunt elementa, hinc ſal, ſulphur, & mercurius: *quæ quidem & ipſa elementa in ſe continent ſed non ſola:* (quid igitur præter elementa in ſe continent) verum aliquid amplius, cum habeant formas non à formis elementaribus inter ſe miſtis ortas, ſed à creatore in prima creatione inditas. Ex his poſtea variè miſtis, concurrentibus tamen rurſus elementis, mineralia, metalla, lapides, plantæ, animalia ſua corpora accipiunt.

LXIV. Ex quibus liquet illa tria principia nihil in ſe continere materialiter aliud, nec ex alia materia eſſe compoſita, quam ex primis quatuor elementis, unde eſt quod paulo ante illa nominabat prima miſta: ſi prima ſunt miſta, neceſſum eſt priora eſſe elementa quorum ex miſtione conſtent. Et hæc ſunt noſtra quatuor elementa, aut dentur præter hæc alia cor-

 pora

pora ſimpliciora priora, ex quibus ſint conferruminata. Elementa vera quatenus rebus generandis per miſtionem præbent materiam, non tantùm exhibent ibi pro materia, materiam ſuam primam, ex qua illæ conſtent ſine formis, alioquin non concurrerent ut elementa ad miſtionem, ſed ſuas ſimul formas, quæ in miſto genito vicem materialem unà ſubeunt.

LXV. Formam iſtam Sennertus in rebus facit duplicem, aliam ex elementorum inter ſe miſtis & coagmentatis, quæ propria ſit miſti quatenus miſtum eſt formis, & præter hanc aliam ſuperaddit cuique rei quatenus ipſi ſpeciem largitur, uti ipſe in phyſ. lib.3.c.3. & paſſim in lib. de Gal. cum Chym. conſ. & diſſ.c.12. fol.358. ſtatuit. Anima aut forma ſpecifica ſublata, ait ibidem, formam miſtionis ſubire vicem & locum formæ ſpecificæ, & in generatione prius produci formam miſtionis, quàm animam vel ſpecificam. Formæ miſti quam ex quatuor elementarium formarum coalitu ait oriri, docet ſuperinduci formam rei ſpecificam, quæ rem in certa ſpecie conſtituat, undè neceſſariò ſequitur, rem omnem ex ſolis quatuor elementis, tanquam una ſolaque materia quæ ſpecifica forma, formæ miſti vicem præparationis & diſpoſitionis ad eandem fungenti, ſuperveniente abſolvatur, conſtitui. Vti miſtum ex quatuor conſtat Elementis, ita ex horum formis coaleſcentibus miſti, qua miſtum eſt, formam oriri vult, qua mediante & diſponente inducatur ſpecifica, & ſic rem omnem ſaltem ex quatuor elementis, non item aliis principiis concurrentibus conſtare, omnino verum eſt, vel ſi concurrant alia principia ad rei conſtitutionem,

ſtitutionem, ea vel miſti forma informari, & ſic idem cum elementis undè genita erant fieri, vel ex formarum ſuarum coalitu etiam novam conſarcinare formā ſubſtantiæ ſpecificæ, adeo ut hæc una duplici diverſarum formarum, difformi innitatur & inhæreat diſpoſitioni uno eodémque tempore neceſſum foret. Aut itaque duplex erit miſtum in re eadem, aliud ratione trium principiorum, aliud ratione quatuor elementorum, quorum utrumque peculiari, qua miſtum eſt, conſtet forma, aut tria quatuor elementorum formæ ſuberunt, & ſic redibunt ad materiam priſtinam, aut nec propriam conſtituent, nec elementari ſuberunt, & conſequenter non informabuntur ſpecifica, unde non erunt de eſſentia rei. Quoquo calculum ponas naufragium facis: poſito uno abſurdo, immenſa texitur abſurditatum tela.

LXVI. Ex quibus patet vanitas opinionis qua ſtatuitur ex tribus variè miſtis, concurrentibus tamen rurſus elementis, generari res ſuis ſpecificis formis definiendas. *Quid opus elementa ad mixtionem cum his principiis denuò vocare, cum eadem materialiter ex elementis conſtent.* Concurrunt verò elementa ad conſtitutionem rei, ut perfecta cum principiis tribus miſtione facta, unum & ſimilare corpus conſtituant, vel ut matricem, thecam & indumentum (quod fortè juxta Paracelſicam abſurditatem vult innuere ſed exprimere veretur) tribus rei interiorem & quintam eſſentiam facientibus præſtent. Si hoc ſit, duæ erunt miſti qua miſtum formæ, duæque diverſiſſimæ toto genere differentes materiæ, diverſæque diſpoſitiones pro una forma ſpecifica: & principia hæc ſi ſint quintæ eſſentiæ, nihil habebunt commune cum

quatuor elementis, nec ex iis materialiter conſtabunt, cum tamen auctore D. Sennerto ex iis tanquam prima miſta conflata ſint; ſi illud vel alterum ponatur, neceſſum in miſtione cum elementis, quia hæc miſti qua miſtum eſt formam conſtituunt, iterum elementorum undè primò orta erant naturam recipere. *Quinimò nulla res ex ullis principiis vel elementis generatur niſi per eorum miſtionem. Miſtionis auctor proximus & immediatus eſt ſolus calor, atque nulla per miſtionem unit & definit corpora quam elementaria, quatenus videlicet humida cum ſiccis undequaque miſcet, unit, determinat: nec ulla corpora miſceri poſſunt, quæ harum qualitatum ſint expertia, horumque meritò omnem miſtionem fieri neceſſum eſt. Ex principiis itaque illis tribus nihil generari poteſt, niſi quoad ex Elementis conſtent, horumque naturam participant.*

LXVII. *Sola proinde quatuor Elementa ſunt corpora miſcibilia, & cætera miſcentur quia conſtant ex horum materia.* Neque Sennerti opinionem quicquam juvat dixiſſe vel ſtatuiſſe, ea principia ſic eſſe prima miſta, ut propriis & peculiaribus conſtent formis, *quod nullæ, ut poſtea videbimus, formæ præter elementares remaneant in miſtis, nullæque aliæ materiæ vicem ſub dominio ſpecificæ gerere & ſuſtinere poſſint.* Concurrentibus itaque iis tribus principiis ad miſtionem, formas eorum aboleri neceſſe eſt, adeo ut rei miſcendæ & generandæ, nihil præter elementarem materiam ex qua tanquam prima dicente D. Sennerto, miſta conſtabant, conferant. *Si vero iſta tria principia ſint corpora toto genere diverſa, nec juxta materiam, neque formam miſceri poterunt, vel miſtum conſtituent.*

LXVIII. Neque eſt quod regeras ex Senn. lib. de Gal.

Gal.cum Chym.conſ. & diſſ.c. 12. fol.355. non ſolas qualitates primas, proximas eſſe miſtionis cauſas, quod occultarũ magna ſit efficacia, quodque in corpore alterando magnam habeant vim, quinimo non excludendos eſſe ſpiritus: *cum occultæ qualitates non præcedant miſtionem & rerum formas à miſtione generandas vel inducendas, ſed has ſequantur. Qui dat formã dat ſpecificam differentiam & qualitates proprias ſeu propria accidentia, quo cum primis occultæ plurimum referuntur qualitates, quæ idcirco formales appellantur.*

LXIX. Deinde diligenter hic animadvertendum, quod juxta Sennertũ forma ſpecifica, à qua hæ qualitates depẽdent, ſupervenit miſto genito, & miſti qua miſtũ, formâ informato, ut ad rei miſtionẽ faciendã concurrere nequeat: ita enim ſtatuit. l.3. phyſ.c.3. fol. 230. *ubi inquit, prius producitur forma miſtionis quã anima.* Sed quæſo quis hęc conciliet, cũ alia ejus opinione quâ decernit, animã vel formã eſſe omnis miſtionis auctorẽ, & primũ in miſtione motorẽ & causã primariã. vid. l. de Gal. cũ Chym.conſ.c.12.f.352. Pari lege ſpiritus ad faciendã miſtionẽ cõcurrere nequeunt, & ſi confluant, *nihil efficient alia ratione, quam quod aërei igneique adeoque Elementari qualitate præditi ſunt.*

LXX. Et quid opus de principiis rerum materialibus tantas movere machinas, audiamus ipſummet D.Sennert. lib. de Gal.cum Chym.conſ. & diſſ.c.12. fol.358. ubi inquit: *Materiam dant elementa non formam. Miſtum quà miſtum, formis elementaribus informari non repugno: verum cujuſque rei formam ſpecificam, quæ rei dat eſſentiam & nomen ab elementis provenire nego.* Eſt enim in unaquaque re naturali & partibus corporis præter materiam quam elementa

elementa ſuppeditant, divinius quoddam principium, & natura quinta, qua ſunt id quod ſunt, & in certam ſpeciei naturalis familiam reducuntur. Elementa enim materia ſunt; ideoque actum dare non poſſunt. Illum vero de quatuor noſtris elementis ibi loqui ex toto contextu, & apertè ex eodem capite fol.353.patet.

LXXI. Ex his etiam patet fragilitas argumenti pro tribus principiis adducti, ideo videlicet ſal, ſulphur, & mercurium eſſe principia rerum, quia non tantum contineant in ſe elementa, ſed etiam peculiares habeant formas: ſi enim res ex elementis conſtantes, & peculiarem formam habentes, ſint pro principiis habendæ, quam immenſus erit principiorum numerus? quanta rerum confuſio ſequetur? ſequetur omnia rerum genera habere peculiaria principia, uti lapides, ſtirpes, herbas, animantia, & quid non, habent enim peculiares ſuæ familiæ formas: atqui nobis non erat quæſtio de principiis formalibus particularibus, ſed materialibus communibus toti inferiori naturæ. Tanti eſt rem confundere, & cum quæritur quid ſit, quod principia rerum ex qua materialiter conſtent, conſtituat, reſpondere de formis, de quintis eſſentiis, ideo nova eſſe principia aut plura elementa & ſublimiora ac magis energetica ſtatuenda, quia rebus inſint naturæ quintæ qualis in adamante forma: atqui hæ quintæ naturæ non concurrunt ad rem conſtituendam ut principium commune & univerſale totius & rebus omnibus materiale, de quo quærebatur, ſed ut forma particularis, quæ unicuiq; ex cõmunibus & univerſalibus elemẽtis quatuor per miſtionẽ genitis particulariter ſua eſt.

LXXII. Fru-

LXXII. Fruſtra itaque dicitur principia hæc tria habent qualitates varias quæ non inerant elementis, ergo erunt pro principiis habenda. Reſpondetur has trium qualitates non eſſe actu in quatuor elementis, ſed potentia, quatenus opera & diſpoſitione per miſtionem, ſupervenięnte novâ formâ, ex iis generari poterant. Clariſſ. Sennertus fatetur tria principia eſſe miſta prima, & præter elementa materialia nihil continere quā formam qua ex elementis ſolis perficiantur: hæc forma ergo produxit qualitates ut cauſa efficiens ex materia, idque opera primarum qualitatum, quarum beneficio & miſtio & miſti generatio facta, & per hanc novæ qualitates in materiam elementarem introductæ.

LXXIII. Etſi maximè vera eſſet, quæ tamen maximè commenticia eſt, formarum per ſui multiplicationem propagatio, ita ut præcederet rem per miſtionem generandam, atque ipſæmet miſcerent, & conſtruerent, formarentque ſibi corporis ſui domicilium, tamen id fieri adſerit ipſemet D. Sennertus opera caloris tanquam inſtrumenti communis ad res miſcendas, qui qualitates generabit commodas, idque non ex alia quam elementari materia, quia nec alia ſubſtat, vel ſuppetit, ex qua illas producere poſſit: neque enim aliunde, vel à cœlo, aſtris vel abyſſo eas evocat, nec ab eſſentia ſua avellit, ſed effectivè ex elementari materia generat. Qualitates ſequentes formam canis, bovis, anatis, gemmarûm, & ad eam prædiſponentes, in nullo aliquo præfuere principio materiali, ſed illæ immediatè à forma dependent, ab eaque in certa materiá elementari, habente ſe diſpoſitivè, tum ad hanc formam recipiendam,

ſtione, indeq; nata temperie, formiſq; demũ ſupervenientibus, depẽdere & natas eſſe, *ut nõſit opus nova cõminiſci principia, vel ex iis formata, vel aliunde accerſita.*

LXXV. Sed antequam latius progrediar, quærendum ex Clariſſ. Senn. annon ejus principia ita ſint communia, ut omnia ex iis generentur, & in eadem demum reſolvantur: namque hoc de natura principiorum materialium eſt: Ipſe vero reſpondet affirmativè, videlicet ex tribus principiis mineralia, metalla, lapides, gemmas, plantas & animalia generari: ita tamen ex iis miſtione varia hæc produci, & qualitates ineſſe, non quod hæ oriantur novæ per miſtionem, ſed quod jam ante innatæ fuiſſent, & inhæſerint principiis primis.

LXXVI. Septem itaque ſtatuit principia: primò quatuor Elementa, quæ ſanè principiorum dignitate fraudare non poteſt, quia per eorum qualitates miſtio & conſequenter miſcibilium generatio & vita & conſervatio rerum, imo omnium rerum materia mediata vel immediata. Deinde tria principia, videlicet ſal, ſulphur, & mercurius, quorum meritò in rebus ſapores, colores, odores, cæteræque qualitates quæ primis qualitatibus non inerant. Verum enimvero hic nobiliſſimi omnium principii oblitus eſt, quod meritò primas partes inter omnes tenere debebat, quod ei eſt calidum nativum & humor alimentarius.

Hunc ſiquidem ex elementis non conſtare, ſed his & elementatis, à prima rerum generatione concreatum, naturæ ſuperelementaris, & ſtirpium, radicum, ſeminum, carniumque humidum radicale eſſe, quo nutriatur innatum calidum, quod eſt balſamus

naturæ

naturæ quinteſſentialis, in quo omnium virtutum & occultarum qualitatum in rebus fundamenta & rationes poſitæ ſint. Calidum illud primigenium, & humidum ejus nutricium, nequaquam ex elementis conſtare aſſerit. Cum itaque ſint ſubſtantiæ non ex elementis natæ, & inſuper virtutum & occultarum qualitatum baſis,& viventia eaque quæ occultis pollent qualitatibus, his neceſſariò maximam partem conſtent, nec ſint ex aliis compoſita, vel nata principiis vel elementis, omnium principiis rerum rectiſſimè annumerantur. Et ſic emergunt principia materialia (de iis enim loquimur) octo. Quibus ſi addas res omnes quæ propria conſtant forma, & habent qualitates quæ actu non inſint elementis quatuor, tribuſvè, aut his enumeratis principiis, innumera orientur principia.

LXXVII. Sed D. Sennertus progreditur argumentando pro ſuis principiis ex Ariſt.3.de cœlo c.3. tex.35.Et Gal.l.1.de Elem. c.3. Ex iis corpora naturalia conſtant in quæ reſolvuntur,ſed reſolvuntur in tria principia. Recipimus hanc regulam & agimus gratias Clariſſ. Viro, quod Ariſtotelica & venerandæ antiquitatis principia amplecti non gravetur. Quæritur itaque qualem intelligat reſolutionem Ariſtoteles & Gal. ex qua demonſtrativè probari poſſit, quænam vera ſint rerum principia vel elementa: an reſolutionem ultimam, an intermediam aliquam, priuſquam ad ultimam deventum ſit.

Id verò Elementi definitio ab Ariſt. tradita fideliter nos docebit. Quintò Metaph. reſpectu compoſitionis definitur, Id ex quo componitur aliquid inexſiſtens,ſpecie indiviſibile in aliam ſpeciem: Tertio

tio de cœlo, ratione reſolutionis: corpus in quod cum inſit corpora diſſolvuntur, ipſum autem in alia quæ ſpecie differunt, dividi nequeat. Cum itaque res eo reſolvitur, ut partes reſolutæ, in alias quæ ſpecie differunt amplius dividi nequeant, ſed tantum in homogeneas, ſimplici, incompoſita, nec adhuc miſta materia, ſolaque forma conſtantes, ea neceſſario eſt ultima. De natura principiorum ſiquidem eſt, ut iis nullum prius nullumque ſimplicius detur corpus, ſed ut ſint prima, quod ex his omnia. Vti itaque ad generationem rerum prima ſunt, ſic in reſolutione neceſſario fuerint ultima.

LXXVIII. Ad hæc ſolidæ veritatis axiomata, examinemus & fricemus effata Sennertiana. Tria ſua principia, ait, in ſe continere alia elementa, & eſſe miſta prima. Miſtio & miſti generatio præſupponunt ſuæ originis & generationis principia materialia priora, & quidem talia ex quibus cætera per miſtionem generantur omnia, quæque ſunt adeo ſimplicia, ut illis nulla ſint priora: *de talibus enim erat quæſtio.* Quocirca non poſſunt tueri locum principiorum, & uti ratione miſtionis & generationis non ſunt dicenda principia, ita neque ratione ſolutionis: *ſiquidem velut elementa ſimplicia ſunt omnium rerum miſtarum communis materia; ex qua generantur primo, ita in eadem res debent reſolvi ultimo. Nulla generatio vel ſolutio naturam principiorum definire & conſtituere poteſt, niſi in illa fiat reſolutio ultima ex quibus prima exſiſtit generatio: nam quæ inter generationem ultimatam, & ultimam corporum miſtorum reſolutionem poſſunt incidere reſolutiones, quæque à D. Sennerto allegantur, non ſunt ſolutiones in principia, unde primo erant res per miſtionem generatæ,*

ratæ,

rata, ſed talia corpora miſta, quæ ulterius queant ſolvi in alia prima, unde prius natæ & ortæ ſunt.

LXXIX. Vbi etiam valdè ineptum eſt exemplum lactis, olei, nucis muſcatæ, ſanguinis, quod pro ſuæ opinionis ſcuto producunt. Quamvis in lacte ſoluto tres reperiantur partes, videlicet caſeus, ſerum & butirum, tamen ex his non erat lac proximè genitum, ſed ex ſanguine, ſanguis ex chymo, chylo &c. atque hę partes lac conſtituentes cum ipſo lacte ſimul generantur, non vero ex his prius generatis conferruminatur, aut ex harum tãquam principiorum prius exſiſtentium miſtione vel coalitu fit. Pari modo oleum nucis muſcatæ cum eadẽm producitur nec exſtitit oleum tale priuſquam ulla nux, nec tres lactis partes antequam lac ipſum, quod eſt cauſa materialis harũ partium, veluti nux olei. Eadem eſt ratio quatuor humorum in ſanguine, ex quibus ille non naſcitur, ſed hi per reſolutionem educuntur, quod ſanguis per generationem ex chymo talem indeptus ſit ſubſtantiam, quæ in hos reſolvi poſſit.

LXXX. Tria vero illa principia in Elementa quatuor demum reſolvi D. Senn. ipſummet fateri neceſſe eſt, quando adſtruit in ſe continere Elementa & eſſe prima miſta. Sed & eadem non eſſe ſimplicia & vera principia ipſi quoque chymici fatentur. Namque in ſale illi labore ulteriore inveniunt oleũ quod nominant ſulphur, & liquidum quippiam quod ſit Mercurius: *quid quod & ipſe D.S. conqueratur chymicos ſic ſua diſtinguere principia, ut nunc ſibi mutuo ineſſe dicant, & in ſale ſulphur & mercurium, in mercurio ſalem & ſulphur, & in ſulphure ſalem & mercurium, quo nomine Libavius chymicos etiam arguit inconſtantiæ.* Neque

negat

negat D. Sennertus, principia reſolvi in elementa, quia ſtatuit eſſe corpora perfectè miſta, in quibus quatuor elementorum δυνάμεις concurrant κατὰ μίξιν. Reſolvatur ſal in elementa, an non à prædominio dicetur terreus? & quomodo putabitur à terra omnino ſeparatus cum etiam poſt Chymicam ſequeſtrationem terreus maneat. Beguinus Tyrocinii lib. 2.c.6.inquit, *ſal conſtat ex partibus diverſis: terrea, ignea & aquea. Conſiſtentia & ſoliditas à terra, liquabilitas* ab aqua, mordicatio ab igne. Quid ipſa hac chymicorum confeſſione clarius?

LXXXI. Sed ad probandum principiorum trium veritatem (vanitatem) D. Sennert. adducit exemplum ligni accenſi. Lignum inquit, loco citato, viride igni admoveatur, flammam non concipit priuſquam aquea humiditas, aut ſecundum Chymicos mercurialis ſubſtantia exhalet: hæc ille: an itaque ligna ſiccæ ſtatim concipientia flammam, mercurio chymicorum & tertio principio ſunt deſtituta? an recentia continuo flammam recipientia, & quæ ſunt φλόγιςα & viridia abietis & pini noviter ſecta mercurio vacua erunt? Et num mercurius ſit aqua noſtra? quid eſt quod non loquitur cum antiquitate & ludit in vocabulis? At ne quiſquam opinetur è ligno viridi, nihil exhalare præter aquam, conſideret vaporem ex aqua illa reſolutum, quomodo mordicando oculos feriat. Et hæc eſt probatio aliquid aliud ex ligno prodire quam puram aquam; & aquam acrem eſſe mercurium.

LXXXII. Verum ipſe parum ſibi conſtat, quando paulò poſt in eodē capite cum reliquis Chymicis acrimoniā ſalino aſſcribit principio, mercurium vero

aſſerit eſſe ſpiritum æthereum, & eſſentiam elemento ſtellarum analogam. Nemo etiam tam barbarè rudis eſt, quin intelligat exhalationem non eſſe corpus ſimplex, ſed imperfecte miſtum, illamque acrimoniam non ex principio ſalino, ſed ea ratione qua eſt in fumo, ex empyreumate ab igne impreſſam. Subſiſte quæſo & audi Scalig. Exer. 9. *Qui fumus aſcendit is in ſe ignis habet plurimum. Non enim propter aquam, tanto minus propter terram, ſed neque ab aëre is fiet motus, in aëre enim eſt.*

LXXXIII. Eadem orbita progreditur ad demonſtrationem principii in eodem ligno ſulphurei, idque in hunc modum. Aqua ex humiditate Mercuriali abſumpta oleaginoſum & pingue illud inflammatur, & flammam liberiorem non ita fumo permiſtam concipit.

Quid inde exſpectabimus? num hoc ipſo demonſtrabitur ſulphureum in ligno principium? Nequaquam; ſed fumus & flamma docent, illud quod de principio igneo inerat, evocatum magiſque ad actum ſecundum eductum, id vero quod aëreum & pingue ſit accenſum in flammam verſum eſſe. Quælibet res juxta Scal. facile ignem recipit, vel propter affinitatem, ut ſulphur, vel propter ſymbolum, id eſt proportionem, ut arida: aëris enim multum intus habent, in quibus agnoſcas aptitudinem recipiendi, nempe ob raritatem: arida enim ſunt rara. Aut demum propter ignem internum: externi ſiquidem ignis receptio, internum ignem prodit, & diuturna ignis admiſſi retentio, ignis interni ſtationem declarat. Hactenus Scal.

LXXXIV. Quodcunque horum arripias, nihil eſt quod

quod pro confirmatione principii ſulphurei facit. Si ſulphur ideo igneſcit, quia igni affinis, ſeu ex igne conſtat plurimo, lignumque ex hoc concipiat alatque flammam, pro igneo concluditur principio non pro ſulphureo. Si vero triplex humidum Fernelianum agnoſcas in rebus, videlicet excrementitium, quod primo fervore ex ligno exſudat, vel aëreum vel oleoſum quod imflammatur, vel elementare, quo tantiſper cohærent carbones donec incinerentur, nihil aliud concluſeris, quam id quod aërum eſt promptè igneſcere, nec ſulphureum ſtabilies vel ſtatuminabis. Quæ enim ratio eſt, quod aëreum nomines ſulphureum, ea vel abſona vel nulla eſt. Id enim principii nomine venit, ex quo res ita componitur, ut in idem ultimò ſolvatur.

LXXXV. Sed quid reſpondebis Chymicis tuis ſulphur combuſtile vel inflammabile pro vero principio non agnoſcentibus? Gluckradius in notis ad tyrocinium Chymicum lib. 1. c. 6. ex fundamento anatomiæ vitalis aſſerit, eſſentiam ſpirituoſam omni heterogeneitate liberatam ex oleis elici, ut potius facultate ſua tincturali flammam exſtinguat quam concipiat, quocirca affectibus inflammatis commode adhibeatur, quibus alioquin pinguia omnia ſunt noxia. Imo ipſe Dominus Sennertus ait, pinguedinem & ſulphur non eſſe eadem cum ſulphure quod ſit principium chymicorum: quod ſpiritus vini ſui ſulphuris merito inflammetur, nec tamen ſit pinguis, cum tamen antea dixerit, id quod in ligno pingue ſit flammam concipere & eſſe principium ſulphureum. Ex quo ſequitur inflammationem eſſe verum indicem ſulphuris quod eſt principium Chymi-

 corum,

corum, & id quod pro vero habent Chymici non inflammari. Summa: ſulphur fœtidum narcoticum, quod non habet rationem principii ignеſcere & inflammari. Conciliet hæc ipſe, & ſe ſibi, & cum aliis.

LXXXVI. Nec minus operæ pretium fuerit, conſiderare ea quæ lib. 1. Chym. c. 2. Beguinus ſcribit: Obſervandum eſt (inquit) in ſpagyrica miſtorum ἀναστοιχειώσει, quod præter tria præcipuè duo alia reſultent corpora, quæ principiorum numero à Chymicis non adſcribuntur, quia illorum ſunt integumenta, omnique δυνάμει Hippocratica deſtituta, qualis eſt terra damnata, ſive cinis elotus, dictus caput mortuum: alterum phlegma inſipidum, nullius energiæ: Hactenus ille. Certum eſt aſſerente ipſomet D. Sennerto tria illa principia etiam eſſe miſta corpora: Ergo ex elementis conſtare: adhæc referunt artificio ignis & encheria è rebus extractos ſpiritus, olea aliaſque penetrantes liquores & eſſentias: quæ ſi ſint principia videlicet mercurius, ſulphur, ſal, ſeu fixum ſeu volatile, aut ex iis proximè conſtent necеſſariò adhuc in ſe continebunt elementa noſtra quatuor, eaque ſatis impura. Et ſi putent Chymici, aquam terramque plano ſeparatam, falluntur quam maximè. Spiritu enim Chymicorum quamvis ſubtiliſſimus, detinebitur in his inferioribus, quamdiu cæterorum gravium aliquid adhuc permiſtum fuerit: quod videre eſt in ſpiritu vini, qui quo craſſior eſt, eo accenſus & conflagrans plus relinquit aquei, quò ad aëream igneamque naturam propius accedit, & ſubtilior eſt, eò minus deponit. Movetur autem ſurſum ad locum ſibi naturalem, qui ſi

eſſet

eſſet aër, non moveretur in eo, poſſetque in eodem vel cum illo manere. Quod vero aëreí ineſt, vel in ignem verſum (cum omnia Elementa, quoad fieri poteſt, formam ſuam producant, ubi validiora ſunt his quæ ab iis patiuntur, teſte Scal. Exer. 9. fol. 51.) vel in aërem ſolutum, in aëre manet. Quinimò nec ipſe ignis, quamdiu videtur, aut urit, purus eſt, quod nec ſplendidiſſima flamma ſit impermiſta, verúſque ignis ſub ſua ſphera ἀόρατος, nec niſi denſatus vel mixtus viſum incurrat, quocirca etiam Ariſtoteli, ignis hac ratione definitur, corpus miſtum incenſum cujus ſpecies ſunt anthrax ſeu carbo, flamma & candela. Ex quo ſequitur præſtantiſſimorum Chymicorum ſpiritus & eſſentias, quò ſunt limpidiores & ſubtiliores, eò plus igneæ & aëreæ eſſentiæ habere, & ad eas proximius accedere, eſſe tamen omnes adhuc permiſtas, & ratione mixturæ & craſeos & ſyncriſis elementorum reliquorum hic adhuc detineri, à qua quo magis liberentur & ſeparentur eo proclivius reditum meditari ad ſuos, donec planè demum liberè ad eoſdem àvolent.

LXXXVII. Deinde liquidiſſime patet, quod veluti in hæc quatuor omnia alia generata & miſta abeant, ita his nihil prius, & ex his omnia eſſe primo orta, & in hæc omnia ſolvi. Craſſiora ſubtiliantur quamdiu ignem aëremque continent, *longaque eſt & multa reſolutio variè & accuratiſſimè miſtorum, priuſquam ad principia redeant.* Quamdiu enim aliqua ineſt rerum virtus, à miſtionis vinculis nondum ſunt liberæ eſſentiæ etiam limpidiſſimæ. Vti enim vires per formam & variam indicibilemque inerant miſtionis & temperaturæ idioſincraſiam, velut ſupra explica-

tum eſt, ita eædem in ſeparatis eſſentiis, ex elementorum mixtura adhuc conſtantibus, aliæ atque aliæ in extractis, ſpiritibus, oleis aut ſalibus, aut aliis remediorum ſimplicibus compoſitiſque hærent formulis, licet ipſa herba aut res chymicè ſit ſoluta. Magis autem aliæ vires manent cum extracto, aliæ cum ſpiritibus. Sunt etiam res quæ chymicè ſolutæ, quocunque ingenio etiam per ignis cultrum diviſæ fuerint, deliquium virium patiantur. Vires purgantium in vegetabilibus integris, & chymice non ſolutis plerumque ſunt meliores.

LXXXVIII. Ex quibus omnibus abundè patet, non tantum elementa noſtra quatuor, eſſe prima rerum principia materialia, unde cæteræ res omnes una cum chymicorum principiis tribus deſumptę ſint, ſed etiam ſpeciales vires rebus non ineſſe, quatenus talia habeant prima principia, quandoquidem ſi per hæc ineſſent, omnes omnium rerum vires, ſeorſim ineſſent principiorum alicui: quod falſiſſimum eſt, nulla ſiquidem tractiva ferri aut bilis uſquam ſeorſim ineſt, ſed per miſtionem elementorum atque inde reſultantes formas.

LXXXIX. Natura per varias miſtiones tendit ad formas ſpecificas, imò nobiliſſimas, quarum omni procul dubio præſtantiſſimæ ſunt facultates, quod largiantur eſſe ſpecificum & proprias qualitates. Et ut res ſe habet in eſſe ita etiam in operari. Non vero producit eas natura niſi per varias miſtiones, ſub variis etiam formis præeuntibus, donec aliter atque aliter paratæ, ad eam demum perveniant, quæ nobiliori commoda ſit, ejuſque capax, tum pro ſubjecto tum ut ejus temperamentum ipſi pro inſtrumento

pro-

proximo dignè inſervire queat. Ex quo etiam adſuperfluum patet, non eſſe nova quærenda principia, ſi rerum vires primorum conditionem ſuperantes, primis non inſint, quodque chymicis ſolutionibus, quo magis ad principia prima penetremus, mixtique rationem in rebus deſtruamus, & formis ſuſtinendis ineptiora reddamus, eò nos gnavius ſpecificas rerum vires ire perditum.

Opinio nugigerulorum chymicorum aliquid loci inveniret, ſi probare vel perſuadere poſſent, quatuor noſtra elementa eſſe puras thecas & matrices quintarum eſſentiarum, & has quas ita nuncupant, nec ex iis prognatas eſſe, nec in ea demum ſolvi.

XC. Sed redeundum eò undè excideramus & ductu Clariſſ. Sennerti examinanda de tribus principiis opinio. Suum ille axioma quo omnia ex tribus conſtare, & in ea demum reſolvi, & explicare preſſiuſque confirmare, & probare pergit. Tria pro principiis ſuis porrò adſtruendis adducit fundamenta: primum eſt in inquiſitione principiorum, non eſſe reſolutionem faciendam ad elementa prima, quandoquidem Chymicus *non ſemper* eò procedat. Reſpondemus non convenire ei nomen principii, quod non in generatione rerum ita primam præſtet materiam, ut ab ea incipiat natura res per miſtionem producere. Deinde non ſunt ex functione Chymici exiſtimāda principia, ſed ex naturæ univerſalis operatione, ubi attendendum, quænam illa aſſumat primò principia & in quæ ultimò reſolvat. Chymicus enim etſi nunquam pervenerit ad ultimam ſolutionem rerum, tamen ſtatuendum eſt, eſſe principia illa prima in quæ natura ultimam facit ſolutionem. Si denique

ex progreſſu ſolutionis Chymicorum pendet ratio principiorum inveniendorum, atque illi per neceſſitatem in illis tribus ſubſiſtere cogerentur, hæc qualiacunque, ſed tamen chymiæ, qua artis talis, duntaxat principia forent, cum verò ulterius procedit vel procedere poteſt, & ad ultimam reſolutionem quodammodo pervenire, quatuor omni jure pro veris principiis erunt recipienda.

XCI. Nec obſcura laborare videtur falſimonia aſſertio D. Sennert. qua ille pyrotechniæ opera res omnes in ſal, ſulphur & mercurium, ſeu tria illa principia reſolvi poſſe, aſſerit. Metalla enim imperfecta ſaltem in ſcorias & fuliginem converti, perfecta nuſquam recte ſolvi poſſe his aſſerit verbis, Clariſſimus D. Antonius Gunther lib. I. obſerv. chymiatricar. cap. IV. In fœlix artis *culter, cætera ſatis acutus, cum in metalla ſtringitur, quum in aquam, oleum, ſalem, quum in hydrargyrum & ſulphur metalla diſſecare aggreditur, plumbeam habet aciem: & eo uſus, quiſquis ille anatomicus, dum deſtruit metalla conſtruit: dum ſeparat confundit: nihil detrahit metallis, ſed multum addit, nec niſi quod prius attulerat, refert. Corpus putat eſſe quod umbra eſt: nec cum ratione operatur, ſed aut inanes nugas agit, aut præſtigias turpiſſimas. Quas ingenioſa reductio, uno omnes ſpiritu difflat; cujus beneficio metalla à peregrinarum materiarum adulterio, mangonio, involucro, complexu vindicantur, atque in integrum reducuntur.* Vide ipſum ulterius auctorem & præclaras ejus rationes.

XCII. Secundum D. Senn. fundamentum eſt, quod cum duæ ſint materiæ, in quas res omnis reſolvitur, immanens & tranſiens, reſolutionem fieri in rem

imma-

immanentem non tranſeuntem. Tertium: rem quamcunque reſolvi in ea ex quibus actu exſiſtentibus tanquam partibus materialibus compoſita eſt, non vero in hæc ex quibus per ſubſtantialem materiæ transmutationem generata eſt.

XCIII. Hæc fundamenta ut philoſophicæ diſquiſitioni ſubjiciamus, primò materia prima accuratè diſpicienda: quam negare eſt rerum omnium mutationem & generationem è natura tollere, & philoſophiæ barbariem inducere, qua de re poſtea latius. Materia, inquam prima, & formarum conditio eſt inſpicienda. Vulgatum eſt apud philoſophos, materiam primam non eſſe qualem, neque quantam, & eſſe ingenerabilem & incorruptibilem, & meræ potentialitatis vagæ remotiſſimæ, indeterminatæ & non miſcibilem.

XCIV. Formæ in quadruplici ſunt differentia: *primi generis* ſunt intelligentiæ vel angeli, qui ſunt planè actus ſubſtantiales, nullam reſpicientes materiam. *Secundi generis* ſunt ſeparatæ & incorruptibiles, nec ex materiæ potentialitate emergentes, talem nihilominus reſpectum habentes ad eadem, quod ſint actus & formæ corporis phyſici. *Tertii generis* ſunt formæ prorſus materiatæ, adeo ut cum ex potentia materiæ educantur, nunquam ſine ea eſſe poſſint & ſunt corruptibiles, ita ut una harum corrupta, protenus ſuccedat altera, actum corruptæ in materia ſupplens, ſiquidem illa ſuis formis nuda exſiſtere nequeat. Non itaque manet in miſto vel genito corpore actu, ut materiæ vicem gerat ſub dominio alterius potioris formæ. *Quarti generis ſunt quæ adeo materiæ inhærent*, ut ab iis nunquam ſint liberæ, &

nullibi

nullibi eadem ſit niſi primò ſub his,& hæ nullibi exſiſtant niſi primò in illa. Hæ formæ uti ſunt miſcibiles & diviſibiles (accidentaliter) propter materiam, cui tam arctè inhærent, ita adveniente alia nobiliore forma non recedunt, ſed de naturæ neceſſitate permanent. Tales vero ſunt formæ Elementorum.

XCV. Materia prima omnis qualitatis expers, nullum ad ullam formam rerum miſtarum habens reſpectum, nullius quoque capax erat formæ ante diſpoſitionem ad formam. Diſpoſitio oritur ab accidentibus & qualitatibus quibus determinatur: *accidentia non reperiuntur niſi in ente actu. Proinde actuari oportebat materiam actibus adeò generalibus, ut cæteris præſtantioribus omnibus vicem materiæ ſecundæ præſtare poſſet.* Atqui tales formæ ſunt Elementorum. Harum eſſe & actus hic eſt, quod materiam primam faciunt aptam receptioni formarum, hoc eſt actu illam faciunt materiam, quæ alioquin erat in potentia remotiſſima, & ſpecialem eſſendi gradum & quantitatem & dimenſiones, quæ omnia ſe tenent materialiter, conſtituunt, differuntque à formis rerum miſtarum, quod illæ non faciant ut prima ſit actu materia. *Debent autem hæ elementorum formæ adeo arctè ineſſe materiæ, quod recedentibus aliis miſtorum formis, cum eâdem manere poſſint, quia nullibi materia ſine formâ eſſe vel exſiſtere queat.*

XCVI. Et licet *intus habens prohibeat alienum*, tamen elementorum formæ, non ſunt aliis formis impedimento, quia eis materiæ minus præſtant. Ac quamvis proprium efficiant ſuppoſitum, peculiarem ſpeciem, debitam quantitatem & dimenſiones, non tamen ut reliquæ formæ perfectiores id præſtant in

miſtis,

miſtis, niſi dum quodque ſuo jure per ſe exſiſtens mundi inferioris partes conſtituat. Elementorum enim materiis forma data eſt, ut accidentibus propriis, ad altiorem formam diſponerentur. Quocirca non debuere eorum formæ corrumpi, quod ex his & materiâ primâ, fit materia miſtorum formis idonea. Actus enim elementorum eſt contractus ad eſſe materiæ, neque rejicit aliam formam, ſed miſcibilem facit, & in potentia proxima ad tales formas, quas ſine illorum actu recipere non potuiſſet, conſtituit.

XCVII. Conveniunt autem hæ Elementorum formæ in eo quod omnibus ſuppoſitis ſuis præſtent generica ratione ſpeciem materialem, ut materia prima miſtis hac ratione proxima ac quaſi generabilis & corruptibilis fiat. Et licet ſint actus revera ſpecifici in ſe, materiam tamen primam contrahunt & ſpecificant ad eſſe proximum miſtis. Quocirca formæ elementorum non repugnant formæ miſti, verum illi præſtant materiam, & ſunt veluti diſpoſitiones neceſſariæ ad illam conſequendam, & veluti ex materia prima, non poterat fieri generatio rerum, niſi mediantibus elementorum formis, eorumque qualitatibus, & horum etiam opera ſunt innata intrinſecus corruptionis miſtorum principia (fit enim uti dictum horum merito materia tum generabilis tum corruptibilis) ita neceſſum eſt formas elementorum ſub omni generatione & corruptione miſtorum manere. Vt enim ſine eorum per inſtrumentum qualitatum opera, nulla res generatur, nec corrumpitur, ita ſi non manerent illæ in materia generabili, ſed re corrupta una perirent, nulla fieret iterum

rum generatio, nec unius corruptio foret alterius generatio. Quia vero omnis generatio perficitur munere qualitatum elementarium, atque hæ à formis proximè dependeant, neceſſum eſt elementorum formas mixto ſoluto manere, cum ob generationem continuandam, tum quod materia prima ſtatueretur nuda, qualis per naturam exſiſtere nequit.

XCVIII. Ex quo ſole meridiano clarius patet, quod omnis generatio rerum ſit ex Elementis tanquam materia ad generationem miſtorum proxima, & fiat opera qualitatum elementarium, & cum primis caloris ut primarii efficientis: & omnis corruptio generationi contraria, fiat & in hæc & harum qualitatum merito. Et quod, veluti omnino neceſſum ſit, in rerum generatione formas elementorum non perdi, ita in corruptione (niſi eadem ſit cum nova rei miſtæ generatione conjuncta, ubi non eſt totalis corruptio) qualis eſt putredo κατ᾽ ὅλυ, ſemper fieri reſolutionem ad prima elementa. *Quæ reſolutio rerum principia genuina & prima verè demonſtrat.* Vbi ſtatim patet, quod quando reſolutio non fit ad prima elementa, vel cum ſit conjuncta cum nova generatione alicujus rei vel nobilioris, ut quando ex ovo fit pullus, vel deterioris, cum ex carne putreſcente fit vermis, non eſſe ſolutionem in vera principia.

XCIX. Vt omninò commentum ſit, rem reſolvi in tria principia hypoſtatica, formales rei virtutes habentia. Hæ enim ſequuntur mixtionem elementorum, & formas inde natas, quocirca his perditis illas ſupereſſe non poſſe æquum eſt. Res patet in exemplo:

emplo: In ſale Rhabarbari ſtatuunt vim purgandi Rhabarbari ineſſe. Atque hæc inerit vel per formam Rhabarbari, vel per ipſum ſal, quatenus ut principium & materia univerſalis concurrit ad conſtitutionem Rhabarbari. Si hoc ſit, tum omni ſali, ut principio univerſali, conferenti virtutem toti inerit, & hoc pacto quodcunque de iſto ſale participat, purgabit ut Rhabarbarum, & ſic ſal cichorei, roſæ cæterarumque rerum omnium erit ſpecificum purgans. Quamdiu vero res quæpiam ſpecificam integrè & omnimodò habet virtutem plantæ ſuæ ſpeciei, necdum periit forma, etiamſi res jam penitus reſoluta videatur. Rhabarbarum donec purgandi vim habet, ſub quacunque ſit figura medicamenti, ſeu extracti ſeu alterius, formam, quæ cum aliqua temperamenti latitudine conſiſtere poteſt, nondum depoſuit, etiamſi ejus ſubjectum materiale adeò laceratum & violatum ſit, ut ineptum ſit totum ad longam vel conſervationem vel ſpeciei propagationem.

C. Cæptum in modum nonnihil examinemus ſalinum illud principium. Quercetanus in defenſione Herm. philoſ. etiam in ſale manere formam ſpecificam mordicus contendit: quod ſi verum ſit, fruſtra tria ſint principia, fruſtra fiat miſtio; & cum nulla recipiatur & inſit forma, niſi mediante commoda rerum diſpoſitione, nullaque fiat diſpoſitio ſubjecti, niſi per miſtionem & temperiem inde ſubſequentē, mixtio vero ſit plurium, forma miſti ſpecifica, in uno miſtionis principio, totam miſti naturam & complexionem non habente, permanere nequit. Quinimò de naturâ elementorum eſt; habere materiam ſimplicem

plicem & unam pro ſuppoſito, de miſtorum vero, habere compoſitam ex Elementis, non uno ſed omnibus. Poſſent enim alioquin æquè res omnes fieri ex una materia, quam principia ſeu elementa rerum. Sed hæc & alia chymiſtarum abſurda, corrumpere ſanam philoſophiam, ejuſque veritatem contaminare nata ſunt.

CI. Ex his etiam liquet quid ſtatuendum ſit de iſto fabulamento, quo mentiuntur ſeminato herbarum ſale, naſci herbas ejus generis, cum in uno ſolo principio ſimplici non miſto, nec potentia ſit (quæ ineſt per proximam ex miſtione diſpoſitionem) nec inſit forma, quomodo ſequetur generatio homogenea? vel an palingeneſiam reducere tentant? Res proinde quælibet, in quamcunque medicamenti formam redacta fuerit, ſive ſpiritum, quem mercurium vocant, vel prout nominare volent, vel extractum, quamdiu ſpecificam habet virtutem etiamſi in tenuem fuerit eliquata eſſentiam, nondum perdidit formam, vel, quod ultimum eſt, vires ſi quæ à forma reſtibiles in temperie quodammodo ſuperſtite obhæreſcere poſſint.

CII. Reducemus vela ad propoſitum ſcopum à quo nonnihil deflexímus. Cl. S. dicebat, ſolutionem rerum fieri in principia materiæ immanentis, hoc eſt quorum formæ ſubſtantiales in miſto non pereant: & fieri æquum eſt: *quorum enim formæ pereunt, in ea reſolvi nihil poteſt tanquam in principia.* Subſumo: Omnes formæ quas materia ſuſtinuit, priuſquam exſiſtentialem ultimatam obtineret, exceptis ſolis quatuor elementorum, diſpereunt in reſolutione: imo ſubſiſtere non poſſunt veniente ſpecifica, niſi ſolæ elemen-

elementorum, quæ idcirco à natura erant conditæ, ut iis mediantibus & immanentibus rerum generationes continuaret: *ſiquidem ſinè illis nec generatio nec corruptio. Proindè certum eſt nullam formam materiatam ſub ſpecifica alia forma manere in miſtis, quatenus miſta homogenea ſint, præter formas elementorum. Nequeenim nobiliores formæ manere, neque materiæ vicem & naturam tantiſper induere poſſunt: neque adeo arctè materiæ ſuæ inhærent ut cedere non poſſint; quamobrem alteri venienti neceſſario cedunt.*

CIII. Cum natura intendit formam exſiſtentialem valde nobilem, tunc materiam in qua ſemper & neceſſario manent formæ & qualitates elementares, variarum diſpoſitionum & formarum interventu, quas velut prævias præparationes multifariam interponit, ſuppoſitum facit, ut eam digne expoliat & idoneam ad receptionem conſtituat: *Ab extremo in extremum ſine mediis præparationibus non fit tranſitus.* Formatura pullum, ex elementis, & alimentis elaborat cibum, chylum, ſanguinem, ſemen, ovum, undè pullus. Neque tamen omnium harum formarum intermediarum ulla, excepta diſpoſitione, per quam inerant, manet in re, aut tranſit ſub formam ultimatam & exſiſtentialem: imo nulla primorum miſtorum forma perdurat, ſolæque formæ elementorum cum ſuis qualitatibus & corporibus, varias has mutationes ſubſtantiales paſſis, remanent ſub extrema ultima exſiſtentiali forma, propter quam tot miſtiones & miſtorum recuſiones intercedebant, ut ex hoc commodum domicilium habere poſſet.

CIV. Vnde ſequitur quod omnia miſta ſint materiæ tranſeuntis, quodque illa corpora, quæ in re-

ſolutione inveniuntur ultima ſint materiæ immanentis, quia in reſolutione ſeu corruptione rei ſupermanent, & in alia ſpecie diverſa amplius ſolvi nequeunt. Quodque omnes formæ quæ ſunt inter Elementares & ultimam exſiſtentialem ſint materiæ tranſeuntis, ad quam cum diſpereant, nec etjam in remiſtione maneant, aut ultimæ materialiter, aut ut materia ſupponantur, res reſolvi nequeat. Semen non reſolvitur in ſanguinem, chylum, alimenta, fruges, ſed ſi corruptio ſit κατ' ὅλα & non cum nova generatione conjuncta, in prima elementa fit diacryſis. Vnde liquet tria principia chymicorum eſſe materiæ tranſeuntis, & neceſſario reſolvi in alia quatuor, & conſequenter hæc vi Sennertiani axiomatis eſſe vera & prima principia.

CV. Summa: *illa ſunt vera principia, quæ facere materiam primam actu miſcibilem, quorum formas de neceſſitate oportebat adeo arcte ipſi inhærere, ut nulla vi naturali, nullaque ſolutione ab ea penitus ſeparari poſſint, ſiquidem illa nec ſine horum qualitatibus miſcibilis fieri poterat. Vt itaque rerum miſtarum formæ ſibi ſemper cedunt cum natura per variarum intercidentium formarum productionem intendit nobiliorem ultimatam, ita hac ultima vel alia mediata pereunte, res neceſſario in prima Elementa reſolvitur.*

CVI. Neque eſt quod ludamus vocabulo principii & ita lectori vel ſtudioſis adoleſcentibus imponamus. Illud immobile eſt æternæ veritatis axioma, *quod nulla fiat vera generatio niſi per principiorum generandæ formæ materiam præbentium miſtionem.* Atque ita omnem generationem præcedit miſtio,

qua

qua fit debita ad formam, quam natura intendit, præparatio. Atqui miſtione fit ut quælibet pars miſti ſit homogenea, unamque naturam & definitionem ſortiatur cum toto miſto, ex quo evidenter ſequitur, *quod omnis generatio primò & propriè partibus conveniat homogeneis:* quod diligenter notandum.

CVII. Quando itaque generatur corpus organicum, vel aliud quod in diverſas partes ſolvi poſſit, tunc homogeneæ partes aliæ atque aliæ & inter ſe diverſæ naturæ velut in animabilibus venarum tunicæ, oſſa, caro &c. primo, vel ſimul cum toto, ut quando cum ſanguine ipſo, quatuor ex quibus conſtituitur partes una ex chylo generantur. Vera proinde generatio & corruptio naturalis, ſeu ſolutio in principia, de qua hic eſt quæſtio, competit rebus quatenus per miſtionem veram ſunt generata & miſta homogenea, (uti enim res quæpiam coaleſcit ita & ſolvitur) non quatenus ex miſtis pluribus diverſæ naturæ compoſitum & integrale conſtet corpus. *Et velut generatio ſemper partium eſt homogenearum, iiſque primo competit, ita etiam corruptio.* Neque eſt quod objicias, corrupto animali, reſolutionem fieri in venas, arterias, nervos, carnem, quæ vocant principia vel elementa corporis (ſed abuſive) & non in prima quatuor Elementa, quod æque verum hic ſit tam generationem quam corruptionem animati corporis, quatenus eſt animatum, in miſti homogenei corruptione conſiſtere. Siquidem calidum innatum in quo vita, & quod proximum animæ inſtrumentum eſt, & toti corpori diverſarum partium temperiem quaſi uniformem largitur, corpus eſt ex

elementis natum, quod ut animans pereat, primo interire neceſſum eſt.

CVIII. Hoc perit vel κατὰ σβέσιν per oppreſſionem vel ex contrario frigore, vel κατὰ μάρανσιν idque vel violenter vel naturaliter humido ſuo depaſto, interitque ut ex elementis miſtum & in ea reſolutum, uti omnia miſta per corruptionem caloris & ſeparationem humidi à ſicco. Atqui hæc eſt animantis uti animatum eſt vitale, interitus. Reſtat corpus exanime quod cadaver vocamus: in hoc recedente anima & corrupta temperie univerſi ſeu totius, ex caloris nativi, qui toti dominabatur & vitam largiebatur exſtinctione, omnes cæteræ partes homogeneæ fiunt ſui juris, alteraque ab alia, non directa & colligata amplius opera & vinculo caloris nativi univerſum quaſi unius natura eſſe facientis, diſſolvuntur, remanente tamen aliquandiu illa miſtione & tẽperie, qua mediante, ut homogeneæ primitus erāt natæ. Verum cum harum calor ab innato defendebatur, (erant enim natæ & deſtinatæ, ut eſſent partes corporis animati) & nunc hac ope deſtitutæ, nec ſe, nec ſuarum partium ſyncriſm amplius tueri poſſunt, demum in corruptionem abeant, & in elementa prima quatuor revertuntur, idque ſerius pro miſtionis & durabiliorum elementorum menſura & mole qua participant.

CIX. *Ergo ratum eſto, generationem & corruptionem primò competere miſtis homogeneis ſivè eæ inſint animanti, uti eſt animatum & vitale, velut calidum innatum, ſivè, ut cætera partes ſolidiores homogeneæ per ſe, & inter ſe diverſæ naturæ.*

CX. Principia, uti crebrò jam dictum eſt, miſcentur

tur ut fiat generatio, quæ perficitur acquiſitione formæ, propter quam indipiſcendam apta perficiebatur per miſtionem diſpoſitio, quâ mediante illa tam acquiritur quam conſervatur. Verum enim vero omnis miſtio fit operâ caloris unientis & determinantis & colligantis humidum cum ſicco, talemque temperiem tribuentis, ut & forma introduci & manere poſſit. Quocirca cum corruptio ſit generationi contraria, res quælibet contrario, quoad generationem ferebatur, modo corrumpetur & interibit, calore non amplius ſyncryſin humidi cum ſicco conſervante, nec diſpoſitionem, & temperiem formæ retinendæ aptam amplius conſtituente. Vnde omnis corruptio fit, perdito, qui pro generanda re miſtionem fecerat, generatamque conſervabat, calore. Calor vero non miſcet alia corpora quam elementaria prima (uti ſæpe dictum & probatum) aut quatenus ex elementis conſtabant. Solæ enim primæ qualitates, non aliæ ad miſtionem concurrunt: ſolæ illæ primæ primis quatuor illis inſunt, quod in diſput. ſequentibus luculentius demonſtratur.

Quocirca irrefragabiliter verum eſt ſolas primas qualitates eſſe omnis miſtionis & corruptionis proximas cauſas: non vero miſcent corpora à quorum intima natura non dependeant nec aliena, prorſuſque ab elementis & toto genere diverſa: fit enim miſtio per contrariorum temperationem, opera & directione caloris dominantis. Nam quomodo corpora miſcerentur, quibus partim vel non inſit calor innatus miſcens, & quæ calidi dominium & determinationem non recipientia ſint ab elementis toto

genere diverſa. *Nequaquam igitur tria chymicorum principia ad miſtorum materiam concurrere poſſunt, ſi non ſint ex elementis compoſita, quia hæc materiam primam miſcibilem faciunt, & faciunt ut res miſceantur & per miſtionem generentur.*

CXI. Deinde ſequitur, quod cum nulla res generetur niſi ex elementis, nulla quoque reſolvatur ultimo niſi in elementa, & quod omnium rerum miſtarum & per miſtionem genitarum materia ſit ex Elementis, earumdemque ſolutio & corruptio fiat in Elementa ut mera ſit illuſio & ſeductio juventutis, adſtruere vel dicere , tunc fieri ſolutionem in Elementa vel principia, cum humanum corpus in carnem, venas, arterias & nervos, lac in ſerum, butyrum & caſeum, ſanguis in quatuor humores ſolvitur, & arte ex re quapiam analogum quoddam ſulphur, mercurius & ſal educitur, reducitur. *Quæſtio erat annon hæc omnia primo ex elementis quatuor ſint generata, & in eadem ultimo reſolvantur.*

CXII. Neque eſt quod hic diſtinguant Chymici vel Paracelſici dicendo , ſe non agere de principiis omnium primis, ſed talibus quorum merito inerant rebus omnibus energiæ & virtutes. Nunquam illi probabunt, & contra ſanam eſt philoſophiam , virtutes rerum, quæ primorum quatuor Elementorum tum ſimpliciter tum variè miſtorum conditionem excedunt, ineſſe propter principia materialia, quod hoc pacto rerum formæ ocioſæ & inutiles forent, cum tamen maximè energetica ſunt principia & mirabiles atque occultæ qualitates earum vi generentur in materia, eaſque ſequantur, & fruſtra ſit omnis miſtio, novaque qualitatum toties variata temperies.

peries. Vel enim tot ſunt ſtatuenda principia materialia quot rebus diverſis diverſæ novæquæ inſunt vires: (ſiquidem magnes non per tria chymicorum trahit ferrum, nec Rhabarbarum bilem, aliaque innumera alias habent vires majores quam ab iis accipere poſſunt) vel dandum quod omnes virtutes elementis eorumque efficacia ſuperiores, qualitateſque quales actu non inſunt, ex potentia eorum, opera generantium formarum educatur. *Et cum omnino verum ſit, miſtionem & generationem competere propriè partibus homogeneis, ſequitur etiam non eſſe ſolutionem veram, cum res dirimitur in partes integrales,* veluti cum domus in ligna & lapides, ſanguis in quatuor humores, corpus animatum in partes ſimilares & organicas: accidentalis hæc non eſſentialis eſt rerum ſolutio, ſi prima, ex quibus primitus coaluerunt, ſpectemus principia.

CXIII. Clariſſimus D. Senn. progreditur in probatione ſuorum principiorum reponendo, rem quamcunque reſolvi in ea, ex quibus actu inexſiſtentibus tanquam partibus naturalibus compoſita eſt, non autem in hæc ex quibus per tranſmutationem materiæ generatæ eſt. Quamobrem diſtinguit materiam in immanentem & tranſeuntem. Illa conſtat ex partibus inexſiſtētibus; *atqui hæ non ſunt eſſentiales ſed integrales rei partes, & ex his res non generatur, ſed componitur:* Non ex illarum miſtione res generatur, ſed juxta poſitione vel compoſitione oritur totum vel integrum. Miſtio & miſti generatio eſt partium homogenearum & ſimilarium, & ex primis ſemper elementis, vel ſimpliciter & variè miſtis remiſtiſque & temperatis: *unde Zabarella ait miſti rationem in*

 ſolo

ſolo ſimilari conſiſtere. Cum itaque principia Sennertiani ſint corpora miſta, nec ſimplicia prima, conſtituantque partes materiales actu inexſiſtentes, neceſſum eſt ei generationem fieri, per partium integralium & miſtarum juxta poſitionem & compoſitionem, qualiter ex nervo oſſe & carne, cæteriſque ſimilaribus fit crus vel brachium. Et rerum corruptionem ac ſolutionem in partes componentes & integrales, ut cum corpus humanum ſolvitur in venas, arterias, oſſa, carnem, nervos: lac in ſerum, caſeum & butyrum. Atque uti hæc non erant vera Elementa, ſed corpora miſta ex Elementis compoſita, *ita neque hæc eſt eorum in vera ex quibus tanquam principiis conſtant, ſolutio.*

CXIV. Sed huic rationi fortè vult occurrere cum ſubjungit: corpus naturale miſtum quodvis reſolvitur in elementa, reſolvitur in principia, quæ licet alterentur in miſto, non tamen plane abolentur, ſed uniuntur. Alterari concedimus, nec aboleri credimus, alioquin non miſcerentur, actu tamen inexſiſtere, vel exſiſtentialiter immanere negamus, quia non tantum juxta qualitates alterari, & elementa miſceri debent, ſed etiam formæ ſic edomari ac veluti refrangi, ut materiæ vicem induant, nec actus rationem in hoc caſu tueantur, ſeſeque ita nobiliori formæ miſti ſubmittant ut quælibet & vel minima hujus particula, ſit ejuſdem naturæ & eſſentiæ cum toto (qualiter in oſſe quælibet particula os eſt) neque ulla pars dici poſſit terra, aqua &c. ex quibus tamen univerſa ejus materia univerſim conſtet. Et neceſſum non eſt actu immanere elementorum formas, quod eorum ſoluta ſyncriſi, & abolita cui ſub-

ſtabant

ſtabant & ſubjugabantur forma nobiliore, ad priſtinam naturam redeant.

CXV. Non abs re hic refertur quod lib. de Gal. cum Chym.conſ.& diſſ.c.18.fol.984. ſcribit: ſecundum Gal. miſta ſunt duplicia: diſſimilaria quæ diverſas qualitates in diverſis pártibus obtinent, & ſimilaria ac vere miſta (nota hoc: nam diſſimilaria non conſtant ex ſimilaribus per miſtionem ſed compoſitionem) quæ ex miſcibilium alteratorum unione conſtituuntur. Hæc qui ſolvit, ille vires miſti perdit; at illa qui ſolvit, omnes vires non perdit, ſed cum quælibet pars peculiares habeat, ſeorſim eas exhibet. Neque enim ſemper fit reſolutio ad prima Elementa, ſed ſæpe in proximis principiis ſubſiſtimus. Quid inde ſequitur? nihil aliud quam diſſimilares ſolvi in ſimilares diverſæ inter ſe naturæ, & ſimilares eſſe proxime ex Elementis, omniumque virtutum fundamenta, quod iis ſolutis vires omnes peſſum eant. Conſtant verò ſimilares temperie & unitate, neque ex aliis miſtis, ſed primò ex Elementis, licet per varias precedentes miſtiones ex iis generentur. Vnde Gal.lib.3.de ſympt. cauſis c.1.inquit, læſa temperie lædi facultatem in eſſentia, morbo organico eandem impediri: Et Crato in Conſil. Imbecillitas eſt intemperiei ſoboles; roboratio vera eſt temperiei reſtitutio. *Uti itaque diſſimilares partes non ſunt vera rerum elementa vel principia, ita ſolutio corporum in eaſdem non eſt vera in prima Elementa vel principia ſolutio.*

CXVI. Demum rem aliquam ex actu exſiſtentibus partibus generatam eſſe & conſtare, adeò ut partes ſuis integris formis actuantibus, & rei virtutem

primariam, ſeu ſupra Elementarem conditionem conciliantibus materiam conſtituant, multa importat inconvenientia. Corpora enim perfectè miſta forent entia per accidens ex tribus formis ſuarum partium materialium & una propria conflata, neque unum actu; ſiquidem ex ſpeciebus diverſarum formarum, non unum eſſentiale, neque ex tribus entibus actu perfectis, unum actu fieri poteſt.

CXVII. Vti Elementorum formæ adeò arctè inhærent materiæ, ut ab ea ſeparari nequeant, propterea quod illa nuda nuſquam exſiſtere poſſit, eandemque miſcibilem faciant, ita Elementorum corpora ad rerum generationem miſtione prævia, in qua formarum non fit abolitio (nulla enim ſic fieret miſtio aut miſtorum unio) ſunt ordinata, & ſic conſtituta ut ſint in potentia ad formam ulteriorem, ſeu actus materiales & potentiales (ut cum philoſophis loquamur) ſubordinati alteri formæ. Formæ ſunt ratione materiæ primæ & tamen ſunt in potentia ad formam ſubſtantialem ſuperiorem advenientem. *Atque hæc eſt primorum Elementorum verè miſcibilium, & miſtis omnibus materiam ſuppeditantium conditio & proprietas, quæ nulli alteri rei forma prædita unquam convenire poteſt.*

CXVIII. *Ex miſtis nequaquam ita quicquam generari poteſt per miſtionem, ut miſtorum ſerventur in genito formæ actu inexſiſtentes: omniſque miſtæ rei forma ſpecifica, ſuccedente & veniente alia neceſſario cedit, nec plures poſſunt eſſe in miſto quatenus miſtum eſt formæ. Ex pluribus entibus in actu non fit unum per ſe juxta* Ariſt. 7. metaph. *Ergo principia chymicorum miſta actu*

actu non manebunt in miſto, aut miſtum non erit vere unum. Deinde *omne quod ſupervenit enti actu exſiſtenti eſt accidens. Nam ex actu & potentia fit unum per ſe, non ex ente per ſe & ex verò actu. Qualibet forma ſubſtantialis principiorum Paracelſicorum jam miſtorum conſtituit ſuppoſitum. Ergo ex his compoſitum & generatum unum erit tria ſuppoſita, vel unum & idem ſuppoſitum eſt diverſarum ſpecierum.*

CXIX. Sed demum concludamus: principia Sennertiana concurrunt ad generationem, ut per eorum miſtionem prębeant materiam rebus generandis, vel ut ſint partes integrales in genitis. Non concurrunt ut materia miſtionis, quia vel ſunt omninò alterius generis ab elementis primis, & ſic miſceri nequeunt, *quia qualitates elementares ſunt proximæ & neceſſariæ cauſa miſtionis*, ut in ſequentibus latius demonſtratur: vel ſi unius ſunt naturæ cum elementis, & ex his genita per miſtionem, ac corpora miſta, *non poſſunt aliam ſuppeditare materiam rebus quam qualem habent ex primis elementis: ſolæ enim elementorum formæ manent in miſtis quatenus miſta ſunt, & elementa ſubmiſſis actibus ſuis potentialitatem quandam induunt, quod nullæ miſtorum faciunt formæ ſpecificæ.* Hæc veniente alia nec manere neq; materiæ vicem *in miſto homogeneo quatenus miſtum eſt, ſubire queunt.* Si ut partes integrales vel diſſimilares, conſtituunt materiam rerum miſtarum, tum corpora ſimpliciter miſta & inorganica diſſimilaribus partibus carentia, non fient ex iſtis principiis, & organica vel diſſimilaria actu conſtabunt & conferruminata erunt ex ſale, ſulphure & mercurio, uti corpus humanum ex venis, arteriis, oſſibus, nervis &c.

CXX. Si

CXX. Si opponas ex loco citato Gal. miſta quædam conſtare ex partibus quaſi diſſimilaribus, veluti Rhabarbarum ſubſtantia tenui & craſſiore, opium amara, & frigida, nihilominus tenendum, omne diſſimilare conſtare ex ſimilaribus, & hæc eſſe homogenea, ex primis elementis primò genita quæ uti per miſtionem primorum primò ſunt generata, ita etjam prima ſunt facultatum in rêbus miſtis ſubjecta & fundamenta, veluti ante vel ipſo Cariſſ. D. Senn. teſte probatum eſt.

CXXI. Hactenus ſolidis è priſca philoſophia fundamentis demonſtratum eſt, *tria illa principia non eſſe vera elementa, nec principiorum nomine digna, nec res omnes ex iis conſtare, nec omnibus ineſſe, & ſi quæ ea ſunt vel inſunt, ex noſtris quatuor elementis primo conſtare.*

CXXII. Et demum meram eſſe illuſionem & impoſturã ea principia quæ chymici pro artis ſuæ ſubjecto habent, ejuſque elementa, ſumpta ſibi iſta loquendi libertate nuncupant, velle obtrudere & ingerere in philoſophiam & medicinam pro elementis univerſi: quandoquidem nec ipſi Chymici cordatiores & doctiores pro talibus ea habeant, ut materiæ, quam artis ſuæ, *in qua operatur ſubjectum conſtituunt, vere ineſſe, ſed analogicè plerumque reperiri, dictitent & arbitrentur.*

FINIS.

Theſ. hæc 17. ſuo loco inſeratur à benevolo lectore.

De Elementis quatenus ſunt principia materialia, omnis noſtra eſt quæſtio & diſputatio. Hæc rebus

bus omnibus materiam dare, ex horum mixtione ſuperveniente forma altero diviniore principio res omnes generari palam fatetur. Nulla res generatur niſi per miſtionem, ſola elementa ſunt materia miſtionis, & conſequenter omnium rerum per miſtionem generandarum & genitarum, conſtituuntque cum forma & perficiunt omne corpus ſublunare. Ad quid igitur opus tria alia rerum generandarum cum Paracelſo & novatoribus accerſere univerſæ generationis principia materialia? Cum itaque nec materiam, ut Elementa ad miſtionem, miſtique generationem ſuppeditent, nec ex iis vel miſti uti miſtum eſt, nec ſpecifica conſuatur forma, quo jure in numero principiorum materialium vel elementorum tolerari poſſunt?

De

De paradoxis & erroribus novæ Sectæ Sennerto-Paracelſicæ

DISPVTATIO SEXTA,

Complectens examen & refutationem trium principiorum Paracelſicorum à D. Sennerto reductorum & aſſertorum cujus poſitiones

PRÆSIDE

IOHANNE FREITAGIO M. D

& in celeberrima Illuſtrium Groningæ & Omlandiæ Ordinum Academiâ ejuſdem facultatis Profeſſore P.

defendit

IACOBVS MARTINI

Dantiſcanus.

THESIS I.

PRoxima diſputatione vidimus corpora perfectè miſta, ex aliis prioribus compoſita, non poſſe eſſe rerum generandarum communia principia, quod alteri nobiliori & ſpecificæ, iſtorũ actu manentes formę, tanquam materia miſcibilis ſeſe non ſubmittant, ita ut ex potentia & actu unum conſtituant. *Natura enim non prædeſtinavit miſta quædam univerſalia, ut ſint rerum omnium materia, ſed corpora ſimplicia ex quibus generentur miſta ex æquo omnia.*

II.Prin-

II. Principia ſua Clariſſ. D. Senn. prima quidem eſſe miſta determinat, licet adhuc dubitet num ſint peculiares naturæ in prima creatione, cum aliis rerum naturalium ſpeciebus conditæ. Eſſe verò revera miſta corpora ex eo concluditur, quod ad eorum conſtitutionem, elementa concurrere, imo in ſe eadem continere probet & aſſeveret, reſolutionis chymicæ teſtimonio ductus.

III. Sed quod ſequitur, mirificè rem implicat. dicit non eſſe ſimpliciter miſta, aut ex elementis tantum variè miſtis conflata, ſed habere formas peculiares. Quomodo poteſt quippiam eſſe primum ſimpliciterque miſtum, quod variè remiſtum? Deinde an ideò ſunt principia, quia peculiares habent formas, quod ipſis cum omnibus miſtis commune eſt. Quocirca ex Elementis conſtant materialiter: ita mercurii materiam remotam, D. S. lib. 3. Phyſ. c. v. f. 362. ſtatuit Elemēta: & hoc undecimo capite ait, per ultimam reſolutionem, non intelligi illam quæ fit in Elementa. Ex quo autem quippiam primo componitur, in ea demum reſolvitur.

IV. Cur igitur hæc pro generalibus omnium recipit principiis, & elementa priora, iiſque materiam communem ſuppeditantia, rejicit? Reſpondet id idcircò fieri, quod rebus inſint qualitates, quæ in Elementis non inhæreant: quales ſunt colores, odores, ſapores aliæque innumeræ. Sed unde hæ qualitates? Per formas principiorum ineſſe concludit. D. Senn. Atqui hæ formæ non in alia materia quàm elementari has produxere qualitates, quia illa principia, eodem teſte, ex Elementis variè miſtis conflatiſque cum peculiaribus ſuis formis conſtant. Nullæ vero quali-

qualitates,niſi à formis & per formas in materia. Vnde ſequitur quod quælibet res, quæ propter peculiarem formam,alias habet quam in primis Elementis principiiſvè inveniuntur qualitates, non ſint ex Elementis aut tribus principiis,aut ſi ſecundum materiam conſtent ex iiſdem, tamen, quia peculiarem habent formam, & hujus merito peculiares qualitates excedentes naturam primorum ſeu quatuor Galenicorum, ſeu trium Paracelſicorum, *ſint pro principiis rerum naturalium habenda.* Et cum innumeræ ſint qualitates tàm occultæ quàm manifeſtæ, quæ his tribus principiis ſeorſim (per miſtionem enim negat. D.Senn. novas acquiri vires, & omnes facultates rerum primò ineſſe miſtorum principiis,& his mediantibus ipſis miſtis) aſſignari nequeunt, *neceſſum eſt tot dari nova principia, quot ſunt rerum qualitates & virtutes quæ à tribus iſtis proficiſci nequeunt.* Proinde tot fuerint principia, quot venenorum genera, quotque ſympathiarum & antipathiarum fundamenta & cauſæ. Quæ etiam ratio eſt quod peculiarem originem aſſignet calido innato; quod cum nec ex quatuor Galenicis, nec ex tribus chymicorum conſtare aſſerat, & tamen commune ſit omnibus viventibus, neceſſario pro principio Sennertiano veniet: eodem enim argumento, quo ille concludit, odorata, colorata, & ſapida, requirere peculiaria ex quibus conſtent principia, quod referant qualitates, quæ non inſint primis Elementis, neque ex iiſdem (quod tamen falſo adſtruit) oriri poſſint, & pluribus rebus inſint. Convincitur quoque calidum nativum peculiare conſtituere principium, ſiquidem pluribus ſimul inſit, neque ex quatuor Galenicis, aut tribus chymi-

chymicorum principiis,illo auctore, conſtet. Neque eſt quod recurrat ad formam rerum ſpecificam, quam ſupra Elementa in rebus quintam eſſentiam eſſe aſſeverat, ſiquidem non dantur illorum principiorum formæ generales exſiſtentiales,à quibus omnes iſtæ qualitates immediate dependeant, aut quorum merito inſint rebus: *Et peculiarium rerum formæ, peculiares generantes qualitates, quales primis non inerant, generalia rerum principia conſtituere nequeunt, ut prolixius proxima diſputatione vidimus.* Quo jure itaque admittere cogitur, dari qualitates quæ non inſint aut dependeant,ex tribus commentitiis principiis,& nihilominus hæc pro principiis agnoſcere, eodem etjam fateri eum oportebit,quatuor Elementa eſſe vera rerum principia,licet omnium quę ex iis materialiter conſtent, corporum qualitates, ex his immediatè non dependeant aut primo inſint.Parique jure tam illa chymicorum, quam hæc Galenicorum elementa ſtatione principiorum depelli poſſint.

V. Verum reponere quis poſſet principia chymicorum ideo eſſe communia, quia generales affectiones & qualitates, qualis odor, ſapor, color, & φλόγωσιν eſſe, horum merito pluribus inſint: Reſpondetur: non ſufficere quod pluribus inſint,niſi omnibus inſint: Generales enim affectiones Elementorum & principiorum generalium neceſſe eſt omnibus pro modo & doſi concurrentium ad miſti rerumque generationem, ineſſe. Res autem omnes non ſunt ſapidæ, neque odoratæ, ut porrò demonſtrabitur, nec quæ colorem habent omnes ex his ſunt principiis. Principia vero ſic debent eſſe comparata,ut ex iis res omnes oriantur miſtæ; Plurima tamen ſunt, quæ ex

argumento & ratione Clar. D.S. hæc pro principiis agnoſcere nequeunt propter qualitates mirificas & ſuperiores & ex iis haut oriundas, quales ſunt pharmacorum purgantium, venenorum: quinimò ipſum calidum innatum, eorum proſapiam juxta D. Senn. rejicit.

VI. Sed & miſeranda eſt iſtorum principiorum novorum conditio. De natura & requiſitis principiorum eſt ut ſint prima corpora: at iis, uti dictum eſt, alia ſunt priora, quod ſint corpora miſta. Deinde ut non ſint ex ſe mutuo; at ipſe D.S. dicto cap. ubi ex profeſſo de principiis agit, dubitat an æquè prima ſint, & ad eandem claſſem pertineant; & porro fatetur, ex ſe mutuo conſtare, cum inquit, an ſulphur æque primum, an vero magis quam ſal ſit compoſitum, quis non ſine cauſa dubitaverit, quod ſulphur jam ſaporem habeat & proinde de ſale participare videatur. In quem ſenſum Beguinus Tyrocin. lib. 1, c. 2. inquit: nullum ſimpliciter atque ſolum principium, quod non participet de reliquis, reperitur. Et unde chymicus ſaporem dulcem, unde pinguem quàm à ſulphure deducet. Imò vero omnis ſapor à ſulphure deducendus videtur. Cur enim non idem ſit odorum ſubjectum & ſaporum, cum omnia juxta Alexandrum odorata ſint ſapida, & inſipida odore careant? in qua etiam ſententia eſt Averrhoës. De mercurio multò magis ambigit an ſit principium quod ſine ſale & ſulphure, exſiſtere poſſit, quibus magis eſſe compoſitum demum concludit. De ſale à terra Chymicè ſeparato an ſit principium quod cæteris duobus non conſtet, facilis eſt cenſura: quod chymica operatione deprehendamus, in illo & oleum,

quod

quod ipſis eſt ſulphur, & liquorem Mercurialem reperiri, aut in illa reſolvi.

VII. Neque eſt quod quiſpiam hic reponat, elementa noſtra etiam quo ad ſenſum non dari pura, cum non de puritate vel impuritate, quatenus circa terrenum hunc globum occurrunt, *ſed de principiorum natura ſit quæſtio* : videlicet an Elementum vel principium, quo ad ſui naturam & eſſentiam conſtet ex aliis ſui generis principiis. Quod enim hic impurum eſt, id alibi ſincerum dari neceſſum eſt. *Ipſa ſiquidem principiorum ratio non admittit ut ſingula ſingulis, aut unum reliquis duobus inſit ſeu ex illo conſtet.*

VIII. Ipſe autem D.S. fatetur chymicos in tradendis principiis ſibimet ipſis non conſtare, nec ea ſatis inter ſe diſtinguere, & docere ſibi mutuò ineſſe, videlicet in ſale ſulphur & mercurium, in mercurio ſalem & ſulphur, in ſulphure ſalem & mercurium: de quo pariter conqueritur Libavius.

IX. Demum principiis competit, ut ex iis cætera conſtent & facta ſint omnia principiata. Atque è tribus non ſunt omnia comparata, quia referente & concedente D. S. aurum careat ſulphure inflammabili & odorato. Odor autem & inflammabilitas juxta eundem ſunt inſeparabiliter propria ſulphuris: Et chymicis vulgo omnia metalla nata ſunt ex ſulphure & mercurio. Quinimò nec ipſum calidum innatum, eodemmet auctore, nuſquam elementaris ſit naturæ, neque ex his principiis conſtet, quia ſi inde proſapiam duceret, neceſſariò juxta materiam remotiorem elementaris foret originis.

X. *Pulchra & ſuavia proinde nobis ſunt tradita principia à Novatoribus, quæ cum non ſint prima, ſed ex primis*

conſtent; nec verè miſcibilia corpora, aut miſcibilium quatenus res ſunt miſcibiles, materia, & ex ſeſe mutuo fiant, neque ex iis omnia, ſane nec principiorum univerſalium naturam induere, neque vicem aut ſtatione tueri poſſunt, ſed ad eadem pertinent, veluti ſterquilinium inter poma refertur.

XI. Nunc ad examen ſpecialius principii ſingulatim cujuſque & argumentorum pro ejuſdem adſtructione productorum, devolvar, initio facto à conſideratione ſalis.

XII. Sal omnis eſt vel artificialis vel factitius, aut naturalis. Hunc natura produxit ſyncerum, vel aliis rebus miſtum, uti in quibuſdam fontibus & mari. Generatur cùm terræ partes aduſtæ per miſtionem aquæ ſic uniuntur, ut in corpus unum compingantur: unde in igne propter aquam crepitat, & ejuſdem merito, quodque ex calore ſiccante concreverit (ſal Ariſt. terra aduſta nuncupatur) in aqua & humido frigidoque loco ſolvitur. Hinc Beguinus in Tyrocinio chymico inquit: *Sal conſtat ex partibus diverſis, terrea, & ignea, & aquea.* Conſiſtentia & ſoliditas ejus eſt à terra, liquabilitas ab aqua, mordicatio ab igne. Hoc modo ſal omnis producitur, vel à natura ſyncerè, vel miſtus: uti in aqua à qua calore humidas partes abſorbente & ſolvente ſeparatur: vel ab arte, cum quis terreas rerum partes adurit, & affuſa aqua, quod ardore tenuatum uſtumque eſt, à parte concremata vel incinerata ſeparat.

XIII. Quæritur an ſal hoc pacto comparatus, ſit materia vel principium materiale rei ex qua generatus eſt. D. Senn. quia ex omni re, quæ incinerari poſſit, hoc pacto ſal educi queat, id pro principio rerum vendi-

venditat. Sed quo argumẽto id probat? tali inquam. Res quælibet, in illa reſolvitur, ex quibus componitur. Subſumo: Nulla res per ſimplicem aut naturalem reſolutionem in ſalinum principium reſolvitur vel tranſit. Exemplo & argumento ſit res putrefacta vel putredine ſoluta, quæ verè corruptio & reſolutio naturalis eſt, & generationi propriè contraria. Nihil ſatis ſalis in re putreſcente vel putrefacta in fimo & terra, ex quâ aëreæ, igneæque partes exhalarunt reperitur. Nec ulla res niſi ex aqua terrave ſale infecta (qui ſal tamen uti antedictum, ex Elementis generatus eſt) ſalſeſcunt, veluti herbæ maritimæ, terreaque ſalſedine participant, ut metalla; nec ſalem dabunt, niſi urantur. Vſtio vero terrenarum partium non elicit ſalem quemdam qui præfuit in re tanquam principium, ſed ex eadem eundem generat, uti ex ipſa ſalis comparatione ſeu naturali ſeu artificiali liquet. Principia verò non ex violenta rerum per ignem & flammas converſione ſunt æſtimanda, ſed ex naturali ſolutione; quæ generationi directè eſt contraria. Ex quibus enim res naturaliter componitur, in ea etiam naturaliter reſolvitur. Neque neceſſum eſt ut in quod violenter corrumpitur, aut artificialiter convertitur, id eſſe ejus principium.

XIV. Omnis res (inquit porro D. S.) eſt ſapida propter ſalem: quia ſal eſt primum ſapidum & guſtabile. Ex hoc effato ſequitur, primo rem omnem inſipidam carere ſalino principio: Deinde prodit falſimonia: ſiquidem ſapor pinguis non ex ſalino ſed ſulphureo Chymicis aut Paracelſo eſt principio: Pinguedo & oleoſitas, quam neceſſariò ſequitur ſapor pinguis. D. S. & Chymicis eſt ex ſulphure.

XV. Deinde contrariæ qualitates, per unius ſimplicis principii admiſtionem ineſſe rebus nequeunt. Etiamſi enim eædem ſub una miſti forma comprehendi poſſint, tamen propter diverſa principia materialia ei ſuberunt & toti inerunt.

Neque enim calidum & frigidum, humidum & ſiccum unius principii materiati merito ineſſe, vel à ſola unius forma ſpecificæ ſubdita & materiæ vicem gerente dependere queat. In Rhabarbaro, quatenus conſtat materialiter ex Elementis pluribus, poteſt eſſe plus calidi quam frigidi, & ſicci quam humidi, & tenuitas ſimulque denſitas partium, propter mixturæ & temperiei diverſitatem, verumtamen vis purgandi eſt à ſola forma ſpecifica, neque ab hac ſimul ineſt vis conſtringendi, aut vim cholagogam cohibendi. Pari ratione ab unius ſalini principii, quatenus eſt principium, forma, nequeunt dependere contrarii ſapores, veluti dulcis & amarus, ſalſus, acerbus, pinguis. Affectiones & qualitates quæ ex Elementorum plurium miſtione dependent, uni principio peculiariter adſcribi nequeunt. Salſus enim ſapor, non niſi ex calore igneo, terreas partes urente & humido miſcente, & pinguis ex humido aëreo multo, terræ miſto, oritur.

XVI. Neq; eſt quod dicas, principia illa eſſe prima miſta. Si talia ſunt, proximeque ex Elementis conſtant, ſapor erit vel ab his & eorum miſtione, vel à forma ſalini principii. Si illud admittas, dicis quod verum eſt; Si à forma oriri contendas; negamus, quia una forma elementi vel principii in re una poſitivè contrariarum qualitatum non eſt auctor. calor & fri gus non ſunt ab una ejuſdem elementi forma. *Diverſa*

verſa qualitates contrariæ inſunt propter diverſa principia materialia, non propter unum materiale aut unam ſpecificam formam totius. Et quæcunque qualitates rei generaliter inſunt ei & cujuſque ejuſdem ſpeciei ineſſe neceſſe eſt; Si ſapor omnis quatenus ſapor, cuilibet rei per formam principii ſalini ineſt, res omnis quatenus ſalino participat principio, omnem & quemcunque habebit ſaporem. *Qualitates uti primo inſunt ſuo πρώτῳ δεκτικῷ, ita ab hoc etiam tanquam intimo formalique principio ſimpliciter dependent, ſuntque primæ & ſimpliciſſimæ.* Quocirca nec mixtæ nec diverſæ contrariæ, ab uno dependebunt principio ſed per plurium inerunt miſtionem: Quod & ipſi Chymici & Quercetanus, Beguinus aliique fatentur cùm ſapores ex elementarium qualitatum temperie in ſubjecto oriri adſerunt.

XVII. Quod verò additur in humido liqueſcere ſalem & in ſicco coagulari: eo ipſo originem ejus tam quoad materiam, quam cauſam efficientem nobis comprobant.

XVIII. Tertiò addit à ſale concretionem & coagulationem rerum primo provenire, deinde conſiſtentiam & duritiem effici. Quid audio? Adeone D. S. eſt factus Paracelſicus, ut rerum miſtionem eaque intercedente generationem neget?

Nunc ego me ſurdis auribus eſſe velim.

Nunquid ipſe D. S. *in Phyſicis ſuis & in tractatu de Gal. cum Chym. conſ. & diſſ.* ſtatuit omnem miſtionem fieri per determinationem humidi cum ſicco vi caloris formarum communis inſtrumenti & demiurgi miſcentis & unientis & colligantis miſtum & conſervantis. Ab hac unione & colligatione primorum

corporum ſequitur rerum concretio & coagulatio (ſi ita loqui liceat) & inde dependens raritas & denſitas modusque ſoliditatis corporum. A quo miſtio ab eodem etiam concretio, & (ſi ita vocare fas ſit) coagulatio, & miſti concretique conſiſtentia & ſoliditas, quæ ex ſicci cum humido diverſa proportione coëuntium definitione dependet; ejuſdemque conſervatio. Si enim id cujus vi perficiebatur miſtio, unio & concretio recedat, res ipſa emoleſcit, flacceſcit, ſolvitur, unita dividitur, coagulata diffluit. Miſtio & concretio & coagulatio, & hinc nata ſoliditas aut mollities competit rebus, quatenus habent partes ſimilares aut homogeneæ ſunt: miſtio verò ſimilarium eſt. Nec enim ſolidiſſimum os, neque gemma aut lapis, niſi ex definitione humidi cum ſicco, vi caloris facta, ſuæ habent ſubſtantiæ compagem & unionem, eoque definitur, pereunte ſolvitur.

XIX. Et quo pacto præſente rei vinculo & immanente ſolvi poteſt? ſi ſal unionis & coagulationis primaria cauſa eſt, neceſſe eſt eo deſerente reliquos ſuos collegas, videlicet ſulphur & mercurium, rem ſolvi & ſoliditatem compagemque & unionem perire? Atqui tantum abeſt, ut ibi iſte inſit & adſit copioſiſſimè, quod cohæreat ejus opera, ut penitius etiam diſſolvatur quod in re incinerata videre eſt, in qua quo ſal abundantius & copioſius præ cæteris producitur & ineſt, eo minus cohæret.

XX. Expendamus rem in ligno, cujus exemplum ipſe Senn. nobis propoſuit. In illo triplex reperitur humidum: excrementitium quod primo in viridibus lignis exſudat, partimque cum terreis ſiccisque partibus uſtione ſolutus per fumum exhalat, Id Senn. mercu-

mercuriale, quia acre ſit (quamvis alias ipſi acrimonia à ſale) dicitur. Alterum eſt Oleagineum, cujus merito in flammam ardeſcit, ignemque concipit. Ardet enim alitque flammam, quamdiu ejus durat portio: ea verè eſt pars aërea & pinguis: ſiquidem aër ignis ſit pabulum. Tertium eſt humidum miſti quatenus miſtum eſt, cujus merito etiam mortuum lignum, abſumpto humido radicali cohæret, quodque ſupereſt in carbonibus. Hoc miſto inerat, ut miſtum eſt, eratque elementorum vinculum, cujus beneficio cohærent, quoque evocato ſolvitur & perit ſyncriſis. Vlteriori igne carbonibus crematis etiam illud humidum deperit, abitque res cremata in cineres, in qua ſi ſal fuiſſet concretionis & coagmentationis, vel potius miſtionis vinculum, nequaquam ſoluta, ſed magis magiſque compacta & indurata fuiſſet, quia ſalinum principium, magis auctum quã conſumptum, copioſiſſimè adhuc eſt in cinere ſuperſtes, qui ſalis beneficio arctius ulteriore calore & ſiccitate colligatus, denſatus & compactus fuiſſet: ſaliſque ſit in ſicco coagulari, juxta D. S. & maxime concreſcere. Vel ſi ignis eſt impedimento, cur ſalinum, quod integrè eſt in cinere principium, eundem non colligat & coagmentat, & in corpus redigit magis compactum, veluti in generatione lapidis ſedimentiſque urinarum fieri aſſerit D. S. cum primis: quia adeſt terrenum elementum, quod poſtea ipſemet convocat ad procreationem ſoliditatis & conſiſtentiæ, & ſine quo ſal non compingere, vel corpoream ſubſtantiam coagmentare aſſerit. Præterea cum idem affirmet cineres elotos ablato ſale in igne non coaleſcere, illotos nec ſale ſpoliatos admiſta aqua in lapi-

deam duritiem coire, quantò magis ſi ſuperſtite humido connato res igniatur, ſalino principio prorſus illabefacto coagmentabitur? Ignitione itaque res nulla ſolvetur, ſed quia ſalinum cum terra abundat principium, in quo duritiei & concretionis cauſam ponebat D.S. magis indureſcet.

XXI. Verùm ille pergit in rationibus quæ convincant ſalem non modo ut cauſam efficientem eſſe omnis concretionis auctorem; ſed etiam πρῶτον δέχλικον, quod multis exemplis demonſtrare ſatagit, ipſamque adamantis & gemmarum ſoliditatem & duritiem ipſi imputat. Verùm deſpiciemus primo quomodo ſibi in hoc ſuo effato ipſimet conſtet. Quod ſali tanquam principio ſoli adſcripſerat, id paulò poſt ſimul terræ ſalique conjunctis aſſignat, videlicet non ex ſolo ſale duritiem provenire, ſed ex ſale & terreſtri materia certa proportione junctis, in qua tantum requiratur terrę ne ſal unitus ſolvatur rurſumque ſalis tantum ne terra pulveris inſtar dilabatur, quocirca etiam maxima ſalis quantitas non poſſit nimis parvam terrę portionem in lapidem coagulare. Hic & terræ & ſali tam cauſam materialem quam efficientem, veluti mutuas operas ad concretionem & ſoliditatem conferentibus adſcribit.

Fruſtrà itaque de re ſemel definita poſtea in hæc ſcribit verba: *cùm ſales per ſe ſoliditatem non habeant, ſed facile frangantur & liqueſcant, quæritur, an lapidum, gemmarum, metallorum & ſimilium ſoliditas à ſale ſolo inſit.* Eſtne hac in re tam ardua magna inconſtantia & dubitatio? Primò ſoli ſali omnis concretionis & duritiei cauſam adſcribebat: paulò poſt in conſortium vocat

terram:

terram: nunc iterum de ſolo ſale quærit, & utrumque quod ante abſolute affirmarat, in dubium vocat. Verum ut nuſquam ſit conſtans, tandem concretionem à ſale & duritiem à terra ineſſe ſcribit. Verùm ſi ſali ut efficienti cauſam concretionis aſſignat & duritiei adimit; falſus eſt: quia cauſa quæ miſcet, unit, definit, eadem & concreſcere facit: concretionem ſequitur conſiſtentiæ modus, undè durities vel mollities.

Si de ſubjecto & materiali duritiei principio loquitur, terra in congreſſu & miſtione cæterorum elementorum ſoliditatem confert, ſed pro cauſæ miſcentis & elementa in miſto compingentis & unientis operatione, quam à calore non à ſale proficiſci, ſuprà demonſtratum eſt.

XXII. Verùm neque ſic pedem figit, neque certus eſt. Etſi enim ſales ad coagulationem tendere, & ſpiritum coagulantem habere dixiſſet & poſtea ita hanc ſententiam correxiſſet, ut illi concretionis, terræ vero duritiei, ſoliditatis & firmitatis cauſam aſſignaſſet, tamen etiam hujus opinionis pœnitudine ductus, nec in ſolo ſale, neque terra ei juncta conquieſcit; ſed omnem lapideſcentiam & ſoliditatem ac firmitatem in gemmis & lapidibus, rebuſque durioribus à ſpiritu vel ſucco quodam lapideſcente deducit. Non itaque ſolus ſal ſufficit (propria verò ſalis, cui uti principio primo ineſſent antea fecerat ſaporem & concreſcendi ſolidandique vim) licet ſpiritus ſalis à Paracelſo in libris de morbis tartareis & à Chymicis paſſim Heros coagulationis vocetur, & propriè vim lapidandi habere dicatur; quocirca alia adhuc eſt imploranda concretionis & cõſolidationis

cauſa,

cauſa, videlicet ſuccus lapideſcens, cujus cauſa adjuvans ſit ſal. Ait enim vim lapideſcendi non eſſe ſine ſale, quod plurimum ad illam rem faciat, vel hoc argumento, quod frequentiſſimè calculi generentur in renibus & veſica ubi ſal redundet.

XXIII. Sed quomodo hæc quadrant cum ſuperiobus, ubi à ſale rerum naturalium concretionem adamantis criſtallique & gemmarum duritiem, auri ſoliditatem, & metallorum robur, cum Chymicis pluribus ineſſe ſtatuit? Hic ſanè in gemmis & lapidibus ſal definit eſſe primarium primumque principium concretionis & conſequenter miſtionis & generationis tàm materiale quàm efficiens: quomodo igitur locum principii Paracelſici vel Sennertiani defendet? an ſuccus lapideſcens novum fuerit lapidum principium?

XXIV. Etſi vero contra ambigentem & rerum incertum, & à ſe ipſo diſſentientem non ſit operæ pretium diſputare pluribus, atque ea quæ & ipſi auctori dubia ſint, cæteriſque veris & veteribus philoſophis & incerta & falſa, per ſe corruant, tamen propter ſtudioſos ne implicentur & turbentur, aut ne quid ſtatuere & amplecti debeant, ignorent, veritaſque rectius in lucem prodeat, examinanda ſunt potiora quæ ſuperſunt pro principio ſalino adducta argumenta.

XXV. D. S. inquit rerum naturalium concretionem à ſale eſſe, ſe cum chymicis adſtruere. Sed Beguinus Chymicus tyrocin. lib. 1. c. 2. eam non ſoli ſali ſed ſulphuri, volatilitatem mercurii cum ſalis fixi ſubſtantia conglutinanti & copulanti aſſignat. Non itaque

itaque omnes Chymici ſic ſtatuunt: cum illo verò tranſigat D.S.

XXVI. Cætera argumenta ferè non tàm in ratione quam exemplis, quæ per ſe crinomena ſunt, fundantur. Salſa omnia prompte per ſe coagulari ait, quod de cinere aliiſque pluribus falſum eſt. Deinde an cauſa coagulationis rerum ſalſarum ſit ſalſedo inquirendum non undè aſſerendum erat. Eadem enim quæ eſt cauſa ſalſedinis, eſt quoque coagulationis; ſi ſalſedo coagularet hujus merito id faceret.

XXVII. Sed videamus nunc Gigantem & illud terribile Chymicorum & D.S. argumentum, in quo ſibi tantopere placent, tantumque roboris ponunt: Id vero tale eſt. In aquis quibuſdam res lapideſcunt & in renibus ac veſica ubi nunquam deeſt humor, generantur lapides: Ergo hi non generantur per ſiccationem, & per conſequens calor vel res ſiccans non eſt cauſa lapidum. Quocirca ſal erit, cauſa lapillandi, ut cum Paracelſo paracelſicè loquamur.

XXVIII. Non una vel ſimplex hic ad manus eſt reſponſio. Primò cum Georgio Agricola dicere poſſemus, in aquis idcirco generari lapides, quod contineant ſuccum lapideſcentem, quem ipſemet D.S. aſſignat lapideſcentiæ cauſam, diverſum à ſale principium. Dein ex ipſo eodem auctore D. S. ſalis *proprium eſſe in humido liqueſcere & in ſicco coagulari*, quod ſi ſit, uti revera ſic ſe habet, nequaquam in humido, ubi ipſummet colliqueſcit & ſolvitur, coagulationis cauſa eſſe vel cogitari poteſt. Alia proinde cujus vi in humido res concreſcant, quærenda eſt. Aliud enim humidum eſt potentia & actu tale, vel actu quidem humidum, potentia vero ſiccum: in illo ſal liqueſcit,

in

in hoc & ea quæ ſalſa, & quæ concreſcere nata ſunt, non ſua innatâ, ſed menſtrui virtute coagulantur.

XXIX. Alterum argumentum eſt à ſpiritibus ſalinis petitum: quo contendit, ſales ſua natura tendere ad coagulationem & habere ſpiritum coagulantem. Verùm tantum abeſt, quod ſpiritus ſalium ſint coagulantes, ut etiam duriſſima metallorum, lapidumque corpora penetrent ac ſolvant. Ipſe enim hoc loco D. S. teſtatur, *à ſale nitri elici ſpiritum, quo calculi humani atterantur.* Contrariorum vero contrariæ ſunt cauſæ. Et ſi ſal eſſet πρῶτον αἴτιον & δέκτικον conſolidandi, nequaquam ſpiritus ſalis tantam tamque fortem ſolvendi, & fortiter penetrantem vim haberet. Non enim eſt receptivum contrariorum, *neque idem qua idem, eſt cauſa oppoſitorum, videlicet concretionis & diſſolutionis & diſgregationis.*

XXX. Verùm hic quadam diſtinctione opus eſt. Acria omnia pro ſua natura quatenus ſunt ignea, neque aliis qualitatibus prædita, etſi penetrent & intima corporum pervadant, tamen quia vehementer ſunt calida, ſtrenuè pariter ſiccant, humidumque tenuius conſumendo, quod ſpiſſius eſt denſant compinguntque. Et vel ad calculi generandi fundamenta, viſcera inflammant, vel materiam convenientem adurunt, ſiccantque, quæ ſi ſit terra ſine viſco arenam, ſi vero ſimul glutinoſa & pituitoſa inſtar maſſæ, unde lateres calore ſolidantur, vel bilioſa & melancholica cum pituita, lapides generantur. At ſi acrimoniæ fuerit aciditas juncta, qualis in aceto & ſpiritu vitrioli, ratione acrimoniæ fit penetratio in ſolidiora corpora, aciditatis vero opera quod-

ra quodcunque glutinoſum & calore igneo fuerit induratum, inciditur, attenuatur & teritur. *Neque enim quod calore eſt compactum, calidis acribuſque ſolvitur, niſi acrimoniæ par juncta ſit aciditas, & ſubtilis penetranſque illius virtute frigiditas. Hac ratione ſpiritus vitrioli corrodit metalla, ſolvit lapides.* Eademque ſi quæ calore ſoluta ſunt, acidis affuſis tanquam penetrabili frigore participantibus coëunt. Calore enim ſolvente & rem in ſolutione detinente, reſtincto, res contenta vel præcipitur ad fundum manetque in forma ſoluti pulveris, vel prout diſpoſita eſt, ad priſtinam reverſa naturam denuò coit. Sal tartari vel aliarum rerum liqueſcit in loco frigido & humido, ſed adfuſo ſpiritu vitrioli acri & urente, ſalis caliditas ex uſtione concepta, reſuſcitata, congregat partes craſſiores ſolutas & in maſſam compingit. In quibus miſtionibus mirabilem efferveſcentiam, propter qualitatum ſummarum in tenuiſſimis & penetrabilibus ſubſtantiis luctam & pugnam obſervare eſt.

XXXI. D. Sennert. neceſſariò concedit, coagulationem & concretionem etiam fieri à calore ſiccante & à frigore cogente aut congelante. Verùm præter has dari aliam, quæ ſine harum qualitatum merito & concurſu etiam in humido eandem perficiat & præſtet, eamque eſſe ſolam materiam, ſaliumque propriam, quod hi omnes ad coagulationem ſua natura tendant; & ſpiritum coagulantem habeant, uti concreſcentium à fluiditate ſalium, vitrioli, aluminis, nitri, aliorumque ex plantis paratorum, imò per deſtillationem è ſuccino cornibuſque coëuntium, quod Germani ſchieſſen

vocant,

vocant, exemplo apparere ait, probare annititur.

XXXII. Sed hæc omnia Paracelſicam, ſi quæ alia reſipiunt abſurditatem. Paracelſi maxima eſt, ex operationibus Chymicis & arte Spagyrica per ignem, principiorum rerum naturalium, & medicinæ ſcientiam venandam & acquirendam. Hunc ſequuti novatores cum eodem adſtruunt, coitionem corporum ad miſtionem, eandemque ipſam fieri à ſalino principio.

XXXIII. Verùm enimverò denſitas & ſoliditas rebus in generatione conciliatur miſtione elementorum, ex operatione qualitatum facta; miſtio verò propter formæ ſecuturæ eductionem & operationem. Hic enim quæſtio eſt de concretione & coagulatione rerum, quam ſequitur miſti cujuſque conſiſtētia & corporeitatis ſubſtantiævè modus. At nulla fit rei concretio, niſi præcedat denſiorum rarefactio & cum cæteris accurata coitio & miſtio.

Hæc autem perficitur opera qualitatum primarum vel ipſo D. S. teſte, in quibus dominium habet calor nativus ut primarius opifex, videlicet prout primò quadam contrarietate reſtringit & temperat, dein ut producta temperie in reliquos fratres & ſubjectum operatur tanquam artifex in materiam, humidum cum ſicco miſcendo, definiendo & uniendo. Calor enim primò fundit, attenuat, rarefacit, & ſæpè in vaporoſam ſubſtantiam rem vertit, atque ex his quod homogeneum, ſcilicet ad miſti quam intendit generationem conveniens & proprium eſt, ſegregat, extrahit & unit, humidumque ſuperfluum & inutile, conſumendo, ſiccando & exhauriendo diſſi-

diſſipat, reliquum cum ſicco penitiſſimè confundit, miſcet, determinat adeoque compingit, ut corpori cuicunque pro ſua ſpecie & natura aptam conſiſtentiam conformet, quam idem ipſe per conſervationem unionis & colligantiæ humidi cum ſicco tuetur, ut rei tàm naturalis, quàm violentus interitus ac ſolutio, conſiſtentiæque & firmitatis lapſus extremus duntaxat calore interno ſoluto & evocato, quo tanquam vinculo recedente humidum â ſicco ſeparatur, corporiſque ſeu miſti fiat ſolutio, contraria per omnia iſti modo quo ejuſdem per naturam fiebat concretio & generatio oſtendit.

XXXIV. Proinde nimis frigidè calorem, uti corporum miſtionem & ſoliditatem perficit, conſiderant Novatores, neque enim tantum ſiccando agit, unitionemque parat; ſed primo ſegregando heterogenea, deinde congregando homogenea, eaque miſcendo, uniendo & compingendo, conſiſtentiam debitam (quomodo externum frigus hic concurrere poſſit ad rerum ſoliditatem promovendam docent phyſici) largitur. Adeoque calor in humido agere potis eſt, veluti artifex in materiam, ſuperfluum ſpumeum crudum, aut quod ad rem non pertineat removendo, reliquum ad miſtionem movendo, adeo ut calor etiam (quod illi perverſe negant) in humido coagulet, miſceat, concreſcere faciat. Sic in mediis cloacis, & humidiſſimis, uliginoſiſſimiſque locis generat vermes, in aquis piſces, herbas, lapides, multaque alia. Et ſic miſeri Chymici decipiuntur cum corporum ſoliditatem ex operatione chymica indagare, Paracelſi præceptoris præceptiones ſecuti, moliuntur.

XXXV. Neque eſt quod hic quiſpiam objiciat frigore res etiam coagulari & indurari, quo modo ex aqua fit glacies. Hæc enim accidentalis eſt concretio & conſiſtentia: quæ quovis calore accidente ſolvitur, neque aquæ uti eſt aqua ſit propria, ſed de hac quam per generationem res quælibet habet conſiſtentiam & ſubſtantiæ modum, & an ille à ſalino ſit principio uti elemento corporibus generatis omnibus concretionem & ſoliditatem ex ſe dante & elargiente.

XXXVI. Proinde de accidentali rerum concretione & conſiſtentia verum eſt, quod calor ea ſolvat quæ frigus coagulavit, friguſque ea induret quæ calor ſolvit: ſed neque frigus ea tantum, quæ calore accidentaliter coaluêre, neque calor frigore denſata duntaxat ſolvit, ſed latius horum ſeſe extendit poteſtas ad corporum conſiſtentiam aut modum comparandum. Nulla itaque fit ſolutio aut coagulatio, quam non acceptam debeamus referre primis qualitatibus.

XXXVII. Nuſquam igitur coagulationis principium ſal eſt quatenus ſal. Alieno humori miſtum ſolutumque, calore ſiccante concreſcit, fortiore rurſum funditur, & niſi eo ipſo in ſpiritualem fuerit ſubſtantiam redactum, frigore externo denuò concreſcit per antiperiſtaſin quatenus calor intrò compulſus homogenea ſui corporis congregat. Sic videmus in frigidi humidique ſubterranei aëris temperie ſalia colliquata externo calore ſiccante iterum coire: quinimò affuſo ardentiore & acriore ſpiritu igneas partes accendi, efferari & mira quadam effervescentia & lucta cum contrariis quod aqueum à ſe peni-

penitius etiam in medio liquore excutere, quodque homogeneum vel craſſius corporeumque ad coitionem reduci & in unum ſolidari. Eadem res denuò in aqua ſoluta ſi hac ad medietatem coacta in cella ſubterranea reponatur, frigore loci intus compulſo calore, ad priſtinam corporis conſiſtentiam quæ liquata fuerant convocantur, cujus rei cauſam reddunt Chymici, quod menſtruum evaporatione diminutum, corporis molem amplius ſuſtinere non valens, eandem demittat, unde innato calore partes ſuas colligat, quæ externo frigore quaſi congelentur. Id chymicorum alii in quibus eſt Libavius congelationem, alii ut Beguinus criſtalliſationem, Germani vulgo ſchieſſen vocant. Pari modo quæ ex deſtillatione vi caloris ſoluta ſunt, ab externo frigore qualicunque innatum rei ſolutę ad interiora compellente concentrantur & coëunt. Omnia pène calore urgente reſoluta in anathiminaſin abeunt, ſive olea, ſpiritus aut ſalia fuerint, lenique frigoris temperie extus compulſa priſtini corporis formam meditantur.

XXXVIII. Si de ſalis natura propriè foret congelare, ſoliditatemque conferre, olea ſpirituſque limpidiores reſoluti in vaporem, nunquam in humidam coaleſcerent conſiſtentiam, ſaleſque ipſi tam in humido quam in frigido loco (veluti antea de calculo veſicæ & renum inferebat) coaleſcerent, aliiſque coagmentationem præſtarent. Quocirca quatuor modos coagulationis deſcribit Beguinus, Burnetus, Libavius & alii, videlicet exhalationem, coctionem, frixationem, quæ perficiuntur calore & congelationem quæ fit à frigore uti cùm in cellis à fri-

 gore

gore criſtalli producuntur, quibus nonnulli coagulationem per comprehenſionem addunt.

XXXIX. Quid eſt igitur quòd omnem coagulationem ejuſque cauſam, ſive illa nuturaliter ſeu artificialiter fiat, ad ſalia imprudenter referant? *Ex chymicarum operationum analogia velle deducere modum generationis vel concretionis miſtorum & ex ea conſiſtentiam & duritiem, eſt nugas agere. Aliter calor igneus arti ſerviens ſolvit & indurat liquabilia & coagulabilia, aliter calor ut inſtrumentum naturæ, generat perficitque miſtum eique conſiſtentiam impertit.*

XL. His quæ dicta ſunt, recte perſpectis, facile liquet, quid de concretione materiæ iſtius ſalſæ & terreæ unde generantur calculi, de lapidis ruptorii præparatione itemque cæteris ſimiliter coaleſcentibus ſit ſtatuendum. Humores craſſi aduſtione ſalſedinem & empyreuma concipiunt, eademque ſimul opera ab eodem calore ſtatim, vel à ſimili paulò poſt coagmentatur calculus. Nec generatur calculus quia ſalſedo conglutinat materiam, ſed quia calor ſalſedinem & empyreuma inducens eandem ſimul compingit & indurat, dummodò ſic ſit comparata, ut ſolidari compingique poſſit. Quis lapides ruptorios à vehementiſſima uſtione materię terreſtris & jam ante aduſtæ (ſal enim eſt terra aduſta) originem ducere ex ipſa eorundem præparatione non animadvertit? quid aliud ſunt rerum calces cineresque, quàm terreſtris earum portio aduſta ſine quibus chymicis vix fiunt ſales?

XLI. Quid reſpondebo ad exemplum fimi vel ſtercoris animalium, non ex lapillis duntaxat, (ſi verum ſit eos in ventribus horum ſolvi) ſed & è baccis

ſemi-

ſeminibuſque per acrem fortemque calorem generati? gignitne ibi calor acrem ſalſumque fimum *unde ſal educitur? quod ſi juxta chymicos dicatur ſolvere calculos, quomodo eoſdem compinget & erit concretionis cauſa? certè ſolidabit indurabitque potius eoſdem quàm ſolvet quia eadem eſt procreans conſervanſq; cauſa & contrariorum contraria ſunt rationes.* Et quid eſt quod dicat terram ſale ſuo per lixivium ſpoliatam, compingi non poſſe aut in lateres indurari, ſed inſtar pulveris dilabi & diffluere, cùm tamen illam ſali præſtare ne ſolvatur, ſed ſolidetur prius aſſeruerit? ſi ſit caput mortuum, ſi nullius ſit efficaciæ, uti aſſerunt, quomodo id præſtabit? Atqui miſtionem nullas conferre vires alias & novas quàm fuerint in elementis etiamſi variè miſceantur, jam ante contra me plenis buccis toties declamatum eſt. Nihil eſſe in toto quod non actu fuerit in aliquo principio.

XLII. Tandem magis ſalini principii perſonam exauctorat, & è ſede principiorum deturbat, quam quod veri philoſophi non ignavè chymicis ſtudiis operam dantes, in quibus Clariſſ. Billichius, cum Paracelſicorum ciniflonum tum chymicorum, nihil præter encheiriam chymicam crepantium, cæteroquin bonarum artium inanium fraudes animadvertere & divina quaſi virgula notare cæperint. Iam enim detexêre & in manifeſta luce poſuere, è plumbo nullam quamvis mangonio ſophiſtico urantur fumorum venditores, educi ſal quod non levi negotio reducatur, priſtinamque in naturam & figuram redeat, è perlis & coraliis perinde nullus educitur, ſed acetoſo menſtruo ſolvente affuſo inducitur. Sale aceti ſolutio iſtorum ſalſeſcit, quo eloto & remoto

maſſa inſipida & cretacea, reſtat cui affuſo denuo aceto, nova ſalſedo & acredo poteſt conciliari. Sal perit cum acredine, & acredo cum ſale. Pari largitate ſilices gemmæque omnes pro ſale cretaceam inſipidamque maſſam ſuggerunt. In vitriolo quod in ſalem abit, nihil eſt aliud quam purior & ſyncerior vitrioli ſubſtantia, ipſumque vitriolum ab ære, ferro cæteriſque partibus formaliter pœnè inhærentibus ſeparatum. Sal itaque tartari & vitrioli nihil aliud ſunt quam ipſummet defæcatum ſyncerumque vitriolum & tartarus, in quibus peculiaris veruſque adhuc ineſt ſpiritus in noſtra demùm Elementa ſecedens.

XLIII. Hactenus de ſale actum & oculo tenus demonſtratum eſt, illud nec verum nec primum nec univerſale rerum principium nec principii nomine dignum eſſe. Superato ſalino & tartareo hoc chymicorum principio, progredior ad examen ſulphuris, in quo eadem trucina & ſcrutinio expendemus argumenta pro ejus principatu à Clariſſim. D. Sennerto *eodem cap.* 11. producta.

XLIV. De ſulphure altero chymicorum principio ipſe dubitat, *an aquè primum an verò magis quam ſal ſit compoſitum:* idque gravi de cauſa, videlicet *quod ſulphur habeat ſaporem & proinde de ſale participare videatur,* hactenus D. Sennert. qui cum ipſe ambigat, dubitet, fluctuet & quid certo ſtatuere debeat, neſcit, cur toti medicorum Scholæ ſibi ipſi dubia & incerta & revera inania obtrudere ſatagit. Verum miſeranda eſt conditio iſtius principii (de cujus requiſitis erat non conſtare ex alio mutuiter principio) quod ſuam naturam definire nequeat ſine alterius

terius miſtura. *Initio dicebat tria principia eſſe prima miſta, & conſtare propria forma; nunc non tantùm ex miſtione primorum Elementorum, ſed ex ſe mutuo conſtant & fabricata ſunt.* Hoc eſt quod Libavius, Beguinus, & hic ipſemet auctor fatetur, *non ſine ſulphure ſalem, nec ſulphur ſine ſale, nec mercurium carere utroque.* Et porrò idem Beguin. ait *ſalem habere conſiſtentiam à terrâ, liquabilitatem ab aqua, mordicationem ab igne.* Simile de cæteris ſit judicium. Ecce miſeros cum principiis ſuis novis & miſerandis novos novarum rerum profeſſores, qui imponant ignaris, non illudant ſapientibus.

XLV. D. Sennert. propoſuerat anatomen chymicam ligni accenſi, in quo tria ſua principia demonſtrare conabatur. *Aqua & mercuriali* (dicebat) *humiditate potiorem partem conſumpta, oleaginoſum & pingue inflammari, & flammam liberiorem nec ita fumo permiſtam dare incipit.* Deinde ſubdit) *ſulphuris proprium eſt, eſſe φλόγιςον, & nihil ſine ſulphure inflammari.* Hactenus ille. Quod ſi verum ſit nec ignis nec aër, ſiquidem hoc principio non conſtent, φλογιςῶ ardebunt. Sunt verò ſulphure cæteriſque ejus collegis priora, neque ex illis conſtant, ſed horum ſunt parentes. Effatum illud Sennertianum porrò concludit, omne quod inflammatur habere ſulphur, & omne quod habet ſulphur, inflammari. Verum ipſe D. Sennert. non agit bona fide pro ſulphure, quod pro principio defendere receperat: ipſemet enim fatetur, juxta mentem Clariſſ. philoſophi Corn. Martini, ſulphur combuſtile & quod flammam concipiat non deprehendi in auro, in auro inquam, illo chymicorum ſole, & metallorum rege,

ſummo cordis roborante præſidio, univerſalis medicinæ materia (magis tamen in crumena, quam in ſtomacho chymicos juvante in quo omnis eorum gloria. Sulphurei principii dignitas, vix majorem nec graviorem rimam ruinamque ducere poſſet, quàm ingenua confeſſione: ex qua perit omnis ejus univerſalitas & principii ratio.

XLVI. Nova vero ejus obſtant argumenta: *in igne* inquit, *id quod pingue & oleum inſit, flammam concipere & inflammari.* Et ex hoc ipſo ſulphur ineſſe ligno ut principium contendit. Verùm quod hic adſtruit, id paulo infra deſtruit, ubi aſſerit pinguedinem & ſulphur, non eſſe idem cum ſulphure quod ſit chymicorum principium, quod ſpiritus vini ſulphur habeat cujus merito inflammetur, neque tamen ſit pinguis. Ibi ex pinguedine & oleoſitate inflammabili demonſtrat principium ſulphureum chymicorum, hîc oleoſa & pinguia inflammabilia de ſulphure chymicorum principio eſſe negat.

XLVII. Gluckradius vero in notis ad Beguin. Tyrocin. lib. 2. c. 6. iſti effato Sennertiano omninò & univerſaliter detrahit, & non tantum pinguedini & oleoſitati in vero ſulphureo principio contradicit, ſed & inflammabilitatem ab eodem alieniſſimam eſſe demonſtrat, eamque duntaxat in craſſo quodam, & narcotico & fœculento ſulphure quod empyreuma concipere natum ſit, reperiri docet. *Vera autem olea & ſulphur chymicorum in ſua eſſentia ignem reſpuere, eſſe puriſſima, incombuſtibilia, adeoque ſpirituoſa, & ab omni heterogeneitate liberata, ut nullam imprimant inflammationem, quin potius eandem ſua facultate tincturali extinguant,* quod abundè apparet in affectibus inflam-

flam-

flammatis ubi maxima cum utilitate oleoſa ejuſmodi ſpirituoſa adhibeantur. Hac itaque ratione, neque etiam allato ligni exemplo demonſtrabit in ligno ineſſe ſulphur, aut hoc ejus ineſſe principium hypoſtaticum, quod facere intendebat.

XLVIII. Deinde ex hoc etiam non parum labaſcit principii ſulphurei univerſalitas, quod etſi olea & pinguia facilè inflammentur, tamen non omnia quæ facile flammam concipiant vel inflammentur, ſint oleoſa & pinguia. Sicca & rara, tum quia cum igne ſymbolizant, tum quia multùm aëris participant, facilius ſæpè ipſis pinguibus flammam concipiunt, quod in habentibus ſymbolum facilis ſit tranſitus & aër ſit ignis pabulum. Neque arbitror eſſe quenquam, qui omnia ſicca, arida & rara, uti ſtipulas & ſimilia, dixerit eſſe pinguia, & propterea imflammabilia.

XLIX. Procedendum ulterius ſtylo & filo Sennertiano pinguia & oleoſa dicebat eſſe φλόγιστα atque idcircò ſulphurea, pinguis itaque ſapor erit à ſulphure, labaſcitque eo ipſo hoc axioma, quo ſal eſſe ſaporum cauſam pronunciat. Si vero pinguia non ſunt ex ſale docente D. S. & nullum ſulphureum principium ſit cauſa pinguedinis, pinguia principio carebunt niſi ad mercurium confugiant Chymici, quem tamen è ligno igni impoſito exhalare dicebat antequam principium ſulphureum flammam conciperet; aut cum ſuo Paracelſo ſtatuere debent omnia eſſe actu in omnibus.

L. Deinde ſtatuit ſulphur eſſe primum odorabile & reliqua omnia propter ſulphura odorata. Verùm pro vero hactenus creditum & à philoſophis aſſer-

tum eſt ſaporum & odorum unum eſſe πρῶτον δεκτικόν. Quod odor ſit partis ſapidę, ibique tantùm inveniatur ubi ſit ſapor, & quod habentia odorem etiam habeant ſaporem & inſipida odore careant. Quæ & Ariſto. & Alexand. & Averrhois eſt demonſtratio & ſententia.

LI. Hic non incommodè quæritur quo pinguia & oleoſa & ad quod referenda ſint principium, & quo ipſum quoque φλόγιςον ſulphur vulgare. Ad mercurium referri non poſſunt, quia is in tenuiſſima nec inflammabili ſubſiſtit ſubſtantia, ſiquidem lignum dicente Senn. (ex cujus principiis nunc arguo) flammam non concipit prius, quam mercurialis ſubſtantia exhalet. Neque ad ſal quia id corpus eſt terreum omniſque fixationis conſiſtentiæ & duritiei cauſa & ſubjectum, neque flammam concipit. Neque oleum calefactum ſiccatumque tranſit vel ſolvitur in ſal. Salia quatenus talia calore & ſiccitate indureſcunt (docente D. S.) id quod ſalis proprium eſt, olea vero & ſulphura magis reſolvuntur & colliqueſcunt. Carebunt itaque pinguia & oleoſa & ſulphur vulgare principiis Chymicorum. quia vero ſulphure, quod pro principio illis venit, non conſtant.

LII. Sed quo referant aërea & ignea? hîc ſi latius inquiras, principiorum Paracelſicorum patebit major vanitas. Non auſint dicere ſua principia ex his non conſtare, quod omnia demum & ultimò vertantur in ignem: olea vero & ſulphura chymicorum extinguunt ignem, uti & de oleo ſulphuris & vitrioli prædicant Chymici. Contraria juxta D. Senn. ſunt unius generis: ergo iſta chymica erunt eſſentiæ

aqueæ.

aqueæ. Non me latet hic eorum reſponſum ex Idæarum regione petitum: ad quod ſuo tempore. Si vero olea & ſulphura Chymicorum, non ſunt inflammabilia ſed reſtinguentia flammam, uti nimis profundè Chymici quidam ſentiunt, vinum carebit ſulphureo principio, ſiquidem ſpiritus ejus eſt inflammabilis & pro ſulphure allegatur à D. Sennert. aut ſi id quod è vino ignem extinguit ſit ſulphur, phlegma ejus pro ſulphure veniet, & aqua pro igne, aut demonſtra tu in vino ſpiritum non inflammabilem verum ſulphur (tuum immaginarium) referentem. Verùm ſpiritus vini quò magis exaltatur & ſubtiliatur, eò fit magis igneus, & ad igneam naturam propius accedit, donec tandem in ignem tranſeat, uti veri Chymici & ipſa recta ratio cum experimentis docet.

LIII. Sed urgendus porrò cuneus: Quæcunque nec flammam concipiunt, ſeu olea ſpirituſque inflammabiles continent, quorũ merito eandem concipiant, illa carebunt principio ſulphureo, quod juxta Quercetan. & Senn. res omnis ſit inflammabilis, quia oleoſa, pinguique & inflammabili, ex ſulphureo principio, parte neceſſariò conſtet; atqui aurum ſulphure tali carere, jam ex D.S. confeſſione audivimus. Plumbum vitriolum, ſulphur, ferrum, aliaque deſtitui oleis & ſpiritibus inflammabilibus, imò ſolvi in ſpiritus & olea, flammas & calorem ignemque exſtinguentia, recentiorum candidorum Chymicorum & Philoſophorũ induſtria & cum primis Clariſſ. & Doctiſſ. D.D. Anton. Billichius Oldenburgicus, clarè & ad oculum demonſtrat: qui & fraudes & ſeſquipedalia Chymicorũ mẽdacia, & cũprimis eorũ qui

qui choragi eſſe ſatagunt impoſturas detegit, & in clara luce ponit.

LIV. Demonſtrationis initium fiat à plumbo: ex quo nullum chymico artificio Salem extrahi poſſe, qui non reducatur, adeoque fictitius ſit, nec verum principium, jam ante ſignificatum eſt. Nullum quoque ex eodem exſculpi ſulphur, Clariſſ. Bill. perinde demonſtrat ubi inſignis illa Querc. falſimonia & impoſtura accuratè notanda: qui ut Paracelſica, vel ut audire mavult, Hermetica principia obtrudat ſimplicioribus, non veritate quæ anima ſapientiæ eſt, ſed fraudibus rem aggreditur, perfricta fronte an publicum orbis theatrum exclamando & docendo, liquorem ex ſaccharino Saturni ſale & plumbi dulcedine primo labore elici & educi, qui ſit ardentiſſimus & igniũ rapaciſſimus & promptius ipſa aqua vitæ flammam concipiat, quem pariter ut mendacium mendacio incruſtetur & Paracelſicorum mentiendi maneat inexhauſta ſcaturigo; Beguinus fragrantiſſimum prædicat, adeò ut ſua fragrantia ſuperet omnia vegetabilium odoratiſſima

Quæque trahit diti meſſe beatus Arabs.

Cum tamen ante maria accendas, & Rhenum Danubiumque exufferis, quàm iſte ſpiritus flammam concipiat, ſitque pariter gravis & nidoroſi odoris, nec ullus unquam odorus aut inflammabilis ſpiritus quacunque cheirotechma aut modo, ſeu frequentibus deſtillationibus & rectificationibus, longa etiam præeunte fermentatione, eliquari & inde ſuſcitari queat. Nullum proinde ſulphur eſt in

plumbo

plumbo & exſpirat hic etiam principii ſulphurei ratio & veritas.

LV. Quid de ipſo ſulphure dicemus, an ex eo ducitur ſpiritus inflammabilis? omninò oportebit maximè inflammabilem ſpiritum vel oleum dare. Si enim propter ſulphur res omnes ſint inflammabiles, oportebat ejus ſpiritum & animam vel maximè eſſe inflammabilem, vel certè ipſam flammam: propter quod enim unumquodque tale eſt id magis tale eſt. *Et nihil eſt in re* (juxta D.S.) *quod actu non fuerit in principiis.* Sulphuri vero ſecus accidit quia ſpiritum de ſe promat acidum, caloris ignis & flammarum maxime reſtinctivum & minimè capacem. Sed reſpondebit forſan quiſpiam, hunc ſpiritum non eſſe ſulphuris ſed calchanti, quo magnam partem conſtare ferunt ſulphur. Atqui id redarguit Clariſſ. Billichius qui calchantum conſtare ex ſulphure demonſtrat, & ſulphur eſſe acidum non aciditate calchantoſa, ſed calchantum acidum aciditate ſulphurea. Vide ſodes quocunque loco calculum ponis, naufragium facis. Si Spiritum illum vitrioli dixeris, cum quo ſanè unus idemque eſt, vitriolum carebit ſulphure, cujus & oleum, quod à ſpiritu parum aut nihil differt, flammam non minus exſtinguit, quam aqua ignem, tantùm abeſt, quod eam prompte concipiat, & in reſiduo manet de ſulphuris ſpiritu quæſtio. Par eſt ratio omnium cæterorum metallicorum, quotquot acidos acreſque ſemel ſpiritus ignis vehementia ſoluta & uſta profundunt. Iſti enim nec flammam concipiunt ſed extinguunt, adeòque ſulphureo hoc deſtituuntur principio.

LVI. Prætereundem hic non eſt valde ſplendidum

dum ſed & ſpiſſum illud non ſemel à Quercetano commemoratum, & pro vero relatum aſſertumque mendacium. Spiritum ſulphuris acidum tanta pollere refrigerandi potentia adeoque omni flammæ inſidiari & adverſari, ut eo tinctus pulvis pyrius omnem igniculationis & concipiendi ignis vim deponat & exſuat, cum tamen eo imbutus, & ad ſatietatem inebriatus, quàm primum inaruerit, promptiſſimè viciſſim igneſcat. Si in re tam obvia & præſenti tàm ridicule nugari & audacter mentiri non verentur Chymicorum primores, quid dicemus de aliis abſtruſioribus & grandioribus quæ crepant: nunc crimine ab uno diſce omnes, at non ab uno. Vultne D. S. nunc prætorea auctoritate jubere, ut ſuis chymicis monſtra dicentibus & lapides loquentibus credamus? Is me pro virili taxare & neſcio qua inſcitia Chymiæ operatricis notare (cùm tamen quantum & quamdiu his interfuerim laboribus & ſtudiis, ipſè planiſſimè ignoret) quod haud digner fide fabulam & commentum illud anile de roſa ſpirituali, quam deſcribit ejus Quercetanus: qui ſi falſus ſit in iis quæ ſe & vidiſſe & paraſſe gloriatur, quomodo vera dicere de abditis, abſtruſis & monſtroſis, quæ nec ipſe vidit nec paravit, ſed ex aliorum relatu (thraſonico & falſo) habet, cenſendus ſit? pulchra hæc eſt ratio nova adſtruendi & defendendi principia, & novarum artium occultorumque principiorum, abditarumque ſcientiarum fundamenta, quibus præ cæteris ſapere, extolli, & ſuppreſſis veritatis & antiquitatis cultoribus aliorumque bonorum ruina promotiones in aulis & curiis magnatum, ea minime intelligentium, moliuntur, ſeque ut omnibus tanquam doctio-

doctiores, ac mirabilibus inauditiſque (non dicam monſtroſis) artibus inſtructos eſſe perſuadeant, nec ſacris nec profanis, nec ſalvificæ fidei articulis parcunt.

LVII. Devolvimur ad corallia, margaritas, lapideſque pretioſos, è quibus nec ſal nec oleum, nec aquam neque tincturam Chymici peritiſſimi, quales Sala, Billichiuſque imprimis, & alii Clariſſ. viri extrahi poſſe docent: magnaque fraude à Chymicis & Paracelſicis doceri demonſtrant, margaritas ſolvi in talem liquorem, qui roridum humorem (cujus conſumptio primus in phtiſicis eſt ſiccitatis gradus) imò ipſum alioquin irreparabile humidum radicale reſtaurare queat, quia ſint ros concharum concretus, in quo eſt analogia & characteriſtica & nugatoria Paracelſiſtarum curandi ratio.

Ridete quicquid eſt domi cachinnorum.

Rideant omnes Democrati ſtultitiam hominum, ſed defleant omnes Heracliti calamitatem & inſcitiam, quâ ſalutem publicam affligunt. Margaritæ ſunt ipſis conteſtantibus chymicis & lithophyta & ſubſtantiæ frigidæ & ſiccæ; humidum radicale & ſubſtantia corporis reſtauranda calida & humida eſt, taliſque ut reponatur, requiritur: ſimilia ſimilibus nutriuntur, reficiuntur & reſtaurantur. Vide, ride, & mirere, imo exſecrare nugas Crollii & ſequaculorum imperitorum Chymico-medicaſtrorum.

LVIII. Ex quibus omnibus ſequitur, ſulphur in ordine principiorum ſuum locum minimè poſſe tueri, quia nec res omnes conſtent ſulphure, & quod inflammabilitas non ſit nota principii in rebus ſulphurei, cæteraque quæ pro eo adſtruendo ſint

allata,

allata, magis deſtruant quam confirment eam opinionem.

LIX. Tempeſtivum eſt ad ultimi principii ventilationem tranſire, quod eſt mercurius. Si unquam varius, dubius, ancepſque fuit D. S. in fundatione principiorum, certè hic eſt. Triplicem facit Mercurium, unde licet cuilibet eligere quem velit; Egregia principiorum fundatio, lubrica ſcilicet & dubia, cui cùm cætera de rebus naturalibus ſuperſtrui debeat doctrina, omninò illam dubiam, incertam & fallacem inde reſultare neceſſum eſt: qualia principia, talia emergunt principiata.

LX. *Primus* illi Mercurius eſt, vel eſſe poteſt probabiliter liquor aliquis ſpirituoſus, vel ſpiritus qui tamen à ſulphure vel ſale ſubtili vix ac ne vix ſeparabilis ſit, ut ſolus conſpiciatur. *Alter* eſt vel eſſe poteſt, corpus ad huc magis compoſitum quam ſit ſal & ſulphur, quia ſit proxima metallorum materia, unde fit quod omnia metalla reſolvi poſſunt in Mercurium. *Tertius* eſt id, quod in re quacunque præter ſalem, ſulphur, præterque phlegma & terram mortuam reperitur: quod aſſerit eſſe ſpiritum ſeu illam *οὐσίαν ἀνάλογον τῷ τῶν ἄστρων στοιχείῳ.*

LXI. *Primum* quod attinet, omninò non quadrat ad præmiſſam ſub initium noni capitis regulam, juxta quam tria exſculpi & probari debeant principia. Quandoquidem arte Chymica (uti ſtatuunt) reſolutio fiat in hæc tria principia, idcirco concludunt Chymici hæc continere omnem principiorum rationem, veraque eſſe principia. Et quamvis reſolutio fieri non poſſit ad ultima Elementa, tamen proceſſum dari ad hæc tria, ut ad oculum ſenſuali evidentia

dentia demonſtrari poſſint, cum reſolutio fiat in ea quæ actu in exſiſtant. Si itaque Mercurius ille à ſale & ſulphure ſeparari & diſſolvi nequeat, ſolutio in principia actu inexſiſtentia falſa eſt, *neque illa poteſt eſſe regula ſtatuendorum principiorum.* Et ſane quæ actu inſunt faciliori reſolutione, à ſe invicem diſcedunt, quàm quæ depoſita quodammodo actus ſui ratione potentiæ vicem ſubeunt: & ſeparata per ſe actuque ſubſiſtentia ſenſibus denuo ſubjiciuntur. Et cum Mercurius ſit cum ſale & ſulphure ſpirituoſo adeo arcte copulatus, ut ab iis nulla ratione ſit ſeparabilis, quis non eundem ex iis conſtare rectè arbitrari poſſit? aut cum nullus detur, ſal, qui non in ſpirituoſam & mercurialem verti queat ſubſtantiam, nullumque ſulphur, quod non pariter in eandem elevari poſſit, & omne reſolvatur in id ex quo componitur, jure quæritur an illa conſtent ex Mercurio tanquam principio, & ſic unum tantum detur principium? Demum quam arcte Mercurius cohæret ſulphuri & ſali, tam illa viciſſim intimè copulata & innexa ſunt mercurio, ut dicant nullum dari ſulphur ſine ſale, nullumque horum ſine mercurio. Proinde ſi arcta illa neceſſitudo pervertit regulam & judicium de conſtitutione & natura principii Mercurialis, ſanè ſequitur tam difficile eſſe ſalem & ſulphur ſtatuere principia, quam ipſum Mercurium, quia illa tam arctè huic, quam ille his cohæret & inhæret. Atque hæc eſt egregia illa primi mercurii probatio, quæ tamen ipſi auctori conjecturalis vel ſaltem probabilis eſt.

LXII. Secundus Mercurius probabilis & conjecturalis, eſt corpus magis compoſitum quam ſal &

 ſulphur.

ſulphur. Si vero tale ſit, tum præterquam quod conſtet ex ſale & ſulphure, ejus corpus perficietur & abſolvetur mixtura cœterorum primorum elementorum. Sunt enim tria hæc principia prima miſta. Verum enim verò id jam prorſus evertit naturam & rationem principii, ſiquidem hæc ita juncta, uti ſub initium *capitis undecimi* aſſertum eſt, ſunt materia ſecundaria ex qua res omnes generentur, non ex qua debeant conſtare vel generari principia. Compendio dixerim: res quæ ex omnibus generationis principiis & Elementis qua talis eſt conſtat, & compoſita eſt, nequit eſſe rerum principium vel principii rationem tueri. Elementi enim vel principii corporei univerſalis non debet eſſe aliud principium, alioquin principium nō eſt principium: vel luſus, circumventio & impoſtura eſt in re, quæ pro principio venit & in ipſo vocabulo, de quo multi ludunt.

LXIII. Demùm ſi Mercurius eſt res magis compoſita, quia in eundem omnia metalla reſolvi poſſunt, quod eorum proxima ſit materia, tùm propter hanc tum propter ſuperiùs allegatas cauſas, ſulphur eandem ſuſtinebit fortunam, in quod pariter reſolvantur, & ſine quo illa conſtituere nequeat. Quæ duo ſi ſint magis compoſita, & ideò proxima metallorum materia, jam rationem principii univerſalis perdunt, remanetque ſolum & unicum principium ſalinum. Quod cum etiam terrâ, aquâ, ſulphure & Mercurio conſtare, vel Chymicorum teſtimonio notiſſimum eſt, nullum jam amplius relinquitur Chymicis principium.

LXIV. Tertius denique Mercurius in quo majorem fiduciam ponit D. Senn. eſt ea res vel eſſentia,

quæ

quæ præter ſalem & ſulphur, phlegma & terram inſipidam, rebus ineſt. An hic reliqua duo Elementa excludit, videlicet aërem & ignem. Id vero fieri nequit, quia terra & aqua ineſſe nequeunt, niſi & illa inſint, quod ſupra ſatis probatum eſt. Si inſunt, erunt ſulphur & ſal; vel Mercurius erit ex igne & aëre. At ſal principium eſt magis terreum: proinde ſulphur erit, & Mercurius ſeu ſpiritus & humiditates reſolutæ & extenuatæ ex aëreo principio. In hæc enim promptè reſolvuntur. Quæ eſt, ſi hæc non eſt illuſio? analogica corpora pro veris obtrudere principiis, principiata facere principia? ſi rem æqua lance ponderemus ſulphur non habitat in igne, nec ſpiritus & vapor in aëre, ſed ignis, prout miſtis ineſt domicilium & matricula rectius dicetur ſulphur, licet magnam partem ex eo conſtet, par cæterorum quæ ignis eſt ratio. De reliquis duobus Elementis quod dicunt, perinde vanum eſt, ſiquidem terra illa à ſale & reliquis principiis ſeparata, quam mortuam, inſipidam & damnatam ſterilemque vocant Chymici, tantùm abeſt quod talis ſit, ut ſata producere, vegetare, ac in ſtirpes & herbas attollere præſertim ſi phlegmate illo, quod pariter damnant, irrigetur & inebrietur, poſſit.

LXV. Sed quale tandem eſt quod præter ſalem, ſulphur, aquam & terram inſipidam, rebus ineſt principium mercuriale? D. Senn. reſpondet ſecundum Ariſtotelem, eſſe illam ȣσιαν ἀνάλογον τῷ τῶν ἄςρων ςοιχείῳ. At quomodo hoc accommodabit Vir Clariſſ. his principiis, quod Ariſt. de ſemine prædicat, in quo lib. 2. de gen. anim. c. 3. adſerit *quippiam ineſſe quod proportione reſpondet elemento ſtellarum, faciatque*

 ut fæ-

ut fæcunda ſunt ſemina, voceturque calidum, nec tamen ſit ignis ſed ſpiritus, qui in ſemine ſpumoſoque corpore continetur. Qua vi conſequentiæ D. S. Mercurium vocabit ſpiritum ſeminis? An de omni corpore & principiis his tribus conſtante verum ſit quod de ſemine prædicatur, vel an omnis res ex ſemine nata, ſemenque producens duntaxat habebit mercuriale principium? Credo illud Ariſtoteli nunquam in mentem veniſſe. In principio capitis dicebat vir Clariſſ. tribus iſtis principiis ineſſe ſpiritum & aliquid corporis illius quod Ariſt. ἀνάλογον τῷ τῶν ἄςρων ςοιχείῳ eſſe dixit. Quod ſi ille ſpiritus ſit mercurius, ſingula inerunt ſingulis, & ipſemet ſibi ipſi ineſt, aut unum duobus, quod ſanè, ut ſupra dictum eſt, principiorum rationem prorſus evertit.

LXVI. Verùm enimverò de hoc ſeminali ſpiritu longè aliter Ariſt. ſupra allegatæ ſententiæ auctor, ſentit, dum calidum innatum id nuncupat. Quinimo ipſemet D. Senn. ex hac Ariſt. ſententia allegata ſui calidi innati rationem & eſſentiam defendit, & per id intelligi calidum nativum contendit, quod hac ipſa probat eſſe ſupra elementorum naturam, & idcircò ſulphur vitale, & balſamum naturalem, & mumiam vitalem, idemque eſſe quod Galenicis & Peripateticis ſit calidum innatum ſpiritusque inſitus. Hunc *lib.1.Inſtit.c.5.& lib.5.Inſtit.par.1.c.2.* non eſſe elementaris conditionis, ſed hanc longe excedere, & naturam habere in rebus peculiarem, non ex elementis coalitam vel natam, in qua omnium occultarum qualitatum fundetur ratio, tradit. Quod ſanè de hoc mercurio uti in initio capitis nobis deſcriptus eſt, dici nequit. Is enim eſt corpus perfectè miſtum,

ſtum, ideoque elementaris præter formam conditionis eſſe prædicatur: calidum vero innatum juxta D.Senn. materialiter non conſtat ex Elementis.

LXVII. Hactenus demonſtratum eſt tria illa principia quæ Clar. S. corpora ſunt perfectè miſta, nullo modo principiorum rationem & ſtationem tueri poſſe, quod nec prima vel ſimplicia ſunt corpora, & quod ex his non conſtent cætera omnia, nec facultatum omnium in rebus ſint ſubjecta prima, falſaque adſtruantur hypotheſi, nempe hac, quod arte chymica ex omnibus ſublunaribus miſtis educi queant, inque illa omnia reſolvantur, cum ars Chymica verus nequeat eſſe principiorum judex, aut conſtituendorum magiſter: quod nullum horum ſine alio, ſed vel in alio, aut ex alio: & quod elementa non tam horum, quam hæc elementorum ſint quodammodò matrices, & ultimò in illa reſolvantur quodque chymicorum quiſque diverſimodè de his ſentiat, dum alii ea ſtatuant mere ſimplicia & antè elementa, ex quibus non modo ſublunaria, ſed & ipſi cœli conſtent: alii non prima ſimplicia corpora, ſed prima miſta eſſe: alii non verè talia corpora, ſed ſaltem iis quæ verè talia ſunt & dicuntur, analoga eſſe: alii eadem ſincere & ſimpliciter exſiſtere ac dari, alii aliud ſine alio non eſſe: alii verè prima eſſe Elementa quatuor, vel continere in ſe limpidiſſimas elementorum eſſentias: alii ſalem ſtatuant vinculum copulationis mercurii cum ſulphure (cùm tamen nullam ſine alio dari aſſerant ſincerum extra res generatas) alii ſulphur medium quo ſal cum mercurio compingatur & uniatur: id quod ex ipſis auctorum verbis apertè liquet.

LXVIII. Libavius in ſyntag. arcanorum Chym. lib.7.c.34.inquit. *Notet ſtudioſus quod non omnes eodem modo judicent de principiis & Elementis, ſed alius hoc ſulphur vocat, alius aliud. Item unus in anatomia rerum velit hoc eſſe à ſulphure, illud à ſale, quibus alii contradicunt: ſalem medium conjungens & continens extrema dixerunt veteres: alii id ſulphuri tribuunt. Veteres dixerunt ſulphur coagulare. Neoterici hoc tribuunt ſali, ad quem pariter referunt ſapores, temperamenta & Balſameam virtutem. A Mercurio petunt colores quos alii à ſulphure. Imo modo ſali modo ſulphuri omnia aſſignantur.* Idem ibidem: *Paracelſitæ malunt eſſentias vocare vel aſtra, arcana principia &c. & nihilominus coguntur fateri aquas inflammabiles & olea eſſe ignea, tanquam igneos ſpiritus. Mercurios naturæ aqueæ vel aereæ, ſales terrea.* Idem Libavius in exam. ſcribit Chymicos recentiores notis quibuſdam ſal, ſulphur & mercurium deſcribere: verum quando urgentur, & certitudo quæritur, ac quidnam ſit mercurius, quid ſal, quid ſulphur exactius inquiritur, omnia confundere & in ſale mercurium & ſulphur, in ſulphure mercurium & ſalem, in mercurio ſalem & ſulphur ineſſe contendunt. Beguinus lib. 1. Tyroc. c. 2. ait, *nullum principiorum ſimplex reperiri, mercurium continere ſubſtantiam ſulphuream & ſalinam, ſulphur ſubſtantiam ſalſam & mercurialem, ſal ſubſtantiam oleoſam & mercurialem.* Idem cum Quercetano ſali ſoliditatem à terra, liquabilitatem ab aqua, mordicationem ab igne ineſſe docet. Quercet. lib. 1. de Hermet. philoſ. defenſ. c. 14. ait, *Mercurius eſt ſubſtantia aerea & ſpirituoſa. Spiritus vero participat partim de aqua partim de igne, & prout ſunt aquoſiores vel magis oleaginoſi, pro eo vel aqua vel oleum dicuntur,*

dicuntur, Beguin. *lib.* 2. *Tyr. c.* 4. Sulphur eſt humidum oleaginoſum. Querc. *loc. alleg.* Balſamum oleagineum nominat. Beguin. l. 1. Tyroc. c. 2. inquit. *omnia olea inter aeris & ignis naturam ambigunt: & quo ſunt acriora eo magis ignea, quo magis aerea eo magis æt herea & aerea cenſentur.*

LXIX. Tandem principia illa tria magis eſſe corporibus iſtis à quibus denominationem habent analoga, quam re ipſa talia. Beguin. lib. 2. c. 2. veritate compulſus fatetur, cum inquit, *per Mercurium, ſulphur, & ſolem non eſt intelligendum, quod ejuſmodi ex miſtis concretiſque corporibus, beneficio analyſeos chymicæ poſſint erui, qualia vulgo à mercatoribus venduntur, verum ſufficit ſi talia ſint, præſertim in vegetabilium & animalium familia, quæ mineralibus illis ſint analoga, & tantum differant inter ſe eſſentia proprietatibus & actionibus, quantum illa in ſuo genere minerali.*

LXX. Proinde rectè & verè ſcribit de tribus principiis Clariſſ. Anton. Gunth. Billich. *Quod parentes illa ſuos, familiamque ejurare meditantur, hoc prorſus de nihilo eſt. Ego potius eis ſuaſor ſum, ut depoſito ventoſo faſtu, in gratiam redeant cum elementis, quorum non tantum effecta & ludibria ſunt. Actum de iis erit ſi aqua & igni interdicantur: His Elementis vitam animamque ſuam, quantumvis vitalia quantumvis ſiderea, debent. Et tamen non niſi pro Cadaveribus & inertibus ſtatuis, nec non neſcio, quibus relollaccis fungis elementa habentur: Elementa inquam, quorum intolerabili potentiæ & maſculis viribus, actuoſa chymicorum & achilea principia, quanta demum & qualiacunque ſint, imbelles dant manus, & turpiter & muliebriter ſuccumbunt. Sales in igne fluunt, in aëre extabeſcunt, in aqua ceu futilis glacies colliqueſcunt.*

ſcunt. Olea non minus aër quam ignis eſt. Aquæ ſtillatitiæ vix primam aeris hyberni injuriam ſuſtinent, quin deſubito in ſolidam glaciem vertantur & fatiſcant ſuntque brevis ævi, & facilius mucum ac ſitum quam vitam tolerant. Scilicet tanti & talia ſunt Chymicorum principia prima & poſtrema, quibus niſi aſſurrexerint, vapulant vulgo & plorare jubentur Elementa. Hanc gratiam à pullis referunt matres, ut quos in lucem ediderint, eorum petantur calcibus.

LXXI. Tantum & quidem dilucidè de vanitate trium principiorum chymicorum, ex quorum elucidatione & penitiore examine promicat fraus pellacia & falſimonia regulæ & axiomatis Paracelſici, quo ille ex operatione Chymica, inveſtiganda rerum naturalium principia, affectiones, & eſſentiam, & inquirendum in eorum veritatem, ſimulque morborum naturam & remediorum vires indagandas & diſcendas eſſe nugatur, ut merito chymiæ in hunc modum finemque adhibitæ, cui alioquin in vero uſu ſuum locum & honorem relinquimus & deferimus, competat illud vulgo jactatum, quod ſit ars ſine arte, totum ſine parte, cujus principium blandiri, medium mentiri, ultimum nil invenire: quodque aliis dicatur honeſta meretrix, multos alliciens, paucos admittens. Claudimus veriſſima D. Libavii ſententia: Paracelſia eſt monſtroſa jactantia, ex ruditate & ſcientia conflata, miſcens alchymiam medicinæ, & hinc omnes ſcientias pervertens.

COROL-

COROLLARIA

I.

AN in genito per miſtionem duplex detur forma: una miſti qua miſtum eſt, quæ oriatur & coaleſcat ex Elementorum gradibus aliquot, qui ſuperſtites manent cæteris in miſto corruptis: & altera quæ ſit ſpecifica: hoc eſt, an dicente & docente D. Senn. miſtum qua miſtum informetur formis elementaribus, ut tradit cap. 12. lib. de Chym. cum Galen. conſ. & diſſ. fol. 318. & an hæc miſti forma ſit ſpecificæ formæ vel animæ ſubjectum & materia, ut eſt in ejuſdem phyſ. lib. 5. c. 3. fol. 328. 329. Et an pereunte forma ſpecifica res eadem poſſit perſtare ſub forma miſti? uti idem ſentit ibidem. Hic negativam meritò tuemur propter rationes ſequentes.

I. Formæ ſpecificæ vel animæ ut nihil eſt contrarium, ita ut non recedit vel interit à contrario quopiam, ſed per ſubjecti corruptionem: quæ conſiſtit vel in temperamenti vel miſti formæ interitu, ſiquidem hæc ſit apparatus, auctore D. Senn. in ſubjecto & ſubjectum formæ ſpecificæ vel animæ. At forma miſti non corrumpitur; quia juxta D. Senn. manet pereunte forma ſpecifica, neque temperamentum miſti queat eſſe corruptum, quia ex hujus peſſumitione, neceſſariò etiam forma miſti periret. Nulla enim rerum forma exſiſtentialis eſſe poteſt niſi in ſubjecto pro ſuæ præſentiæ conſervatione commodè & ſufficienter diſpoſito. Et eadem eſt generationis & conſervationis miſti cauſa proxima: generatur

 verò

verò & conſervatur calore uniente humidum cum ſicco, eandemque temperiem conſervante ut habet D.S.in phyſi.fol.237.lib.3.c.3.

II. *Deinde* nequaquam cum hac opinione convenire poteſt, quod docet D. Sennert.lib.5. Inſtit. in rebus vegetabilibus animam vel formam ſpecificam ſibi aliam generare in calido rei nativo, quam donec illa inſit, uſurpet pro ſubjecto conveniente & materia cui commode inhæreat, & quæ illa ſpecifica recedente rem conſervet, virtuteſque ſpecificè uſurpet: qua ratione aſſerit Rhabarbarum jam mortuum per corruptionem formæ ſpecificæ vel animæ, nihilominus adhuc retinere vim purgandi, & vires occultarum qualitatum eſſe ab hoc calido innato taliter informato. Duo enim hoc ipſo ſibi ponit Clariſſ. Vir contraria. *Primum* eſt quod docuerit in tract. de Chym. cum Gal.conſ. & diſſ. formas ſui ipſius propagatione ſeſe multiplicare & non ex potentia ſubjecti vel materiæ educi. Forma itaque Rhabarbari non propagabit aliam quàm ſuam quæ eſt Rhabarbari, aut ſi aliam generet, non ex ſuæ eſſentiæ propagatione illam, ſed neceſſariò ex potentia ſubjecti ſeu materiæ educet. *Alterum* eſt quod ſi forma ſpecifica in vegetabilibus, uti Rhabarbaro, aliiſque ſublimi occultarum qualitatum virtute præditis inhæret per formam quam generavit in calido innato, nequaquam ineſt ipſis vel inſidet per formam miſti ex elementorum gradibus certa proportione concurrentibus coagmentata. Statuit enim illud innatum calidum omnis Elementaris conditionis expers, longè aliam & diverſum ab iis nataram & eſſentiam ſublimiorem

acce-

accepiſſe, nec ex iis natum proſatum vel ortum eſſe.

III. *Tertio* valdè lapſus memoria, ſibique apprime & abſurde contrarius eſt, quod in phyſ. lib. 3. cap.3. fol. 229. dicat, in generatione miſti primò produci formam miſtionis quam animam? Et tamen in tractatu de Chym.cum Gal.conſ.& diſſ. ſcribat formam vel animam cujuſque rei architectam eſſe , & primum motorem in miſtione cujuſque rei,eamque univerſam miſtionem communi naturæ inſtrumento, qui ſit calor nativus,perficere.Præcedit itaque forma ſpecifica formam miſti, & genitæ, uti ſubjecto commodo & ſibi diſpoſito inſidet, ſiquidem juxta eundem anima ſibi domicilii & corporis eſt fabricatrix quod non niſi per idoneam , uti decet miſtionem, conſtituere poteſt. Antecedit itaque miſtionem,neque poſt formam miſtionis producitur animans, cum ipſamet in re antequam per miſtionem novam & conformationem ſibi corpus & domicilium commodum ex eadem exſtruxerit, inſit, ut anima canis, illo ipſo auctore, in ſemine canis. Dupliciter itaque ſic ſibi contrarius eſt, videlicet quòd dicat formam miſti antecedere animam & formam ſpecificam, & miſtionem non fieri ab eadem.

IV. *Quartò* anima vel forma ineſt vel inhæret per diſpoſitionem materiæ ut enim acquiratur forma, eademque in ſubjecto ſervetur, requiritur commoda ejuſdem ſeu materiæ diſpoſitio , quæ conſiſtit in apto idoneoque temperamento. Atqui de natura formarum ſub qua res illa ſeu miſtum ſubſiſtere poteſt, non eſt ut diſpoſitio vel accidens, ſed pars rei eſſentialis. Neque forma illa ineſt rei, ut ſit ſubjectum alterius formæ præſtantioris, per quam tan-

quam

quàm commodam materiæ diſpoſitionem inſit, licet ſubjectum per cujus temperiei diſpoſitionem inhæret, formas illas videlicet Elementorum, complecti poſſit. Elementa enim immediatè non conferunt pro ſubjecto formarum ſpecificarum, ſuas formas vel integras, vel gradibus aliquot truncatas & mutilatas, inque unam miſti formam coalitas (de cujus rei ineptitudine poſtea) ſed materiam & qualitates, ſeu ex his natam temperiem diſponentem materiam, per temperiem enim ineſt forma: temperie diſponitur non forma, ut ſit ſubjectum, ſed materia. Qualitas non agit in formam, ſed materiam formâ conſtantem.

Ad alteram Corollarii partem nunc tranſibimus & deſpiciemus an Elementa ſic maneant in miſtis, ut abjectis aliquot gradibus ſuarum formarum ſubſtantialium conſtituant miſto formam. Quam ſententiam D. Sennert. quarumcunque novarum & contra Gal. uſitatamque & receptàm in ſcholis medicis regulam, opinionum fidelis auceps, à Zabarella & Picolhomineo cùm mutuatus ſit, & in phyſicam ſuam tranſtulerit, apud ipſoſmet auctores & ex eorum eam ſcriptis examinabimus.

Vterque ſtatuit formas Elementorum manere in miſto ſed caſtigatas & fractas, uti & Averrhoes, verùm in eo videtur ab eodem diſcedere, quod magis & minus recipere neget, quanquàm intenſionem & remiſſionem in illis agnoſcat: duobus enim modis intenſionem & remiſſionem fieri poſſe aſſeverat: uno ſine variatione ſpeciei, quod propriè dicitur recipere majus & minus. Altero modo cum mutatione ſpeciei. Priori modo accidentia tantùm intenſionem

& re-

& remiſſionem recipere ait: hoc vero poſteriore modo etiam formas ſubſtantiales Elementorum: remitti enim cum variatione ſpeciei & remanere cum amiſſione ſuarum excellentiarum, id eſt, manere aliquot gradus formarum elementarium, & aliquot interire, ita ut forma miſti realiter nihil aliud ſit, quàm collectio plurium graduum formarum elementarium, quibus acceſſit nova formalitas: coiviſſe enim in naturam aliam diſtinctam formaliter à naturis Elementorum, ideoque deſinere eſſe ignem, aërem, aquam, terram, & fieri novam ſpeciem, velut aurum vel carnem.

Hæc opinio aut perabſurda eſt, aut certè Oepido enarratore opus habet. De gradibus enim formarum ſubſtantialium & inauditum eſt quod aſſeritur, & illud præterea admiratione dignum, conſtitui rei cujuſdam gradus plurimos, & tamen affirmare ad unius gradus mutationem ſpeciem atque adeò ipſam naturam mutari, cùm tamen veriſimile ſit, gradus rei illius cujus gradus ſunt, retinere naturam, neque rem illam interiiſſe planè, cujus adhuc unicus ſuperſit gradus. Adſerere autem unius formæ plures eſſe gradus, & ad ſingulorum mutationem mutari ſpeciem & accedere novam formalitatem, eſt unius rei ſimplicis multas formas, multas naturas, multas eſſentias eaſdemque ſpecie differentes conſtituere quod ab omni ratione abhorret. Deinde gradus iſti formarum ſi concedi debeant, neceſſum eſt, eos ipſis ſimplicibus ſeu Elementis ineſſe, in iiſque primum conſiderari oportere. Fieri enim non poteſt, ut elementa gradus, quos antea nullos habuerint, in mixto amittere, & poſt reſolutionem ejus iterum recuperare

perare

perare poſſint. Hoc poſito omnis generatio tum ſimplicis tum mixti corporis planè monſtroſa futura eſt. Nam primum neceſſum eſt illos gradus vel finitos vel infinitos eſſe. Poſterius dici non poteſt, infinitum enim natura averſatur, & quia pertranſiri non poteſt nulla unquam abſolvetur generatio. Igitur finiti ſint neceſſe eſt, videturque Zabarella dum alicubi exempli gratia, remanere ſtatuit ſex gradus terræ & duos ignis, eum numerum octonario comprehendere, quo etiam gradus elementarium qualitatum definiri ſolent.

Iam neceſſum eſt in generatione ſimplicis elementi, omnes abjici interireque gradus Elementarium formarum, ſi novum elementum inde enaſci debeat. Veriſimile autem eſt, non omnes ſimul ſed alium poſt alium abjici. Et ſi ad abjectionem unius gradus, ſtatim nova ſpecies oriatur, neceſſum eſt, in una generatione, unius corporis ſimplicis, octo, aliam poſt aliam, novas ſpecies & novas formas exſiſtere, quæ ſingulæ orientur ſubitò & in momento temporis poſt præviam alterationem.

Hæ formæ & ſpecies porro, aut ſimplicis erunt corporis aut mixti. Mixti eſſe non eſt probabile: valdè enim à vero abhorret, ſi ex aqua aer fieri debeat, id fieri non poſſe, niſi prius inde aut arbor, aut elephas, aut aliud quoddam mixtum fiat. Ergo veriſimilius fuerit, eſſe ſpecies corporis ſimplicis, nimirum ignis, aeris, aquæ, terræ. Sed quamcunque cujuſcunque corporis ſimplicis ſpeciem, poſt ſingulorum graduum abjectionem introducamus, fieri non poteſt, quin abſurda & ridicula generatio judicetur, quæque in circulum recurrat. Et quid quæſo

quæſo opus eſt tanto apparatu & tot deſtructionibus, adſtructionibuſque, cùm natura quæ compendia amat, & nullibi redundet, prima ſtatim variatione eam ſpeciem introducere poterat, quam primò intendebat.

Verùm jam etiam conſideremus Elementa, ut ad mixti conſtitutionem congrediuntur, & ponamus terræ ſex, ignis duos,aquæ tres, aeris quinque remanere gradus, tum veriſimile erit minimum illos gradus, qui quodque Elementum denominant eſſe illius ſpecie inſignitos(neque enim aliter inter ſeſe differrent, & mirum foret, ſub aliena ſpecie non ſub ſua ad mixtum convenire)actuque idipſum quod eſſe dicuntur. Hoc poſito nihilominus incidunt in id quod evitare volebant incommodum: manebunt enim nihilominus quatuor formæ, quia quatuor ſpecies, & quidem longè pejori conditione, quia nulla quinta ſupervenit,quæ quatuor illas quaſi ſub imperio cohibeat. Si verò dicant omnes illos gradus conjunctos, unam formam, unam ſpeciem conſtituere, fieri id non poſſe videtur, non enim ex variis ſpeciebus conjunctis, conficitur una ſpecies,ut ipſe Picolhomineus fatetur l.de mixt.c.8.

Deinde idem quoque hic quæri poteſt, quod in generatione ſimplicis Elementi quærebamus: Nimirum cùm in generatione mixti quoque neceſſum ſit ſingula Elementa aliquot gradus abjicere, & poſt ſingulorum abjectionem nova ſtatim exſiſtat ſpecies: vel corporis mixti erit vel ſimplicis. Si ſimplicis, id mirum erit auditu, ignem (qui verbi gratia poſt abjectionem unius gradus ſpeciem aquæ induerit) potiùs ſub forma aquæ manere in mixto,

to, quàm ſub forma propria, & alia itidem Elementa, magis ſub aliena quam ſub ſua ſpecie. Si vero ſpecies corporis mixti fuerit, tum ex uno Elemento, amiſſione gradus mixtum orietur, neque aliorum auxilio aut comitatu opus erit, quod & ipſum vehementer abſurdum eſt.

Præterea cum dicat Zarabella multis in locis, elementa poſt amiſſum gradum, ſive poſt intenſionem & remiſſionem, novam ſpeciem induere, quæ ſit vel forma auri vel carnis, neceſſum eſt ſingulorum Elementorum gradus remanentes, eſſe unum & idem, quia ſub tali ſpecie maneant ſingula, quod manifeſtè petit principium. Quærebatur enim quomodo Elementa ineſſent, in carne vel auro. Qui jam reſpondet ineſſe ſub forma, & ſpecie auri & carnis nodum non ſolvit, ſed magis implicat: idem enim dicit manere ut aliud, nimirum ignem ut eſt caro & diverſa ut ſunt idem, nimirum Elementa quatuor ut ſunt caro ſive aurum. Denique ex reſolutione mixti apparet hujus ſententiæ abſurditas: ſtatuit enim uterque tum Zabarella tum Picolhomineus, mixta reſolvi in Elementa, non eadem numero ſed eadem ſpecie, quia, quos amiſerant gradus, non eoſdem recuperant numero (quod enim ſemel interiit non poteſt unquam idem numero redire) ſed ſpecie. Redeunt verò in ſuam naturam, ſi amiſſi gradus, illis qui reliqui facti ſunt iterum adjiciantur. Atqui gradus reliqui remanſerant ſub ſpecie carnis vel auri, Ergo ſi iterum elementa ſuam naturam recuperare debebunt, neceſſum erit ad carnem vel aurum, aliquot gradus Elementares adjici, ut fiat viciſſim elementum. Quæ cum omnia à vero abhorreant, & complura

plura etiam alia, ſi quis animum etiam attendat, ſequantur incommoda, hæc de modo quo elementa manent in mixtis, opinio minorem quàm ulla reliquarum habet probabilitatem, proinde recipienda non eſt.

Corollarium Secundum.

An uni exſiſtentiali formæ primariæ ſeu ſpecificæ in eodem ſubjecto plures poſſint ſubeſſe formæ ſubordinatæ, ita ut illa recedente, emergant aliæ atque aliæ, quæ ſub primæ dominio fuerant, atque hac ratione ex ovis vel plantis putreſcentibus fiant erucæ, ex his papiliones, ex ligno vermes, quod horum animalculorum formæ reales jam in iiſdem prę-fuerunt?

Negativam denuò hic amplectimur propter ſequentes rationes.

Quod nullæ formæ exſiſtentialiter remaneant præter formas Elementorum, rebus prorſus pereuntibus: ſi vero rei unius corruptio ſit alterius generatio, neceſſariò hæc corruptio cum generatione conjuncta eſt. Et ſic forma non præfuit, ſed de novo intercidente priore, generata eſt, ſic pereunte cibo fit chylus.

Quod omnes iſtæ formæ eſſent in materia indiſpoſita & impropria: quod ſi per naturam fieri queat, tum ex re qualibet poterit fieri quidlibet, & corpus ac ſubjectum formæ aſini, fuerit capax formæ humanæ, & jam Apulei animam in Aſino fuiſſe non erit fabula, & Pithagoreorum metempſychoſis inveniet patronos. Qua enim ratione forma vermis actu in

in ligno eſt, eadem quoque ratione & fortè convenientiore (invenit enim ibi corpus organicum cujus propriè eſt actus) humana poterit eſſe in aſino vel ſimia, aut ſi mavis in ſtirpe vel lapide. Verùm ut cum peculiari materiæ diſpoſitione, quæ definitam ſuam habet latitudinem, forma ſubſiſtit & manet, ita hac corruptâ, illa ſimul perit & intercidit, ſeu non manet. Si in quavis materia quovis modo diſpoſita, poſſit ſubſiſtere forma quælibet, quo modo res generabuntur & peribunt?

An cum illi viſum eſt cedere, peribunt & generabuntur, cum ſubordinata, ſponte eunti ſpecificæ ſuccedat, aut cum illa ab hac violenter ejicitur? Neque eſt quod regeras, peculiares vermium formas certis plantarum formis ſubditas eſſe, quod non ſit neceſſum, actu ineſſe formam iſti materiæ, ex cujus potentia generari poteſt: ſiquidem quis actu formam Scarabæi aſſerat eſſe in ſterquilinio? & ſi inſit, unde ineſt? an propagata & generata ab equo? equus itaque Scarabæum generat. Generabit vero illum actu vel potentia: ſi actu tum forma ſcarabæi ab equo generata erit in ſterquilinio: ſi itaque quæratur à Scaligero, an præſente rei forma vel anima non detur ipſa res, reſpondebitur ex eodem, quod ſterquilinium ſit ſcarabæus imperfectus; & lignum unde naſcitur vermis, ſit vermis imperfectus: quemadmodum dicebat ſemen canis eſſe canem imperfectum. Et cum uni formæ alia ſubeſſe poſſit, quemadmodum ſeminis formæ forma canis, ipſeque D.S. aſſerat, in uno ſemine plures poſſe eſſe formas, ſequetur rem unam eſſe plures. Neque eſt quod prætendat, ſe ſtatuere formas, quæ præter ſpecificam rei inſint,

eſſe

eſſe ſubordinatas & miniſtras, cum nulla dari poſſit ratio, imo cogitatu ſit abſurdum, quod forma vermis ſit in ligno, ut miniſtra ſit vel ſerviat ligno, vel ejus formæ, aut forma ſcarabæi ut miniſtret ſterquilinio, aut forma papilionis ut erucæ juſſa ſequatur. Formarum inſtrumenta & miniſtræ ſunt qualitates, non formæ, formarum. Verùm cum indubiæ & immotæ veritatis regula ſit, formam & formatum eſſe ſimul tempore, *nullaque miſti forma ſpecifica ullibi ſit, ubi non* actuet ultimatè & exſiſtentialiter, falſum & abſurdiſſimum eſt formam vermis actu in ligno, ſcarabæi in ſterquilinio, papilionis in eruca, erucæ in plantis eſſe.

Quæ res Clariſſ. D. S. permovit, ut ſtatueret, in tract. de Chym cum Gal.conſ. & diſſ.c.12.fol 346. ſemen aliquod analogum (alii ſeminalem rationem vocant) & paulò poſt concederet, ſemina quædam ad plures formas eſſe diſpoſita. Ingenua hæc eſt veritatis confeſſio, diſpoſitio ad rem non eſt ipſa forma ſed qualitas: ſufficit itaque diſpoſitio materiæ, in qua fundatur potentia proxima ad hanc & non aliam formam. Sed unde hæc diſpoſitio ſeminis analogica, vel ſeminalis ratio? mures & item vermes ex quiſquiliis putreſcentibus generantur, cùm materia ſic diſponitur, eaſque percipit qualitates, ut potentiam induat ad formas eorum, at unde hæc diſpoſitio? ſanè non à forma murium univocè generante, aut per ſui diviſionem & particulationem tranſeunte in hanc materiam, eamque miſcente, & domicilium ſibi extruente, neque ſanè quædam murium forma delituit ſub forma quiſquiliarum uti vermium in ligno eſſe volebat. Sed D. Sennertus in

phyſic. loco ſæpe allegato, docebat cælum eſſe cauſam univerſalem & principalem miſtionis, proximam vero activas qualitates. Generationem autem à miſtione parum differre, idem conteſtatur. Cœleſti itaque motu & calore incitantur inferiora ad coitionem & miſtionem, omniſque eorum ab iis pendet directio, quodque energiæ qualitatum uti inſtrumentorum deeſt id cauſæ principalis vi, nutu, directione & influentia ſuppletur, de quibus ſuperius ſufficienter actum. Naturæ enim quæ ſemper ad optima tendit potius eſt vivere quam eſſe, ejuſque opus, eſt opus Intelligentiæ, certo fine agentis. Quocirca univoca generatio, cum locum hic invenire nequeat, neceſſariò æquivoca eſt admittenda: at quare eam adeo ægrè contra ſanam philoſophiam, licet veritate compellatur, admittit D. Senn.? Latet anguis in herba. Illa conceſſa nec formarum per ſui diviſionem multiplicatio, commodè defendi poteſt, formarumque ſubordinatarum, & actu rebus inhærentium perit ſtatio, & comprobatur infallibilis veritas ſententiæ, qua adſtruitur, formas è potentia materiæ produci, quam ille exploſam, & cum bona ſanioris & veteris philoſophiæ parte deletam volebat. Quocirca ſi formæ non exſiſtunt niſi in ſubjecto ſuo proprio & diſpoſito, neque quælibet poſſit eſſe in quavis materia, nec omnia ſunt in omnibus, neque eædem per ſui diviſionem propagentur, nec per traducem fluant, aut ſuperveniant, quia præſtantioribus ſubordinatæ fuerunt, inque rebus variè delituerunt, neque à cælo immiſſæ, neque ex Orco vel Iliado Paracelſico vel Orpheano, certis & prædeſtinatis temporibus prodeant, certè, materiæ potentia ex qua

pro-

producantur, ſeſt adſtruenda. Sed de his omnibus diſputatione tertia & quarta ſufficienter actum eſt.

Corollarium tertium,

COrollario tertio quæritur, an non iniquus ſit D. Sennert. quod in tractat. de Chym. cum Gal. conſ. & diſſ. cap. 12. fol. 344. à rerum generatione excludat cœlum & ſolem cæteraque ſydera contra rationem, experientiam & veriſſimam philoſophiam, cælo rerum generationem & interitum adſcribentem, imò juxta ſenſum communem ex hyemis æſtatiſque ſtato recurſu vi cæli ſyderumque res omnes ad novam miſtionem & generationem concitantium & compellentium reducto, veritatem rei æſtimantem? Annon ſibi contrarius ſit & in ſe multipliciter iniquus, cum loco citato generandi vim cælo uti cauſæ principali adimat & deroget & tamen in phyſ. lib. 3. c. 2. fol. 224. aſſerat cauſam efficientem miſtionis generalem eſſe cælum, proximam verò actionem duarum qualitatum, caliditatis & frigiditatis. Ipſi verò miſtio & generatio parum differunt, ut fatetur in tract. de Gal. cum Chym. conſ. & diſſ. c. 12. fol. 344. Et ſanè qua ratione cælum excludit à generatione æquivoca, eadem animam à generatione partium corporis, carnis, oſſium, venarum, rerumque in animato corpore genitarum uti ſanguinis, ſeminis chyli relegat. Sed de iſtis quæſtionibus ſuprà uberius.

Coronidis loco inquiritur in veritatem ſpiritualium formarum herbarum in cinere deliteſcentium, & levi calore elevandarum, quales deſcribit Quercetanus in defenſione Hermeticæ Philoſophiæ c.23.& defendit D.Sennert.in tract. de Chym.cum Gal.conſ.c.x.

EO demùm impietatis & dementiæ deveniunt Paracelſicorum principiorum & abſurditatum choragi & defenſores, ut in ſummæ Majeſtatis potentiam involantes, ea quæ ſolius divinitatis ſunt propria, & omnem naturæ facultatem rationiſque humanæ captum excedunt, in artis ſuæ arbitrium vocent. Miraculorum quibus Filius Dei claruit, divinitatemque ſuam aſſeruit, & toti mundo aperuit, maximum fuit, à morte virtute propriâ reſurrectio, & mortuorum reſuſcitatio. Sed illa res pro miraculo Paracelſo, ejuſque ſequaculis & fratribus Roſeæ crucis, & abſurditatum Paracelſicarum advocatis non veniet, in quorum arte (Chymicam puta) ſitum eſt æternam juventutem ſervare, moriendi neceſſitatem excludere, & mortuos in vitam revocare. Aut itaque filii Dei ejuſque virtute patrata ſanctorum miracula, veræ divinitatis τεκμήρια & peculiaria indicia non ſunt, aut exſecrabilibus mendaciorum pigmentis artem ſuam incruſtatam & fucatam extollere nituntur. Miror Clariſſ. Sennert. acri invectione in me deſtomachari, quod, fabulamento de eſſentia roſæ ſpirituali fidem facere detrectem. Rationes meas in contrarium poſitas non diluit ſed alio ſupercilio contemnit, experientiæ & ſenſibus credendum eſſe dictitat. Verùm Theologiæ magiſtrum hic agis Sennerte non Philoſophum. In Theologia ratio captivanda in obſequium fidei ſecusquam

in

in Philoſophia. Sacræ literæ ſunt legendæ cum credendi neceſſitate, non cum judicandi libertate.

Eſt ratio in ſacris niſi deliratio rebus.

Verùm Philoſophi non eſt ea, quæ ſupra naturæ artiſque potentiam ſunt, ſtatim adſtruere, Philoſophus credit quantum intelligit, Theologus tenet fide quod non capit mente:

In certis noli Thomas incredulus eſſe,
In dubiis cohibe, vis ſophus eſſe, fidem.

Productio eſſentiarum ſpiritualium oculos incurrentium è cineribus rerum, fit artis naturæque potentia, aut virtute ſupernaturali. Non arte, non natura, quod demonſtrabitur; Ergò ſupernaturaliter, idque divinitus vel magicè, & præſtigioſè, Neque enim in ſenſuum judicio eſt veritas, ubi præſtigiis illuduntur. In falſis miraculis ſenſuum error eſt graviſſimus.

Homini cordato Paracelſicas blaſphemias & impuritias exſecranti, omnique Chriſtiano pectori abominabiles ſunt opiniones, in Deum contumelioſæ & impiæ, & veritati inſultantes, qualis ea eſt, quæ de eſſentiâ herbarum ſpirituali, levi calore è cineribus evocandâ, inſtar animæ è ſepulchro reductæ, aut Samuëlis defuncti, opera pithoniſſæ in Endor è terræ gremio accerſiti, producitur. Atqui eum qui ſic ſentiat, oportet ut Palingeneſiam in artis & naturæ poteſtate eſſe ſtatuat; Atqui quis mortalium hoc opinabitur, niſi qui è face Paracelſica in divinam potentiam blaſphemias evomere paratus ſit? Excutiamus negocium. Eſſentia iſta emergens ex cinere ſuo proprio, eademilla eſt quæ fuit integræ herba in cinerem poſtea ſolutæ & corruptæ, vel eſt generatio nova ex prioris corpore cor-

rupto. Si eadem erit vel nuda forma, vel res ex materia & forma conſtans. Formas ſeu ſemina & aſtra & eſſentias corrupto ſuo ſubjecto non perire, ſed corporis vinculis ſolutas, ſine materiæ ſubſterniculo, exſiſtere, ad abyſſos & Orcum ſuum ſeu Iliadum redire, paracelſicum commentum & hujus fabulamenti fundamentum eſt. Formas autem materiæ immerſas, excepta una rationali anima, ſine ſubjecto proprio exſiſtere, hactenus ſanæ philoſophiæ ignoratum & abſurdum fuit.

Eſſentia autem illa neceſſario forma eſt, quia quintam illam Sennert. cum & ex Scaligero pro forma habebat. Illa autem eadem erit in aliquo principio, vel dividetur in omnia, quando res in ſua Elementa reſolvitur. Non erit in uno, quia non ineſt eò apparatus & temperies commoda pro ſervanda forma; quatuor enim Elementorum, & trium principiorum, juxta doctrinam Sennerti, juſta miſtio & temperies pro forma acquirenda & conſervanda requiritur. Sed neque dividetur in omnia principia, quia forma materialis aliquando cum parte integrali, non cum parte materiæ ſimplicis extra miſtionis ſortem, ex qua totum ejuſque membra & partes conſtabant, dividitur, idque ob allegatam etiam rationem. Nullo itaque modo eſſentiæ ſeu formæ, deſtructo ſuo ſubjecto proprio, cui exſiſtentiam largiebatur, ſupereſſe, aut in uno aliove, omnibus principiis ſolutis & ſeparatis exſiſtere poſſunt. Vires quaſdam à formis ſupereſſe his abolitis non nego, quemadmodum caliditas piperis eſt in ſanguine: formas ipſas ineſſe nego.

Verùm enimverò eſſentiæ iſtæ cùm incurrant in ſenſus corporeas eſſe oportet, neque nudas tantum formas: aſſument itaque, & novum ſibi fabricabunt corpus (doctrina hæc eſt Sennerti) per novam miſtionem ex ſubjecta ſua materia. Unum autem ad miſtionem, quæ fit ex pluribus, non

ſufficit

ſufficit elementum vel principium, neque ea quæ fuit miſti forma ſpecifica, erit unius principii demum forma, aut ei inhærebit, ſoluta miſtionis ſyncriſi. Neceſſum eſt itaque Quercetanum ejuſque ciniſlones, talem, reductis remiſſiſque rei principiis, miſtionem procurare, ut nova exinde emergat forma, omnes miſti particulas penitius & undiquaque informans.

Atqui juxta Sennertum miſtio fiebat a forma rei inſtrumento caloris nativi, miniſtri ſummi & proximi, non ignei, qualem adhibet Quercetanus cineri ſuo: imò ipſa miſtio hactenus Dei naturæque opus habita eſt. Verùm cum hæc ars involavit in Paracelſicos, nec mortuorū reſuſcitatio, nec palingeneſia, nec immortalitas, nec æterna juventus, fuit arti naturæque impoſſibilis. Sed inſpiciamus ipſum Quercetanum hoc fabulamenti prodigioſi genere exſultantem c.23.lib.1. defenſionis Hermet. philoſophiæ, eo ipſo conabatur probare, calcinatione humidum primigenium in ſalibus non abſumi & ipſas etiam formas in conſtanti (abſurditas ejus jam demonſtrata eſt) vitalique principio deliteſcere. Formas has dicit eſſe incorporeas, ſpirituales tantum ideas, calore elevari è cinere (actio omnis eſt inter contraria unius generis, juxta D. Senner. quomodo itaque calor aget in formam immediatè & in ſpiritualem eſſentiam) & in aëre ſervari quouſque igni caleſcant, eoque remoto relabi in cineres & chaos ſuum. Melius ſentiebat de eſſentiis his incorporeis & formis ex Paracelſo Severinus, qui fulcimento caloris eas, ut exiſterent, non indigere ajebat, ſed ſolutas corporum vinculis redire in Orcum & Iliadum aut chaos ſuum, ex eoque ſua ſponte non excitos aut ſuſtentatos ſcipione caloris redire ad ſcænam mundanam aſſerebat. Verùm quod magis dolendum, ut exſiſtant ait Quercetanus loco citato fol. 231. neceſſum eſſe congrua

terra mandari ut ſolidius corpus aſſumerent. Atqui hacte-nus ſoliditatem corpoream ſali principio craſſiſſimo idem adſcripſit. Cur relegat ad terram & non ad principia ſua hypoſtatica ex quibus aſſumat & fabricet corpus, cùm ex iis vera omnia corpora conſtare adſerat. Hæc verùm corporeitatem rebus (parcite manes Ciceroniani) præſtare jam dudum diſputarat. Sed an tam celebris auctor in aſſertione ſua ejusque probatione ſibi conſtet? In ſalino principio docebat, veras rerum eſſentias & formas deliteſcere, eodem in capite quo modo ut ex eodem, per miſtionem artificioſam cum cæteris educi poſſent ſubtili quaſi ratiocinatione diſcurrit (quam ex Paracelſi, cujus nomen reticet, lib. 6. naturalium emendicavit) ſibique hunc proponit modum quintæ eliciendæ eſſentiæ: nempe deligendum ſimplex integrum in ſuo virore & vigore ſummo conſtans (ut ſcil. forma ſit ſatis matura & adulta) idque in principia chymicè reſolvendum, ſali è cineribus educto, guttatim liquorem (ergo liquor balſamicus nonupereſt ampliùs in ſale ut ante dicebat & demonſtrare conabatur) ſuum mercurialem reddendum, iterumque evocādum, ut vitale cum fixo jungatur: dein ſalibus his unitis, ſenſim addendam ſulphuream eſſentiam. Quid quid audio? Ante illud humidum radicale illam quintam eſſentiam in ſale ſupereſſe, ſtentoriè clamabat, nunc ex mixtione principii mercurialis & ſulphurei adeoque ex unitis iſtis recens remiſtis rei principiis, eam poſtliminio vindicare conatur. Quomodo probas Quercetane uni ſali ineſſe & ſupereſſe formas totius poſt ſolutionem, & eas denuò ex omnium principiorum nova conjunctione fabricare & elicere doces? vide D. Sennerte, hic eſt alius modus conficiendi & propagandi formas quam tu tradebas, hæc formæ & rerum generatio eſt artificialis non naturæ opus, juxta Paracelſum. Hic fiet miſtio corporiſque

novi

novi & ſpiritualis fabricatio, ſine rei forma ejusque inſtrumento calore ut forma educatur. Atque Sennertus ajebat formam ſibi fabricare corpus, elementa congregare miniſterio caloris, miſcere, unire, miſtionemque perficere. Calor ille quem admovit Quercetanus, nec divinus eſt aut æthereus nec animæ inſtrumentum, ſed qualitas ignis nullum animatum corpus generantis, & quo pacto qualitas illa agit in formam eam ex cinere elevando. Nulla enim qualitatum in formas datur actio, ſed formarum in qualitates & materiam.

Sed quis Hector hæc abſurditatum plauſtra omnia evertet? Cum à veritatis orbita ſemel deflexum eſt, ita ſuaviter inſanire oportet, ut divinæ & humanæ veritatis principiis obſtrigillemus. Quod ſemel eſt corruptum idem numero regenerari non poſſe naturaliter, & palingeneſiam opus eſſe divinæ potentiæ, nullamque rem niſi ſemel generari poſſe, hactenus piè creditum & philoſophicè etiam defenſum. Atqui everſores pietatis Chriſtianæ & fidei ſalvificæ, & venerandæ antiquitatis veritati philoſophicè obſtrepentes, rem numero unam bis & cur non multoties generant, ut una res ſit multiplex, quia res genita generationis cujuslibet eſt terminus.

Privatio præcedit vel ſequitur formam. Quæ præcedit eſt conjuncta cum potentia ad proximam aliam non eandem quæ ineſt. Privatio quæ ſequitur ex deſtructione corporis ad ſolutionem ſeparationemque principiorum quibus conſtabat, nullum habet ad aliam formam reſpectum: quem ſi haberet, vel ad aliam vel ad ſuæ ſpeciei formam, non tamen eadem numero res reſurgeret. Ubi verum eſt & manet in omnem æternitatem, quod à privatione ſubſtantiæ ad habitum non detur regreſſus in rebus naturalibus, & palingeneſia naturæ ſit impoſſibilis.

Sed

Sed ulterius mihi objicit Vir. Clariſſ. D. S. hiſtoriam plantæ in aqua deſtillata natæ, quam obſervavit Ieremias Cornarius & deſcripſit Andreas Libavius in Syntagmate. Rem eſſe hanc mirandam & raram fateor, imo & veram nec impoſſibilem prædico. Sed miror eam mihi objici pro teſtimonio confirmandi fabulamenti de roſa ſpirituali & formali. Toto enim cælo differt roſæ ſpiritualis eſſentia & forma deliteſcens in uno ſolo principio (eorum) ſalino, quæ levi elevata calore ſe extra ſuam in qua hæret materiam conſpiciendam præbet (abſurdus formarum egreſſus & regreſſus re manente ſalva) toto inquam cælo differt illa ſpiritualis eſſentia à planta corporea in aqua, non ex ſola aqua ſed ex limo in fundo ſeu ſedimento quod deſidere in aquis deſtillatis aſſolet vi caloris externi concitato interno & admiſtionem convocante ſubtiles elementorum partes prognata. Ita videmus ex portione exigua veterum murorum calcis, multorum annorum imbribus rigatæ & imbutæ, veluti ex mediis lapidibus ſæpe grandiores prognaſci arbores. Ex Elementorum coalitu, ſive in aquis ſive in locis aridiſſimis provenire & naſci arbores & plantas parùm habet admirationis præter raritatem, & quid illa ad ſpeciales rerum eſſentias & formas incorporeas, & ſine corpore & oſſibus umbras, & plantarum ſtirpiumque lemures & manes ſine corpore viſum incurrentes. Hic ſane ratio captivanda. At qui mihi ſerio inculcat. D. S. Quercetano teſti oculato fidem habendam eſſe. Quid ad hoc? ajo credulorum ſenſibus facilè imponi: malo itaque ſtatuere, Quercetani oculos præſtigiis illuſos quàm mendaciis arguere, quum Clariſſ. D. Billichius illum in re notiſſima, & evidentiſſima, quam publicè in univerſum propalavit orbis theatrum, non unius & manifeſtæ falſitatis convincat. Si id in re manifeſta quid in tam occulta non faciat? Regnum

ſapien-

ſapientiæ veritate erat fulciendum, non præſtigioſis & vulgo plauſibilibus mendaciis. Itaque & hic & alibi traditis permotus rationibus cum non crederem phantaſticas quintas eſſentias à rebus incineratis exſurgere, miſerè increpor & nominor à Senn. miſochymicus, dicorque ex libris ſapere, chymiam contemnere, doceor ex Ariſtotelico Scaligeri: quærendam rationem non ignorandam rem. Ego rationem quæro, tu aſſigna idoneam & habebis fidelem tui oraculi aſſertorem. Chymiæ ignorantiam mihi exprobras propter ignotas iſtas præſtigias quarum tamen experimentum necdum Quercetanus chymicorum coryphæus ſe feciſſe fatetur. Quid quantumque in chymicis profecerim, laborarim, viderim, & obſervarim, nec tibi coram retuli, nec per literas ſignificavi, amicis tamen & familiaribus innotuit, & fortè ex iis quæ in ſtudioſorum gratiam eliminabo, illuceſcet. Parcius inſultare mihi debuiſſes, mi Sennerte, neque omnes alios vel pares vel etiam minores, tuique ingenii faſtigia non aſſecutos, præ te uno contemnere, & prætoria auctoritate omnium adeò rigidam cenſuram tibi ſumere, quod charitatis Chriſtianæ fuerat. Si itaque te elephantem viciſſim mus offendat, da veniam, ignoſce, natura ſic comparatum eſt. Veritatis pietatis, & honeſti nominis perinde atque vitæ ſumus ſtudioſi defenſores.

EPI-

EPISTOLA

Clariſſimi & excellentiſſimi

viri

ADAMI LVCHTENII

Philoſophiæ & Med. Doctoris celeberrimi, & in Academia Iulia Profeſſoris primarii, nec non Reverendiſſ. Adminiſtratoris Magdeburg. & Epiſcopi Oſnaburg. & Illuſtriſ. Ducum Brunſvicenſium & Lunæburgenſium Archiatri, ad Iohannem Freitagium Med. Doctorem.

Clariſſimo & Doctiſſimo Viro, Domino Iohanni Freitagio, Med. D. Celeberrimo, & aularum Oſnaburggenſis, Schaumburgenſis, & Tecklaburgicæ Medico peritiſſimo, Domino Collegæ & amico honorando.

PEtis à me Vir Clariſſime, Domine Collega & amice obſervande, ut de Noctibus tuis medicis, quas arrodere ſive potius allatrare Sennertus cœperit, meam ſententiam aperiam & ſimul quid de Sennerti laboribus judicem candidè communicem. Quod ideò te facere arbitror, quod hiſce ſtudiis mirificè me delectatum fuiſſe recordaris. Veruntamen inaudita quorundam hominum malitia & inſatiabilis maledicendi cupiditas ab hiſce ſtudiis ad jureconſultos, qui me inceſſanter excercent, non nihil abduxit, adeò, ut ſi famam & exiſtimationem, quibus omnia poſthabenda duxi, mihi integram ſervare voluerim, nolens volens iſta, ſi non deſerere, ſaltem ſepo-

ſeponere aliquamdiu, & odioſiſſimis litibus me immergere & propè ſuffocare coactus ſim. Quo evenit, ut rarò, ſi quid novorum librorum in lucem prodiret, perlegere potuerim, quemadmodum Noctes tuas nondum etiam integras perluſtravi. De D. Sennerti ſcriptis legi aliquid: Anſam tamẽ mihi præbuiſti, ut, dum hic moror, pleraque perluſtrarem, quamprimùm domum venero otiumque nactus fuero, utrumque librum diligentius à capite ad calcem perlegam, & quid inter legendum notare potero ad te perſcribam. Interim utriuſque veſtrum mihi placet inſtitutum. Video enim utrumque hoc agere, ut litium & controverſiarum inter Galenicos & Paracelſicos modus ſtatuatur, & ipſa veritas, quæ in omni re non niſi una eſſe poteſt, in lucem producatur. Hoc te tamen laudabiliori diſquiſitionis modo & ratione, quàm Sennertum, quantum quidem ego hactenus perſpicere potui, præſtitiſſe, ſine adulatione adfirmo. Tu enim, quod veritatis indagatorem decet, omnes effectus ad rationis trutinam diligenter examinas, & eam demum veram experientiam ducis, quæ cum ratione conſentit. Ille verò ſtatim in proœmio, qualis in progreſſu futurus ſit apertum facit. Nam cùm pluribus de Ariſtotelicorum & Galenicorum circa hypotheſes ſuas pervicacia, & Chymicorum ſua dogmata abſque ullo rationum ſtabilimento differentium confidentia & audacia dixiſſet, tandem ſe media via iturum, & unicè veritatem inquirere velle promittit: quaſi verò medium eſſet inter contradictoria, aut ſibi non contradicerent illi, quorum alter negat, alter adfirmat theſin. Hîc ſi media via ire velit, verum ipſum dividi oporteret,

ita

ita ut ſemiverum & ſemifalſum conſtitueretur, quod cum abſurdum ſit, veritatem nunquam inveniet, niſi alterutri parti, in qualibet re controverſa, totus adhæreat, ſive à Galeno ſtet, ſive à Paracelſo.

Neque enim quiſquam philoſophicis diſciplinis mediocriter imbutus, tam abſurdus eſt, ut omnia quæ à Chymicis exhibentur & parantur ſine diſcrimine & indifferenter abjicienda exiſtimet, ſed ratione duce, ſi quid fiat diſquirendum judicat cujus vi & poteſtate fiat, naturaline an divinâ, an diabolicâ cum varias paſſim apud curioſos diaboli eluſiones & præſtigias animadvertere liceat, quæ pro naturalibus veræ ſolidæque ſcientiæ cupidus ſibi obtrudi non patietur. Ideoque non opus habuiſſet Sennertus ſibi ab Arte, ejuſque ſectatoribus adeò metuere, quaſi unquam ab illis deceptus fuiſſet, decipique potuiſſet. Cùm enim ſolis rationibus nitantur, ſi eas ſatis validas non eſſe deprehenderet, fortioribus impugnaret & errantes in viam reduceret. nemo enim ad aſſentiendum cogitur, quemadmodum illi præſtigiatores facere ſolent; qui ſuis impoſturis abſque ratione imo contra omnem rationem, fidẽ ſibi haberi poſtulant. Rectiùs igitur feciſſet Sennertus, ſi veſtigiis Ariſtotelis & ſectatorum inſiſtens, quemadmodum tu facis, nihil intra naturæ limites aut territorium pateretur quod naturæ principiis non conſentiret, multò minus quod iiſdem adverſaretur, verùm callidè hæc egiſſe videtur & aſtutè, ut liceret, quoties lubitum eſſet, bruto quodam impetu, excuſſo rationum jugo transfugam agere, & in Paracelſi, ejuſque mancipiorum caſtra tranſire, & ſi minus humaniter ibi acciperetur redire ad ſigna Philo-

ſophorum.

ſophorum. Quod indè apparet, quod ex monſtroſis Paracelſitarum opinionibus ipſe monſtroſiſſimas amplectatur, & abſque ratione adſerat, nihilominùs interim dicat non ſufficere aliquem effectum adeſſe, ſed de cauſa ejus inquirendum & an naturali vel diabolica poteſtate fiat diſpiciendum eſſe & oportere rerum naturalium effectus non tantum τῇ πείρᾳ, verum etiam τῷ λόγῳ explorare.

Quod ſi Sennertus feciſſet, nunquam ſibi fabulam de roſa ſpirituali aliiſque herbis in vitro ſuppullulantibus tam temerè, etiam cum diſpendio exiſtimationis, ſibi perſuaderi paſſus eſſet, neque crediſſet tam facilè magneticæ curationis magiſtris & præſtigiatoribus. Quibus enim quæſo rationibus quicquam horum firmare poterit? minimum diluiſſet tuas pro contraria opinione allatas, ſi ſuas adducere non potuiſſet. Ita enim conſuevit Ariſtoteles, qui quoties rem quampiam difficilem perſuadere intendit, prius tollit rationes contrarias, deinde adſtruit & roborat ſuas. Magneticas curas in genere ſaltem approbat, exemplum particulare, quod ego quidem obiter ſaltem quædam percurrendo, viderim, nullum ponit, ut minùs videatur opus habere ſingularum curationum firmamenta adducere. Si in iſto cenſu, quod planè arbitror, unguentum armarium habent, magnus mihi erit Apollo, ſi ullam ejus aſſerendi vel veriſimilem mihi rationem adducere poſſit. Nam quod Goclenius junior & reliqui ſpirituoſi ſpiritum neſcio quem aſtralem, cœleſtem, æthereum, divinum, adferunt uti indignum planè philoſopho eſt, ita merito irridetur: tot enim abſurditatibus laborat hęc ratio, ut epiſtolæ modus eas recen-

ſere non patiatur: Cujus enim divinitatis? cujus Cœli? cujus aſtri is ſpiritus perhibeatur? quid illi fœderis cum uſnea? quid, ut compendio dicam, cum reliquis? aut annon cum hiſce ſeorſim, ſed cum mixtura? An dum componitur, artifex eum ex cœlo vocat, an ſpontè advolat? utro modo fiat, quis porro ſpiritum illum aſtralem ex uncto telo ad vulneratum defert? an alio iterum opus eſt? an idem ille emigrat? aut infinitæ potentiæ eſt, quam ad milliaria plurima extendere poſſit? ſanè oportet hunc ſpiritum pauperis Domini ſervum eſſe, qui tantum moleſtiæ in ſe ſuſcipiat, ut ex cœlo deſcendere, aërem tranſire, telum vulnerans ſua virtute, mediante carnificis unguine, imbuere non detrectet, & inſtar erronis fatui, neſcius cujus tandem ſit, quovis divagetur. Vis quem ego hunc ſpiritum eſſe putem, tibi dicam? Eſt ille antiquus ſerpens, Sathanas & Diabolus qui iſta vulnera, ſi natura ſola non ſufficit, ſanat. Quod eo fine facit teſte Sennerto, pag. 620. ut conſtitutas à ſe ſuperſtitiones confirmet ac ſtabiliat, eaſque hominum mentibus inſerat, vel inſertos confirmet, ac propaget & hominem à creatore ſuo, mediiſque ab eo creatis & in ſalutem hominum ordinatis, ad ſe quocunque modo avertat. Verba ſunt Sennerti, quibus quarè ipſemet fidem non habet & ſpiritui illi planè Diabolico in unguento armario tantam poteſtatem concedit? Veruntamen ego illi forte injuriam facio, cum unguenti armarii, ſi rectè obſervavi, nullam fecerit mentionem. Cupio tamen ſcire, ſi hoc non defenſitat, quodnam tandem magneticæ curationis exemplum producere, & ut pollicetur, firmis rationibus comprobare animum inducere

ducere auſit? Quam autem rem agat Sennertus ex proëmio apparet, ubi Lactantium antipodes negaſſe, alios mediam Zonam, quam torridam vocant, inhabitabilem eſſe aſſerere affirmat, in eoque ipſos falſos eſſe. Sed quid inde? Claus Narr non credidit ſolem pelvis quantitatem excedere. An propterea, quia turpiter illi errarunt, neque quod manifeſtum & omnibus notum eſt, ſcire ſive comprehendere potuerunt, nobis quoque omnia quæ phantaſtica ingenia comminiſcuntur, credenda ſunt? Allaboret Sennertus & omnes ingenii nervos intendat, & tàm liquidum faciat unguentum armarium naturali vi ſanare, roſas herbaſque ex cineribus produci poſſe, quàm manifeſtum & apertum eſt, antipodes ſecundùm naturam & ſolem (taceo alia) pelvi majorem eſſe, tùm demùm illi fidem habebo, alias ignorantiam aliorum mihi objici ægrè feram.

Mirum verò, Sennertum auſum tibi Scaligeri ſententiam objicere, qua docet, & rectè docet ex Ariſtotele, ubi res conſtet, ſi opinio adverſetur rei, quærendam rationem non rem ignorandam. Vbi quæſo ille vidit roſam aliaſve herbas ita ex cineribus, quemadmodum nugatur, productas eſſe, & à quo? an hic ipſemet ἐκ βίβλϰ κιβερνήτης, qui Quercetano ingens & grande ex Polonia uſque mendacium mentienti tàm faciles aures præbuit? Tu ſanè rectius illi hoc objiceres, cum non verentur curam characteriſticam, cujus tamen etiamnum hodie documenta ob oculos ponuntur, confutare. Cur mavult hic rem ignorare quam rationem quærere. Verùm uti hoc rectè refutat, ita magis famæ conſuluiſſet ſuæ, ſi fabulam etiam de roſa cinerea

tàm facilè non acceptaſſet, ſed adſenſum diſtuliſſet, donec experimenta vidiſſet quam plurima. Imò hiſce etiam oſtenſis, adhuc philoſophi fuerat, inquirere cauſam, non ſimpliciter credere effectui, eumque ſtatim naturæ viribus comprehendere, cùm multa ejuſmodi vi dæmonis à præſtigiatoribus ſubindè fieri compertum habeamus. Narravit quidam amicus mihi, homo alioquin non vanus, tibi notus, ſibi, cum panem triticeum deſtillaſſet, in alembico apparuiſſe elegantem ſpicam triticeam.

Cum ipſum irriderem ſalſè, jurejurando, certò ſibi rem viſam affirmavit. Cumque porrò inſtarem, ut protinus experimentum oſtenderet, alioquin rem longe abſurdiſſimam apud me fidem invenire non poſſe, negavit ſe ſcire modum; ſed fortuitò id ita eveniſſe, cum minimè id egiſſet, neque ea de re unquam cogitaſſet. Nunquid ego hic Lactantii errorem erro, ſi amico fidem derogem? At, inquit, quæ fiunt eorum cauſæ inquirendæ, non res ignoranda. Ego vero non ignoro, & cauſam ſubitò inveni. Adfirmo enim diabolum alteri (ſi mentitus non ſit) roſam, amico ſpicam ob oculos objeciſſe. Solet enim apud curioſos homines varia ſæpè ludibria excitare, quo ipſorum mentes à Dei operibus avertat, & turpiſſimis futilibuſque ſuperſtitionibus irretitas ſibi obſtringat. Ejuſdem farinæ eſt, quod Beguinus dicit, ſales herbarum, præſertim calidarum (dic differentiam & cauſam quare non æquè frigidarum) ſi certo quodam modo ſibi cognito ſeminentur, alias ſuæ ſpeciei producere herbas. Malo hic iterum Lactantius eſſe, quàm rationem meam mancupio dare circulatoribus. Verùm videtur modus, quem ſibi cognitum

gnitum dicit, mihi interim dum hoc ſcribo innotuiſſe. Nimirum ſalibus, bona pars ſeminum recentium admiſcetur, & ita ſimul terræ mandantur, ita effectu fruſtrari non poteſt qui ſeminat. Si hic modus non eſt, etiamſi millies fieri videro, quod hactenus ſemel non licuit, dicam tamen, effectum à diabolo eſſe: Deus enim ad hominum libidinem miracula non edit, & mortuas etiam herbas reſuſcitat, ſed naturæ hanc vim infudit, ut quidque ſecundum ſuam ſpeciem ſimile ſibi producat, ſive ſeminio, ſive radice, ſive ſurculo id fiat. Non diffiteor operationibus artificum mirabilia in rebus naturalibus ſæpè fieri, & admiranda inde exſtrui opera, quæ tamen naturæ, veluti parenti, ſubjectum operationis commendanti, bellum non indixerunt. Verùm Diabolus qui & Dei & naturæ opera ad dementandas & fallendas hominum mentes imitari conſuevit, non tantùm ſimilia præſtat, ſed ſæpè, quæ naturam & omnem rationem ſuperant, efficit, ut homines novitatis avidos in naſſam pelliciat, pellectos ſuperſtitionibus imbuat, in iiſdem confirmet & tandem omninò ſuæ poteſtati ſubjiciat. Ideoque ut fraus iſta & impoſtura Diaboli dignoſci, & à reliquis Dei & naturæ effectibus diſtingui poſſit, ſolam rationem tanquam Cynoſuram eum ſequi par erat, qui iſtud fluctuoſum ſuperſtitioſarum opinionum pelagus ingredi velit. Hoc fecit & auſus fuit tentare ſummus philoſophus Eraſtus, quem conſpuere quidem illi fornicarii & Cinifloncs ſæpius tentarunt, refutare tamen nunquam potuerunt. Hujus veſtigiis ſi tu pergas inſiſtere, longè tutiſſimus medio ibis, præ illo, qui cum averruncare opinionum monſtra promiſerit, turpior

ſe emancipet vaniſſimis experimentatoribus, & quod ipſemet expertus nunquam eſt, receperit tàm facilè, quaſi oculis coram inſpexiſſet. Saltem de auro fulminante (cui fidem tum habebo primùm, quando effectum videro) cur tam facile credidit Crollio, qui in eodem capite ingentibus mendaciis & deliramentis etiam blaſphemias admiſcuit? quid enim hoc eſt quod aurum Dei imaginem (ad quam homo ſolus creatus eſt) proximè gerere dicit? Credo voluit homini paulatim ad infernum viam parare, cum auri ſpiritum non tantùm per omnia diffuſum, ſed & maximè in centro terræ arctiſſimè contractum condenſari, imò eſſe receptaculum, tàm cæleſtium quam ſupercæleſtium virium, habereque in ſe vires plantarum, animalium & vegetabilium impudenter adſerere auſit. Quis cordatus non commoveatur, ſi hæc & ſimilium opinionum monſtra, etiam ab illis qui cenſores ſe profitentur acceptari, videat? promiſit mihi idem ille amicus meus, cujus ſupra mentionem feci, Chymicarum operationum peritiſſimus, ſeſe cum antea etiam aurei hujus pulveris pyrii experimentum fecerit, mihi coram ejus vim monſtraturum eſſe; ſed dum urgeo abſens per literas & per præſentes admoneri jubeo, incipit labaſcere & dicere, non ſeſe quidem hoc expertum. Cogam nihilominùs & inſtabo ſedulò, ut quid veri inſit experiundo diſcam, non credendo, ut facit Sennertus. Si ab amico, qui Vir bonus eſt, falſus fuero, quid credam credulo nimis Sennerto, & mendaciſſimo Crollio meris ſpiritibus, neſcio an arſenicalibus, an tartareis & mercurialibus infatuato? Sed excedo nimis epiſtolæ modum, ideoque

que hæc abrumpo & te oro & obteſtor, ut eo quo cæpiſti modo, veritatem cum Eraſto eruere & docere pergas, neque tibi ab illis metuas, qui ſub pelle philoſophica lupum Paracelſicum occultant, ita & famam tuam extendes, & minus cum aliis reprehenſionem rectè philoſophantium incurres. Vale Clariſſime collega, & tumultuarias haſce literas pro candore tuo in meliorem partem interpretare. Datæ in arce Iburgica 6. Octobris Anno 1620.

Tuus dum vivo

Adamus Luchtenius. D. M. pp.

EPISTOLA

Ejuſdem Clariſſ. & Excellentiſſ.

viri,

D. D. ADAMI LVCHTENII,

ad alium quendam M. D. plus ſatis Chymicum, cujus in præcedentibus literis mentionem fecit.

CLariſſime Vir, amice & collega honorande, quod nuper in colloquio proximo de unguento armario inter nos actum fuit, id tute apud te reconditum habes. Adfirmabas te illius unguinis rationem velle reddere, quod occeperunt quam plurimi, neque impetrarunt. Tu ſi potes, collige, inquire, coacerva quotquot potes rationes, & eas mihi offeras. Si nihil niſi experimentum attuleris, fruſtra es. Nam ejuſmodi tentamenta Diabolus quotidie agitat. Proinde ſi audis, audi meum conſilium, & conſilium de unguento armario planè abjice. Nihil enim eſt futilius, quàm quæ quiſque ſcurra ſcribit, acceptare.

De auro fulminante promiſiſti fidem, & dixiſti te expertum eſſe. Ignoſce mihi ſi tibi credere hic non poſſum, & tuam fidem expoſtulo, ut id manifeſtum facias, & nobis coram oſtendas quod promiſeris, neque ego dimittam te niſi quod promiſiſti præſtiteris. Aut ego alioquin te habeo pro homine vano, quod alias à me longiſſimum abeſt.

De ſpica triticea, quam tibi apparuiſſe dicebas in deſtillando pane triticeo, niſi tu falſus es, aut falleris, dicam plane ſi non Cacodæmon, ipſe ſaltem Dæmoniolus,

moniolus, tibi hanc ſpeciem ob oculos objecit, quẽadmodum etiam Quercetano de roſis, & quàm plurimis aliis herbis ex cineribus excitatam. Proinde oro & obteſtor te, ut de unguinis Armarii opinione abſtineas. Aut ſi potes ejus curæ mihi tolerabilem ſaltem rationem adducas. Nam non audiam te, ſi dices, multa eſſe occulta in natura, hæc fieri, eſſe ſpiritus neſcio quos, qui omnium facultatum vim devehant. Nam ab his ſi abſtinueris, non video, quid pro firmamento tuæ opinionis adferre poſſis. Multa enim effecta conſpiciuntur, de quibus dubium non eſt, quemadmodum neque etiam de unguento armario, & de probatione ſagarum per aquam frigidam, quæ tamen naturæ viribus velle propterea adſcribere, maximæ ſtultitiæ eſt. Et quæro ex te, ſi in natura & ejus limitibus manere non potes, ut meritò debebas, quiſnam ille ſpiritus ſit? Si appellare tu non potes, dicam tibi eſſe ipſummet Diabolum, cui, ut te porro committas non ſuadeo. Interim tamen poſtulo à te experimentum auri fulminantis, & ſi potes, ſeminationem cinerum Beguini, ut inde herbæ conſimilis ſpeciei naſcantur. Quare prurioſis & hoc tam temerè credis. Experimentatores Paracelſici Galenicis objicere ſolent, ſe experimentum nunquam feciſſe, proinde illis fidem non habendam. Quare igitur tu tam temere fidem adhibes, de unguento armario (diabolico) cujus experimentum conſtans nunquam vidiſti. Et ſi vidiſſes, oportebat te inquirere cujus virtute hoc fieret, quod quia omiſiſti facere, perdidiſti tuum negotium, & ego hæc omnia diaboli virtute fieri conſtanter adfirmo: ſi quid tu contra habes potes mihi communicare, &

 habe-

habebis qui reſpondeat. Rem monetariam quoque te curare ad me adfertur, quod me valdè excruciat. Hoc ſi ita eſt (quod tamen quia capitale eſt credere non poſſum) pro amicitia noſtra te valde rogo, ut facere abſiſtas. Nam tandem hoc in nervum erumpet. Audiſti enim pridem, Ducem N.N. propter falſam monetam in Cameram eſſe citatum. Qui vos pręillo? Tu benè habe & Vale.

De pulvere fulminante non dimittam te, quin monſtres modum & rationem oſtendas: nam etſi titubem, tamen & hoc pro Diabolico habiturus ſum niſi ad oculum demonſtres & firmam ejus rationem addideris, ut diſcas quantùm periculi ſit Phantaſticis perſuaſionibus fidem adhibere, & à recta philoſophia abſcedere. Si me amas non ægrè feres te à me hic amicè admoneri. Iterum Vale. Datum Iburgi. 9. Octob. 1620.

T.

Adamus Luchtenius D.M.

F I N I S.

A01 1460870

De

Digitized by Google